IACOBI VAN VAASSEN, ICTI ANIMADUERSIONUM HISTORICO-CRITICARUM AD...

Jacobus : van Vaassen, Christoph Saxe

IACOBI VAN VAASSEN,

ICTI

ANIMADVERSIONVM

HISTORICO-CRITICARVM

ad

FASTOS ROMANORVM SACROS

FRAGMENTA,

cum residuis

quibusdam ad ipsum Librum

SVPPLEMENTIS ET ANALECTIS,

in quibus

Varia Scriptorum Graecorum Latinorumque Loca emendantur, et illustrantur.

Ad fidem superstitum, et sine iunctura errantium eius chartarum,

quanta fieri potuit, accuratione digessit, et nonnulla

scitu necessaria cum de AUCTORIS harum Observationum VITA, tum de *Triplicis* FASTORUM *generis* Monumentis, Picturis, & Interpretibus praefatus est

CHRISTOPHORVS SAXIUS.

TRAIECTI AD *RHENUM*,

Sumtibus BARTHOLOM. WILD.

CIↃ IↃ CCLXXXV.

720

LECTORI

AEQVO et HVMANO

CHRISTO. SAXIVS S. D

Quam fluxae & inanes hominum spes esse soleant, si rerum natura, vulgatissimusque earum vsus non doceret, quis vel huius saltem libri, quem in manus tibi trado, fortuna, & exemplo vtcunque demonstrari posse negauerit? Vix certe eius auctor multa sibi animo destinare, nonnulla ingenio perficere, alia solenni sua elaborare industria, praesertim arduum istud de Fastis Romanorum *seu sacris, seu ciuilibus, opus moliri coeperat, cum diuinum summi Imperatoris numen, maiestasque, in medio bonarum artium stadio currentem eum de vitae statione decedere iuberet. quam consiliorum eius apparationem, frustrationemque indicare conabor, si pauca prius de* vita, scriptis, *et* ingenio *eius dixero. Natales suos* Zwollis, *celebri* Transisalanorum *emporio, d. XV. Januarii Anno, huius saeculi vndequadragesimo debuit* Vaassenus, *vbi parentum honestissimorum exemplo & institutis imbutus, mox ineunte puerili aetate in ludi literarii magistrorum, inprimis* Frederici Ludovici Abreschii, *viri graece & latine doctissimi, disciplinam traditus, tot erectae indolis argumenta edidit, vt cum laude nec inani luculentae ad literarum scientiam progressionis spe ad* Academiam Franequeranam *dimitteretur. Eo delatus circa A.* CIↃIↃCCLVIII*mum*, *non, vt plerorumque hodie mos est adolescentum, nihil magnopere scire cupientium, nisi quod leue, tralatitium, & a literis graecis latinisue mutum est, illico ad doctrinarum Juris formulam cognoscendam, eandemque chartis, vt castam virginem, domi custodiendam, prouolauit, sed a duobus praeclaris illis sapientiae Graecae & Romanae doctoribus,* Lud. Gasp. Valckenaerio, *et* Johanne Schradero, *cuius vtriusque iacturam nunc merito lugemus, animum prius bonarum artium cultu expoliri passus est, quam nodos et aenigmata legum feliciter solui posse existimaret.* Valckenaerium *certe* Praeceptorem quondam *suum laudat,* cui et graecas literas, et graecarum literarum studiosos

secum plurimum debere *gratus profitetur*, Animadversion. c. IV. p. 156. 157. *Non mirum ergo, cur non modo postea in scholis* Hermanni Cannegieteri, *ICti, & Philologi eiusdem Academiae florentissimi, operae pretium facere, sed ab eodem quoque, peritissimo ingeniorum existimatore, dignus haberi posset, cui Anno* CIↃIↃCCLX. *mense Decembri pereximii illius Viri* Observationum ad Collationem Legum Mosaicarum & Romanarum, *proximoque anno* CIↃIↃCCLXI. Thesium *sive Quaestionum* selectarum, *illo disceptatore, defensio publica mandaretur. Cuius etiam institutionis beneficii memoriam minime deposuit* Vaassenus, Cannegieterum *V. C. in his ipsis* Animadversionibus, p. 53. *appellans* studiorum *suorum* quondam in Academia Frisiaca degentis optimum Ducem & Auspicem, & p. 258. celeberrimum Iuris Antecessorem, quondam praeceptorum *suum* in Iure Quiritium, nunc amicum aestimatissimum. *Vix autem huiusmodi doctrinarum argumentis notior erat factus, cum Roterodamensium Magistratibus commendatus, & in Cl.* Kluitii, *Hagam Comitum abeuntis, locum suffectus, nouissimum Scholae Erasmianae magisterium obtineret Anno* CIↃIↃCCLXI. *quod Grammatistae munus, tametsi ventosis Saeculi thrasonibus immerito videri soleat vile, & abiectum, tamen adscito sibi prius* Franequerae *doctoris Iuris bonore, facultatemque simul docendi iuris ciuilis Romani cum stipendio, antehac illustri* Ioanni Henr. Jungio *publice indulto, nactus, tam laudabiliter ornauit, vt ingenio solertiaeque eius maiori, in quo eruditionis suae copias explicaret, theatro opus esse iam ab initio non pauci sibi persuaderent. Maximus saltem eius fautor et adiutor, Vir nobilissimus*, Ger. Meermannus, *in* Dedicationis Operum Goveanorum *fine ipsum adhuc Roterodami haerentem vocat* Iuuenem doctum, industrium, & meliori, quam qua nunc fungitur, statione dignum. *quibus etiam optatis paulo post, octauo quippe circiter anno post impetratam elementaris illius tironum institutionis conditionem, fortuna sic respondit, vt non solum ad Scholae* Alcmarianae *rectionem* A. CIↃIↃCCLXIX. *die XII. Aprilis vocaretur, sed altero quoque anno* CIↃ.ↃCCLXX. *die XXX. Junii* Lectoris Iuris et Literarum humanitatis *titulo condecoraretur. Interim nihil ista mansione Roterodamensi ipsi et literis oriri poterat iucundius, & fructuosius, quam quod ipsi ad illustris* Meermanni,

ni, *Senatus tum consiliorum Interpretis et Patroni*, (*vulgus* Pensionarium, Grotius Assessorem *vocare solet*,) *domum*, *incomparabileque eius Museum*, *optimis refertum libris*, *aditus patebat*. *Quae excellentium animarum familiaritas*, *et velut contubernium sciendi eius cupiditatem tantopere exacuit*, *vt non aliunde certius*, *vberiusque vel ad lectionis antiquae opus*, *vel ad deligenda recti iudicii bona*, *reiiciendaque contraria*, *vel ad idoneam commentationis scriptionisque facultatem praesidium*, *quam indidem*, *sibi parasse*, *si in vitam redire posset*, *fateri ipsum oporteret*. *Sed quid suspicor*, *eum*, *quod dico*, *prae se laturum esse? grati eius erga* Meermannum *animi*, *captaeque ex tali consuetudine vtilitatis index est oratio*, *qua mox* Illo amico, et studiorum patrono, ac fautore vti *sibi* licere, in praecipua felicitatis parte repositum *habuit*, (*v.* Praef. *ad* Epistolas de chartae vulgaris origine, p. 8.) *mox Eumdem*, dum in vivis fuit, studiorum suorum Maecenatem & Patronum, *laudibus celebrat*, (Animadvers. c. 1. p. 29.) *Neque rerum argumenta desunt*, *e quibus Roterodamensem ei habitationem insigniter profuisse intelligitur*. *Haec enim conciliatrix fuit* elaboratissimae, *vti* Meermanno *vocatur in Epistola ad ill. Michaëlem A.* 1763. *scripta*. p. 134. (Observat. de Origine Chartae) de Censu lustrali, et Censoribus Romanis Diatribes, ad quam conscribendam, *vt itidem disertis verbis ait* Meermannus, primum ipsi hortator, mox quoque e supellectile nostra libraria adiutor exstiti. *Hoc quoque temporis intervallo* Antonii Goveani Opera Juridica, Philologica, & Philosophica ex Bibliotheca & autoritate viri nobilis Gerardi Meermanni, cum Praefatione & Dissertatione de vita & scriptis Antonii Goveani, Roterodami 1766. *fol. in lucem emitti potuerunt*. *Eadem non minus commoratio peperit nobis* Gerardi Meermanni, & doctorum virorum ad eum Epistolas atque Observationes de Chartae vulgaris, seu Lineae origine, *quas noster* edidit, *et*, *vt loquitur*, praefatione instruxit Hagae Comitum, 1767. 8. Alcmariam *vero progressus*, *suscepta Scholae huius vrbis gubernatione*, *non*, *vt multi eius ordinis homines*, *protrusa quotidianae & in orbem redeuntis operae machina*, *vt plurimum turpiter feriari solent*, *tempus ignobili otio triuit*, *sed legendis veterum libris*, *antiquitatis eruditae monumenta tractando*, *adnotando*, *scribendo*, *se vl-*

tra vulgus sapere demonstravit. Hinc mature ad considerandos Romanorum Fastos diligentiam adhibere, quid in illis lubricae fidei, aut a doctis hominibus praetermissum, vel minus subtiliter animadversum esset, observare coepit, eo consilio, vt vtrumque eorum genus, siue sacrum, sive civile, multorum inscientia confusum, re et natura divelleretur, ad verique leges reuocatum clarissima in luce collocaretur. Proinde, quantum ex residuis multumque dissimilibus schedarum eius Fragmentis intelligere potui, id statutum animo habuit Vaassenus, *vt* priori Libro Fastos *Romanorum* Sacros *tam vniuerse de Festorum, Profestorum, Fastorum, Nefastorum, Intercisorum, atrorum, religiosorum aliorumque dierum vera notione, quam sigillatim de notatis in Kalendario diebus differendo illustraret,* altero *vero* tertio*ue* Libro Fastorum Ciuilium, *hoc est, Consulum et Magistratuum seriem et res gestas secundum* Marmor Capitolinum *definiret, & ad vsum cultumque literarum communium referret.* Libri *certe* sequentis *non vno loco, tanquam* L. I. c. I. §. II. p. 7. c. II. §. II. p. 35. & c. IV. §. VIII. p. 138. *spem suscitauit,* Commentarium*que* suum *ad Fastos Capitolinos*, veluti, L. I. c. I. §. I. p. 2. 3. c. II. §. III. p. 61. 66. *& in* Observatione de Nundinis, p. 326. 328. *vel* Animadversiones ad Fastos Civiles, c. VI. §. IV. p. 221. *pollicitus est. quod nomen a se factum quin liberaliter & cumulate expuncturus fuisset, si diuturnior ipsi vita contigisset, nullam omnino dubitandi causam habeo, quemadmodum haud mediocrem iam* Libri I. *Partem vsque ad Capitis* VI. §. VII. p. 256. *exhauserat. Sed aliter supremo rerum humanarum arbitro visum erat. Cum enim in eo erat vir diligentissimus, vt, qui Kalendarii Romani menses, diesue ad nuptias idonei essent, doceret, valde immatura septem & triginta circiter annos natum, A.* CIϽIϽCCLXXVI. d. XXVIII. *Novembris mors extinxit, simul* Schoonhovii *et* Wildii *Bibliopolarum, qui* Animadversionum *illud opus redemerant, plura in dies sperantium expectationem vno temporis momento destituit. quod damnum eo molestius ipsis videbatur, quo magis operarum sumtus inutiliter a se profligatos esse metuebant, quoue auxilii minus ex Commentariis eius paratum sibi fore suspicabantur, quod numquam antea, vel raro certe, ab ipso adhuc superstite plus chartarum nacti erant, quam quan-* tum

tum vni duobusue foliis typorum machina describendis sufficeret. Ne tamen hic affectus liber in ipso velut partu suffocaretur, planeque interiret, omnes, quotquot relictae erant, Schedae, *incertum testamenti tabulis, an Exsequutoris, siue Procuratoris voluntate, curae* Petri Burmanni, Amstelaedamensis, *mandatae fuerunt, ea fortassis lege, & conditione, vt pro amicitia qua* Vaassenum *complexus erat, opus stilo persequeretur, & ad finem perduceret. At enim ille, siue* Propertii *carminum euulgandorum negotiis impeditus, siue mirifica Aduersariorum permistione deterritus, rem consummandam distulit, donec ipse proximo anno A.* CIƆIƆCCLXXVIII. d. XXIV. *Junii repentino occumberet fato. Vel sic tamen cum illo circiter temporis articulo ad locum Propertii*, L. III. *Elegiam* IX. verſ. 63. *peruenisset, suae* Animadverſionum Vaaſſianarum *lectionis memoriam his ibidem nominatim impressit vestigiis :* De hoc, *inquiens*, Horatii loco, et virorum doctorum ad illum coniecturis cum cura egit vir eruditiſſimus, literis fato praematuro ereptus, Jacob van Vaaſſen, egregiis Animadverſ. Hiſt. Critic. ad Faſtos Romanorum Sacros cap. 2. §. 4. p. 72. *Post* Burmanni *autem obitum totam illam, quae per vnum alterumue annum apud eum hospitata erat, chartarum farraginem libri redemtores sibi vindicantes ad suum quasi reuocarunt fundum. nec multo post alterutro Sociorum*, Schoonhovio, *naturae debitum persoluente, impensarumque onere in solum incumbente* Wildium, *ibi tum ad me ventum, & a me petitum est, laborantibus & intermortuis paene editionis votis vt succurrerem. Alienum me primum ostendi ab eo, quod deferebatur, cum quod multa tum alia circa caput et latera saliebant negotia, tum quod inspectis schedarum copiolis mera ibi Sibyllae folia deprehendere mihi videbar. Huius tamen laboris suscipiendi gratia vnum alterumue Juuenem doctum, cui maius otium, commendaueram. Verumtamen idem, qui aliquoties mihi pependerat, hamus satis promissorum, parum adiumenti retulerat, ita quidem, vt rem editionisque procurationem identidem mouerem, sed neutiquam promoverem. Tandem honestissimis me libellionis precibus expugnari passus sum, vt haec* Animadverſionum Fragmenta, *quae tamdiu sine vllo fructu delituerant, cum ceterarum reliquiarum dote aliqua foras propellerentur. Quamobrem vniuersum primo loco librum per-*

perlegere coepi, vt quid in animo habuerit Vaassenus, *quidue promiserit indagarem, tum solivagas magno numero chartas, neque vllis numerorum, aut literarum signis copulatas, adeoque duplicis triplicisue migrationis culpa in vnam quasi vannum temere coniectas, non sine grandi taedio segregare, et ad suam quasque sedem reducere conatus sum. Vnde natum est istud* Supplementorum *et* Analectorum *genus, quod a* p. 257. *vna cum* argumento capitis VI. *in schedis etiam desiderato, subiunxi. Atque hoc pacto omnia, quaecunque ad feracissimos duntaxat* Fastorum Hemerologicorum *locos pertinere videbantur in finium suorum angustias quomodocunque compuli. — Vtinam vero* Librum II. *qui ex mente Scriptoris nostri* Fastorum Civilium *Consules & Magistratus exhibere, inprimis* Marmoris Capitolini *Archontologiam, nominumque vim et consecutionem demonstrare, eamque aduersus hodiernorum subinde interpretum errores vindicare debuerat, mihi simul addere licuisset! Sed tametsi adnotationes illae longe distinctius ordinatiusque quam superiores literis mandatae, & a me secundum Fastos* Sigonianos *magno laboris fastidio collectae fuerint, tamen quoniam non paucas e sinu potius in chartam effusas, quam justa dictionis cohaerentia ligatas inueneram, dubitavi profecto, an vel ipse, si in vitam rediret, auctor, omnes voluisset, vel nunc, in illo publico et paene communi literarum graecarum latinarumque fastidio, ne dicam contemtu, necesse esset, hac certe forma cunctas edi. Interim si quis in posterum nouam* Fastis consularibus *sigillatim facem accendere volet, in hoc ipso praeclaro, qui penes me est*, Schedarum Vaassenianarum *aceruo, constitutam designatamque copiosae lectionis materiam habebit.*

Similem quoque fortunam nunc subire iussa est eius Συλλογὴ *verius, quam suis absoluta numeris* Συναγωγὴ de Censu Lustrali, (*iam obiter praenunciata* in Animadv. c. IV. §. 2. p. 102. fin.) Censoribus Populi Romani, & Fastis Censoriis, *qua visa suoque rerum & verborum pondere examinata miratus sum, illustr.* Meermannum *in illa ad* Michaëlem *Epistola, loco supra laudato,* elaboratissimam Diatriben *appellare potuisse, cuiusmodi forsitan duplicem ob causam, cum ob disputationis quasi antecessiones, & aliquot progressus, tum propter haud vulgarem sententiarum apparatum, viro amplissimo videri poterat. neque illius adi-*

adiuncti laude, quae de hoc argumento censorio in Commentariis suis reliquit vir doctissimus, dignissima futura fuisse nego, si secunda et extrema primis respondissent, nec pauca inuenirentur partim hiulca, partim suis truncata membris, partim sine suo destituta. Ideoque ab his etiam in ordinem cogendis, perpetuaque oratione vinciendis manum abstinui, eumdem rursus laborem illi concessurus libenter, quicunque pereximiis eiusmodi copiis ad hunc antiquitatis locum probabiliter ornandum honeste vti velit.

Eodem pacto non defuturos esse praevideo, qui mirentur, cur Animaduersiones eius in Monumentum Ancyranum, *cuius fidem sollicitasse ferebatur, in his itidem Fragmentis praeterierim. Sed sciant illi velim, primum huic consilio restitisse operis redemtorem, haud iniuria metuentem, ne pluribus alieni argumenti congerendis maior in operas sumtus insumerentur, deinde praeter Collectanea* de Historia et fatis vrbis Ancyrae, *nec non excerpta* Notarum Edm. Chishulli ad Monumentum Ancyranum, *quibus identidem contra dixit, et dubitationum quaedam puncta, nihil magnopere in schedis superfuisse, quod suspicionum eius de monumenti huius falsitate, saltem dubia antiquitate, vim progressionemque clare demonstraret.* Νοθείας *vero argumentorum eius haec potissimum summa est: Nullam se videre posse rationem obiter significauit, quare* Strabo *in* Geographicis *suis de* Ancyra *agens, nusquam lapidis* Ancyrani *meminerit; tum istud proprie monumentum a nemine visum, aut exemplum cum exemplari sollicite collatum esse sibi persuadet;* Busbeckium describendum *quidem* curasse, *non ipsum descripsisse;* exemplum Verantii Clusianum *a* Sambuciano, Cossoniano, Lucasiano, Turnefortiano, Chishullianoue *discrepare; recentiora eruditorum hominum Apographa* Busbeckiano, Verantiano*que longe pleniora esse, quod fieri non posse ait, si vera sint, quae* Clusius *ad* Gruterum, *non ad* Schottum, (*vid. Aurel. Victor Arntzenianus*, p. 471.) *scripsit*, tabularum characteres quotidie corrumpi Turcarum militum insolentia: *praeterea negat* Dan. Cossonium *aut Ancyrae fuisse, aut eiusmodi monumentum vidisse, sed aliunde valde corruptum habuisse exemplum, neque* Turneforti Ancyram *transeunti tantum a rei herbariae studio superfuisse otii, Archaeologica vt curaret. Si eiusmodi extaret*

** *mo-*

monumentum, valde se mirari haud dissimulat, cur Rich. Pocockius *qui Ancyrae lapides graecos in literas retulerat, id ipsum tituli latini genus ad suum munus pensumque non vocauerit: adhaec non tam* Suetonium *tituli* Ancyrani *imitatorem fuisse, quam monumenti potius auctorem, siue vt alicubi eum nominat*, fabricatorem monumenti *ex* Suetonio *sapuisse non vno loco suspicatur: tandem non pauca, quae ibi occurrunt, singularia, & cum scribendi loquendique more Augusteo, secundum Sueton.* in *Aug.* 86. et 87. *pugnantia seu Orthographiae, seu dictionis intuitu damnat. Quae omnia sic in chartam velut coniecta reperi, vt a veritate tituli* Animadversionum Tumultuariarum ad Monumentum Ancyranum, *quem alicubi praescripsit, non multum abessent. Vtcunque vero haec existimentur, suo quemque sensu abundare facile patior. Equidem tametsi haud inuitus concedam, in hac exemplorum inconstantia arduum hodie ad iudicandum esse, quid in his tabulis lectum, quid ab ingenio doctorum hominum aliunde ascitum fuerit, nonnullosque passim Suetonii interpretes supplementis monumenti Ancyrani pro autographis vti solere, tamen* Casauboni, Lipsii, Vincent. Contareni, Norisii, Maffeii, *& aliorum de his tabulis iudicium tantae apud me auctoritatis esse fateor, vt propter difficultates quasdam & scrupulos istius monumenti antiquitatis vadimonium nondum deserere malim.*

Interea quoniam hoc inprimis loco omnis a Vaasseno *super Fastis instituta est disputatio, haud incongruum erit, quotuplicis generis Fasti, & qualia Fastorum monumenta, editoresque & interpretes fuerint, in vniuersum breuiter indicare, vnde non solum, quae superioribus iam annis cum in* Miscellaneis *Lipsiensibus Nouis*, Vol. II. Part. IV. p. 641. seq *tum in* Diatribe Academica de Dea Angerona, p. 43.—46. *a me tacta esse memini, supplemento quodam vel confirmabuntur, vel corrigentur*, sed *de* Fastorum *quoque* Romanorum *natura, discrepantia, & vtilitate, nec non de* Vaassenianarum Animadversionum *fine et consilio aptius indicabitur. Dudum enim animaduerti*, Romanorum Fastos, *mente & cogitatione distinguendos, eruditorum subinde hominum culpa mirabiliter permisceri & confundi. Primum omnium certissime constat*, Fastos *omnes, ratione argumenti*, triplicis *esse* generis, *vnum* Sacrum, *siue* Calendare, *siue* Pon-

Pontificium, Juridicumue, *seu vno verbo* Hemerologicum *appellare malis; alterum* civile, *hoc est*, Consulare, Magistratuum, triumphale, historicum, *vno vocis adiuncto* Archontologicum: *denique* tertium, *ex vtroque quippe genere* Mixtum; *intuitu vero materiae*, *duplicis esse numeri. Aut enim* Lapideos *vel* Marmoreos, *aut* Chartaceos Membranaceos*ue esse cognovimus. Singulos igitur suis quosque ordinibus*, *velut sepimentis*, *vallari & res et locus hic idoneus patietur.*

In Fastis sacris, *iisdemque* Marmoreis *hi potissimum commemoratione digni sunt:* (I.) *qui ceteris omnibus meo quidem iudicio, et temporum et auctori fide antecellunt* PRAENESTINI, *a* Verrio Flacco, *illustri Grammatico*, *in Latii oppido* Praeneste, *olim colonia*, secundum Ciceronem I. Catil. 3. *postea municipio*, *argumento* Gellii, XVI. N. A. 13. *ordinati*, *marmoreo parieti incisi*, *et publicati*, *vt* Suetonius de illustr. Grammat. 17. *verissime scripsit. quem locum cum nonnulli interpretes sollicitarent, partim pro* Praeneste *legentes* pro Vestae, *sive* pro aede Vestae, *adeoque mera Critices prurigine*, *qui illius Kalendarii honos* Praenesti *debebatur*, *eum* Romae *vrbi temere asserentes*, *partim* Fastos Verrii sacros *cum* Fastis, *qui Romae in Capitolio hodie cernuntur*, *ciuilibus*, *inconsulte miscentes*, *documento fuerunt posteris*, *quam verecunde in emendandis veterum libris versari nos*, *nec quae vulgo nobis ingenii acumine blandiuntur coniecturae*, *easdem quoque vt veras nos arripere oporteat. Quotquot enim hoc alioue iudicandi modo sibi & aliis placuerunt viri excellenter docti* P. Octavius Pantagathus, Onuphrius Panvinius, *in* Praefatione ad Fastos, b. & *in* Praefatione ad Verrii Flacci Tabularum Consularium Fragmenta, p. m. 37. 38. Achilles Statius, Isaacus Casaubonus, *et alii ad illum Suetonii locum*, *hi omnes marmoris ipsius fragmentis Anno MDCCLXXIV. Praeneste erutis*, *& a* Petro Franc. Fogginio, *incredibili literarum bono Romae* 1779. *fol. vulgatis*, *manifesti erroris conuincuntur. Neque sane diffiteor*, *nonnulla paulo ante in J. J. Biörnstäblii*, *doctissimi Sueci*, *Itinere*, *Parte II. p. 27.—29. de Verrii Flacci Fastis Praenestinis legenti mihi*, *ipsam deinceps libri Fogginiani cognitionem & vsum*, *haud vulgarem attulisse voluptatem. Vti vero suo tempore miratus sum Cl.* Ernestium *ad istum* Suetonii *locum animaduertere potuisse*, legi, *inquientem*, volunt

pro Vestae f. pro aede Vestae, quod valde probabile est, *cum Ger. Joh. Vossius eam dudum sententiam vt minus verisimilem explosisset*, 1. *de Hist. Lat.* XI. p. m. 52. & c. XX. p. 95. *etsi intuitu naturae Fastorum, ciuilium, an sacrorum, non ipse modo, sed Jo. quoque Alb. Fabricius, Bibl. Lat.* L. IV. c. V. p. 747. Tom. 1. vel L. IV. c. 3. p. 303. Tom. III. *ed. Lipsiens aliquantum haerere videretur: sic* Vaassenium *amaui, cum istis virorum doctorum opinionibus nihil motus, necdum editis* Fogginii *tabulis*, L. I. Animadv. c. VI. §. 7. p. 247. *pronunciaret*, *Verrium*, iuris Pontificii *minime* rudem, Fastos a se ordinatos Praeneste marmoreo parieti incidendos *curasse. Enimuero recentiores Suetonii interpretes nec de Praeneste fortassis, nec de Verrii Kalendario dubitassent, si vnicam saltem eorumdem Fastorum mensis Februarii particulam*, a Wolfg. *primum* Lazio, *non* Lario, (*vt in Ruperti ad Reinesium Epistola constanter, sed vitiose pingitur*) *in* Commentariorum veterum Numismatum Specimine, Viennae, 1558. fol. *tum* Fulvio Vrsino, in Familiis Romanis, Romae, 1577. *ad gentem Juliam*, p. m. 134. *ed. Patin.* Sibrando Siccama, *in* Fastis Kalendaribus, c. I. p. 43. Thesauri Antiqv. Roman. Tom. VIII. Grutero, CXXXVI. 2. *et* Josepho Maria Suaresio, Praenestes Antiquae, L. I. c. 18. p. 33. Tom. VIII. P. IV. *Thes. Ital. editam, nec non variis hominum eruditorum, velut* Christ. Ad. Ruperti, *in* Epist. XXVIII. ad Reinesium p. 133. Ezechiel. Spanhemii, *Diss.* XIII. *de Vsu & P. N.* p. 446. Henrici Norisii, *in Cenotaphiis Pisanis*, *Differt.* II. c. 8. p. 163. Tom. VIII. Part. III. *Thes. Ital. et* Perizonii, *in Animadv. Historicis.* cap. VII. p. 313.—316. *obseruationibus illustratam, in memoriam sibi & ad animum reuocassent. Interim valde dolendum est, de hoc Kalendario Praenestino nihil in lucem rediisse praeter* Januarii, Februarii, *vt modo indicaui*, Martii, Aprilis, *et* Decembris *aliquot frusta, ceterorum vero mensium & dierum memoriam aut terrae adhuc latebris occultari, aut interiisse. Operae pretium est contueri Tabulas* Fogginianas. p. 105.—108. & 116. *Reliquis vero omnibus Fastis Kalendaribus integriores, et* Praenestinis *aetate pares sunt.*

(II.) Fasti MAFFAEIORVM, *Octauiano quippe Caesare, vt recte existimat* Franc. Blanchinius, de Kalendario & Cyclo Caesaris, p. 11. *Romae in tabula marmorea incisi. Vehementer enim falluntur* Rupertus ad Pomponii Enchiridon, c. VIII. §. 7. p. m. 115. Henr. Leon. Schurtz-

fleis-

fleischius, *in* Anno Romano Juliano, c. XII. p. 261. & Heineccius, *in* Proöemio Antiquit. Roman. §. 6. p. m. 7. (m.) *cum* Benedicti Hegii Spoletini, Smetii, Siccamae, *in* Fastorum Kalendario c. 1. fol. 12. *si numeres editionis* πρωτοτύπου *Campensis*, 1590. 4. (*nam in repetita Graeuiani Thesauri editione non leguntur*,) *et* Gruteri *loco mox laudando huiusmodi forsitan verbis:* quales Cn. Flavius publicasse, ac Populo Romano tradidisse creditur, *inducti, aut eosdem esse, quos Cn. Flavius proposuerit, crediderunt, aut rem sibi non liquere significarunt. Immo Anno Vrbis* DCXLIX. *esse certe nullo modo possunt: similes esse possunt, vti etiam alio loco* Heineccius *in* Histor. Iuris L. I. c. III. §. XLVIII. * *rectius* huiusmodi Fastos *dixit*. Maffaciorum *autem ideo vocatur* Kalendarium, *quod, non* sub colle hortulorum, *vt auctoritate Blanchinii deceptus scripseram in Dictribe Academica*, p. 43. *sed* ad forum Romanum *inuentum*, in *aedibus tum* Hieronymi Maphaei, *siue* Maffacii, *Episcopi, Cardinali Farnesio a secretis, asseruabatur, nec dominos suos prius mutavit, quam sub initium huius circiter Saeculi, quo in palatium* Farnesianum ad campum Florae, *teste Blanchinio, migrauit. Jam, si verum est, quod* Petr. Franc. Fogginius *in* Monito *ad* Fastos Sacros, p. 99. *ex Codice MSc. Vaticano excerpsit, non ante hoc ipsum Kalendarium, quam* A. 1547. *effossum, in lucem & aspectum hominum prodiisse, a* Iacobo Mazochio *sane primum euulgari non potuit. Attamen* Io. Alb. Fabricius, Bibl. Lat. L. IV. c. 6. §. 8. p. 770. Tom. I. idem Calendarium, *inquit*, extat in Jac. Mazochii Inscriptionibus vrbis Romae, A. 1521. fol. *nihil hic aut monente, aut corrigente editionis Lipsiensis auctore*, L. IV. c. IV. p. 376. Tom. III. *Immo vero apud Mazochium neque extat, neque extare potest, Kalendario quippe in apricum serius prolato. Verisimilius contra* Georgius Fabricius *in* Roma *sua*, p. 174. Editum, *ait*, initio est a Carolo Sigonio, renouatum a Raphaële Cyllenio, expositum a Paulo Manutio. *Quo anno, vbi, sigillatim, an iunctim vna cum alio libro, quaue codicis forma a Sigonio vulgatum fuerit, neque ex Biographia eius Muratoriana, neque Operibus ab Argelato digestis neque aliunde mihi constitit. Id solum scio, ante Georg. Fabricium eamdem primae editionis laudem Sigonio tribuisse* Paulum Manutium, *Aldi II.*

patrem, *in* Epiſtola ad Andr. Duditium IV. Epiſt. XVIII. p. m. 235. & *in Praefatione editionis* Kalendarii Romani p. 857.—859. edit. *Epiſtol. Krauſianae*, *Lipſiae* 1720. 8. *cuius ipſius poſthaec* Pauli Manutii Vetus Kalendarium Romanum e marmore deſcriptum in aedibus Maffaeiorum ad Agrippinam in tabula marmorea ſuperne fracta, *vna cum eius* de Veterum Dierum Ratione, & Kalendarii Explanatione *non modo ad calcem* Aldi Manutii, *Pauli F.* De Veterum Notarum Explanatione, quae in antiquis Monumentis occurrunt, Commentario, Venetiis, 1566. 8. & Antiquitatum Romanarum Libris de Senatu, Venetiis, 1581. 4. *appoſitum*, *ſed etiam* Dionyſii Godofredi Scriptoribus Linguae Latinae, *a* p. 1381.—1396. *nec non* Theſauro Antiquitatum Romanarum Graeviano, Tom. VIII. p. 1.—12. *inſertum eſt*. *Non multo poſt Manutium*, Benedictus Arias Montanus *ſingulari*, *quod penes me eſt folio*, Antwerpiae A. 1574. a. d. XIV. Cal. April. *excuſo*, *idem Kalendarium*, *non omiſſo in capite veteris tituli fragmento*, *haud ineleganter radio deſcribi iuſſit*, *vnde* Theſaurus Antiquitatum Romanarum Graevianus Tomo VIII. *itidem ſumſit exemplum*, p. 13.—18. *quo loco tamen notandus eſt error* Montani, *in Praefatione ſic ſcribentis*, *hanc tabulam* ex multis Fragmentis, qvae inveniri forte potuerunt S. P. Q. R. in Capitolii recens reſtituti muro fere totam concinnandam, affigendamque curaſſe; *quibus verbis Faſtos ſacros Maffaeiorum ad Agrippinam cum Faſtis Capitolinis*, *adeoque Conſularibus*, *aperte confudit*. *Vel ſic tamen haec* Montani *verba fideliter deſcripſit* Iohannes Nicolai, *in* Tractatu de Siglis Veterum, c. XIX. p. 115. *Neque hi Faſti Kalendares circa idem tempus Anni* 1575. *effugerunt diligentiam* Huberti Goltzii, *in* Theſauro rei antiquariae huberrimo, p. m. 179.—101. ed. Antwerp. 1618. fol. *e quibus deinceps fontibus ſuos irrigauit hortulos* Johannes Roſinus, Antiquitat. Roman. L. IV. c. 2. p. m. 238.—240. *Inde maius ipſis in* Georgii Fabricii, Chemnicenſis, Roma, Baſileae 1587. 8. p. 174.—173. M. Smetii Inſcriptionibus, *opera* I. Lipſii, Lugd. Bat. 1588. fol. XXXV. Sibrandi Siccamae Faſtis Kalendaribus, & *quidem in archetypa editione paginis*, *ſi numeres*, 12.—15. (*in repetita videlicet Graeviani Theſauri editione*, Tom. VIII. p. 32. ſeq. *omiſſis*) Gruteri*que corpore* CXXXIII. *theatrum contigit*. *Ita* Joſepho Scaligero *digni fuerunt viſi*,

si, quibus in sua Temporum Emendatione, Genevae, 1629. fol. L. IV. p. 232.—234. *sub nomine* Hemerologii *vteretur. Nollem tamen hoc Kalendarium ab eo* L. V. p. 455. Colotianum *appellatum fuisset, vnde erroris cubilia apud* Fabricium, Bibl. Lat. L. IV. c. VI. p. 666. Tom. III. & Ernestium, L. IV. c. IV. §. 3. p. 378. Tom. III. *repeti debent. Hoc enim penes* Colotium *numquam fuit, sed* Kalendarium Rusticum. *Labentibus annis idem Kalendarii monumentum in non vnius viri docti libros immigrauit, tamquam in atrium* Caroli Neapolis Anaptyxeos ad Fastos Ovidii, Antwerpiae, 1639. fol. Johannis Seldeni de Iure Naturae & Gentium, iuxta disciplinam Ebraeorum, Londini, 1640. fol. L. III. c. XV. p. 373. Erycii Puteani, Bamelrodii, Librum de Nundinis, Lovanii 1646. *& in* Thesauro Graeviano, Tom. VIII. p. 670.—675. *tametsi minus accurate, typis renouatum, vti etiam non plena fide, & vulgari scriptura in* Fleetwoodi Inscriptionum antiquarum Syllogen, Londini, 1691. 8. p. 54.—60. *nec non in* Henr. Leon. Schurtzfleischii Annum Romanum Julianum, Witebergae, 1704. 4. c. XII. p. 263.—265. *tandem hunc eumdem Fastorum indicem ex Tabula in* Antonii *olim* Lafrerii *officina ab* Henrico *quodam* van Schoel *excusa, et apud* Johannem Dominicum de Rubeis *custodita sumtum, recognouit laudatus antea* Franc. Blanchinius, *in* Dissertatione de Kalendario & Cyclo Caesaris, p. 11. *vbi haec simul refert:* „ in ipso, *in-* „ *quiens*, Tabulae ectypo haec margini apponitur nota: Icon tabu- „ lae marmoreae Kalendario Caesaris insculptae, quae olim fuerat „ in aedibus Cardinalis Maffei ad Agrippinam cum ederetur a Grute- „ ro fol. CXXXIII. (*immo vero iam antea a Paulo & Aldo Manu-* „ *tiis adhuc viuentibus*,) hoc autem anno mense Junio reperta est „ in Palatio Farnesiano ad Campum Florae tutissimo loco reposita, vna „ cum pluribus antiquis Inscriptionibus apud Fulvium Vrsinum, alios- „ que celeberrimos viros olim exstantes, & ab excidio vindicatis pro- „ videntia Principum Serenissimae domus Farnesiae; Tabula lata pedes „ III'. alta II. ¦. Infra in ectypo legitur: Henricus van Schoel excu- „ dit, et: Romae apud Jo. Jac de Rubeis ad Templum S. Mariae „ de Pace." *Hactenus Blanchinius. Cf. hic omnino* Fogginius, *cum in* Monito p. 99. 100. n. 1. *tum in* Tabulis, p. 105.—116. *Sicuti au-*

tem

tem nemo huius Kalendarii antiquitatem in dubium vocare ausit, sic alia, quae ad eius passim seriem, formamque interpolata, & suppleta circumferuntur Kalendaria, nolim vetusta dici. Ita enim Dionysius Petauius *in* Uranologio, Parisiis, 1630. fol. & *quidem p. m. 60.—65. ed. Antwerp. lapidis quidem Maffeiani Fastos retinere visus est, sed vel alia de ingenio suo, vel nonnulla de ortu et occasu stellarum aliunde ex Ovidio, Columella, & Plinio consarcinata adleuit, vt profecto* Calendarium vetus Romanum *proprie dici non posset, etsi hoc sub nomine, quasi diuersum a ceteris poneretur, & repeteretur a* Graevio, *in* Thesauro Antiqv. Roman. Tomo VIII. p. 125.—136. *Simile mihi videtur Calendarium, quod* Thom. Dempsterus *circa A.* 1631. *in* Paralipomenis *suis ad* Rosini Antiquitates, L. IV. c. 4. p. m. 246.—249. *ed.* Amstel. 1743. 4. *aut* Petrus Gassendus *in* Kalendario Romano compendiose exposito Parisiis, 1654. 4. p. m. 156.—163. Thesaur. Antiqv. Graevii, *vndecunque conflatum & consutum recensuit.* —— *Ceterum, quoniam in fronte huius Kalendarii Maffeiani quaedam tituli Fragmenta literis maiusculis hunc in modum leguntur:*

. . . . . COL . . . . .
VALERI . . . . . RIMAV . . . . . ILII . .
EXPOLIENDVM ET PINGENDVM . . . . . . NTO
TABVLIS PICTIS ET M . . . . IAST . . . . LIBERT
COM . . . E S . .

nonnihil ad hunc locum animadvertere lubet. Primum quod Blanchinius *ait*, potissimam tituli partem temporum iniuria corruptam, desideratam etiam fuisse scribente Grutero, cum P. Manutius integram edidisset, *id sane non capio. In priori quidem Gruteriani corporis editione ille titulus plane est praetermissus, sed eius tamen in angulo Tabulae circa initium mensis Decembris mentionem Gruterus fecit his verbis:* Haec particula tota desideratur, quemadmodum et titulus superior maiusculis scriptus, cuius tantum fragmenta supersunt. *in altera vero editione Graeviana ex schedis Pighianis, quamquam minus emendate, profertur. Tantum vero abest, vt P. Manutius integrum ediderit, vt potius*

tius tabulam duntaxat marmoream superne fractam, neglectis et omissis tituli reliquiis indicauerit. E cuius verbis hanc solam expoliendi et pingendi *marmoris*, tabularumque pictarum *memoriam extricari posse puto. Fastos quippe tam ciuiles, quam sacros olim minio vel purpureo colore pingi solitos fuisse ex non vno Scriptorum veterum loco discitur. Sic* picti *occurrunt* Fasti *apud Ouidium* I. *Fast.* 11. *quos* Siccama (*Commentar. in Fastos Kal. Romani* p. 38. *Tom. VIII. Thes. Rom.*) de fastis ciuilibus *accipere videtur. Equidem per* praemia pictos signantia Fastos *non tam magistratuum, qui in ciuilibus notabantur Fastis, quam ludorum honores sacris Fastorum tabulis notatos intelligi malim, propter modo antegressa ibi* festa domestica. *quamquam non nego fastos etiam civiles rubro interdum colore distinctos fuisse videri, argumento vetustissimi illius Codicis, quem* Johannes Cuspinianus *inspexit, vid. Eius* in Cassiodorii *Consules Commentarium*, p. m. 99. *ed. Basileens.* 1553. fol. *Eamdem potestatem habent* purpurei fasti Martialis, XI. Ep. V. 5. et XII. Ep. XXVI. 5. *a praecipuo fastorum colore sic per eminentiam appellati. Eam ob causam legerim* Purpureis fastis, *non* Purpureos . . Proceres *in* Antholog. Latina V. Epigr. LXXII. 4. *vt vult* Burmannus, *subintelligens Consules. Non hi enim soli sunt purpura conspicui, sed omnes Senatores, quibus lati claui & togae praetextae ius est, vnde* Purpurei patres, *in illo* Statii *loco, vbi tres populi ordines commemorantur*, turmaeque, *hoc est equites*, tribusque, *id est, ordo plebeius, et* Purpurei Patres, *hoc est, Senatores. Eamdem ob causam, ni fallor*, Ausonius purpuram *pro* Fastis purpureis *posuit*, Epigrammat. I. p. 92. ed. Toll. Aggregat Ausoniis *purpura* consulibus. Sidonius *certe* Apollinaris VIII. Epist. VIII. *clare* fastos *dixit* purpurissatos. *Idem quoque adiunctum nescio an restitui possit* Claudiano, in Probini et Olybrii Consulatum, v. 279. Longaque *purpurei* ducent in Saecula fasti, *vbi nunc legitur* perpetui, *nisi forte* perpetuos *vel de continua inde a liberae ciuitatis primordiis Consulum serie, vel in perpetuum duraturis, saepiusque Probini & Olybrii fratrum germanorum nomina referentibus fastis accipias, qua in causa* perpetui *similes forent* plenis Fastis *a* Lucano VIII. 270. ὑπερβολικῶς *vsurpatis, quasi solo Marii nomine implerentur Fasti, secundum pulcherrimam ambitionis descriptionem apud* Senecam,

cam, I. de Ira c. XVII. fin. non eſt contenta honoribus annuis: ſi fieri poteſt, vno nomine occupare faſtos vult. *Vnde eſt* tantus ordo Faſtorum *apud eumdem Lucanum*, VIII. 818. *de Pompeio, qui tres Conſulatus geſſit in Faſtis notatos. Ad illam autem Faſtorum picturam ſpectare arbitror cadentis latinitatis verbum* titulare *in* Bucheriano *et* Lambeciano *Kalendario, vbi Furius Dionyſius Filocalus dicitur iſtud* titulaſſe. *Id vero verbum* Lambecius *in principio* Adnotationum ad Kalendarium *explicat alia locutione:* librum inſignire titulo, *vel* libri titulum pictura exornare. *Equidem non de libri duntaxat Epigraphe, huic Kalendario praemiſſa, ſed de ceteris quoque ſingulorum menſium picturis exponendum eſſe putauerim; ita quidem, vt liber* titulatus *idem ſit, qui picturis exornatus. Sic* nonnulli *apud* Martianum Capellam, I p. 15. per Zodiacum tractum domos animalibus titulaſſe, *hoc eſt, pinxiſſe dicuntur, prorſus eodem modo, vti Kalendarium Ruſticum Farneſianum exhibet Zodiacum animalibus titulatum:* et Filocalus titulauit, *nempe menſes, hoc eſt, ſingulorum menſium picturas adiecit.* —— *At enim, quod verum quis eſſe dicat de membranis Faſtorum purpureo colore illitis, argumento eorum, quae* Joh. Savaro *ad* Sidonium, l. l. p. 513. *et* Herm. Hugo de prima ſcribendi origine p. 104.—106. *obſeruauit, id in marmoribus locum habuiſſe neget alius. Verum, quantumuis locus* Plinii, XXXV. H. N. I. *nihil conficiat, vbi non de literarum et imaginum in marmoribus pictura agitur, ſed de arte* marmorum vnitatem, *vt loquitur Plinius*, variandi, *hoc eſt, marmora maculoſa, quae Claudio et Nerone principibus deficere coeperant, coloribus effingendi,* (*Cf. Blaſius Caryophilus de Antiquis Marmoribus* p. 72.) *tamen eiusmodi literarum picturae exemplum ſuggerit lapis Ancyranus, de cuius literis minio et auro diſtinctis teſtatur* Rich. Pocockius *in Deſcriptione orientis ſolis regionum, Part. II. Sect. I. p. m. 94. ed. Batauae Cramerianae: neque talis argumenti ſuperior hic Kalendarii titulus expers fuiſſe videtur, etſi qui ante ducentos & amplius annos marmor Maſſeianum primi ediderunt, nihil de veſtigiis colorum a ſe detectis monuerint. Cum vero* Blanchinius l. l. p. 11. *rationem inde concludit, Romanos ad deſignandas menſium ogdoades quatuor colores adhibuiſſe, album, praſinum, ruſſatum, & Venetum, vereor, ne haec*

fruſtra

frustra dicantur. Primum enim unus Fastorum color purpureus in veterum libris commemoratur, nec usquam anni quatuor tempestates variatis coloribus depictae occurrunt: deinde albo colore quemadmodum in marmore candido uti potuerint, non intelligo; praeterquam quod Cyclus Lunaris etiam sine coloribus ex literarum Ogdoade cognosci possit. —— *Praeter Kalendarium* Maffeianum *alia non minus memorabilia & Romam urbem pluribus in locis, et Colonias, Municipiaue Italiae publice affixa habuisse credibile est, cui rei documentum praestat*

(III.) Fragmentum Kalendarii, *duorum mensium* Augusti, & Septembris, *olim in aedibus viri nobilis* LAELII VALLAE, *sive* De la Valle, *postea in domo* CAPRANICORVM *conspicuum, quo sub nomine saepius post* Jacob. Mazochium *quidem in* Calendariis & Opusculis, Romae, 1509. *semel iterumque a* Fogginio *laudatis, quem librum fateor me numquam vidisse, apud* Aldum Manutium *in* Orthographiae Ratione, p. 421.—424. Fabricium, *in* Romae Manumentis, p. 197. 198. Gruterum, CXXXIV. Carolum Neapolim, *in fronte* Anaptyxeos ad Fastos Ovidii, Antwerpiae 1639. fol. *et* Jo. Georg. Graevium, *in* Thesauro Antiqv. Rom. Tom. VIII. p. 29. 30. prodiit. *Nunc idem extare apud* Caietanum Marinium *auctor est* Fogginius, *in* Monito p. 100. n. III. Blanchinius vero, l. l. p. 10. *hoc esse fragmentum* Kalendarii Venusini *existimat. Sed errasse virum doctissimum, omnes mecum confitebuntur, quotquot utriusque marmoris, &* Venusini, & Capranicorum *fragmenta inter se contendere non grauabuntur. Interim inspiciantur* Tabulae Fogginianae, p. 112. 113.

(IV.) Fragmentum Fastorum in EXQUILIIS ad Diuae Martinae, *siue rectius* Divi Martini in Montibus *repertum, mensis* Maii *et* Junii *reliquias continens, editum primo a* Jac. Mazochio *in* Calendariis & Opusculis, Romae 1509. *deinceps aliquoties repetitum, a* Martino *Smetio, in* Inscript. xxxvi. 1. Fabricio, *in* Roma, p. 180. 181. *non admodum tamen probabiliter* Kalendarii Maffeiani *mensibus insertum, item* Sibr. Siccama in Fastos Calendares Romanorum, c. I. p. 43. Tomi VIII. Thes. Ant. Rom. *tum* Grutero, cxxxv. 1. Hubert. Goltzio, *in* Thesauro rei antiquariae huberrimo, p. 204. ed. Antwerp. 1618. fol. & Carolo Neapoli, *in limine* Anaptyxeos ad Fastos Ovidii, Antwerp. 1639. fol.

fol. *In consilium simul vocetur* Fogginius, *cum in* Monito, p. 102. n. VI. *tum in* Tabulis, p. 109. 110.

(V.) Fragmentum Tabulae *marmoreae longum vncias mensurae Romanae xx. latum vncias* VI. *effossum Romae ad montem* Pincium, *vel* sub colle hortulorum, *vnde nunc vocatur* PINCIANVM, *particulas Fastorum maxime sacrorum* Iulii, Augusti, Septembris, *et* Octobris *mensium exhibens*, *a* Smetio, XXXVI. 3. Siccama, in Fastos Kalendares Romanorum, c. I. p. 42. Thes. Ant. Rom. Tomo VIII. Grutero, CXXXV. 2. Hub. Goltzio, *in* Thes. Rei Antiqu. p. 204. *descriptum*. Cf. Fogginius, in Monito, p. 102. n. VIII. *et in* Tabulis p. 111.—113.

(VI.) Frustum Kalendarii, Romae, apud Fulvium Vrsinum, *quod ipse* Fulv. Vrsinus *edidisse videtur in* Kalendario Rustico, Romae 1587. 8. *tum a* Leon. Gutenstenio *habuit* Gruterus, CXXXVI. 1. *inde* Neapolis *in limine* Anaptyxeos ad Fastos Ovidii, *et* J. G. Graevius *in* Thesauro Ant. Rom. Tom. VIII. p. 31. 32.

(VII.) Fragmentum Kalendarii, *Romae apud lapicidam inuentum*, *et in Museo* Vaticano *repositum*, *vnde vulgo:* VATICANVM, *aliquot duntaxat dies* Martii & Aprilis *complectitur*, *cuius reliquiarum meminit* Petr. Franc. Fogginius, *in* Monito, p. 102. n. X. *et in* Tabulis Calendariorum marmoreis, p. 107. & 108. *Columna* IV. et III.

(VIII.) Fragmentum marmoris FARNESIANI, *decem solum diebus* Februarii & Martii *notatum*, *translatumque e palatio Farnesiano ad campum Florae ad palatium itidem Farnesianum Transtiberinum*, *cuius notitiam praeter* Petr. Fr. Fogginium, *in* Monito, p. 102. n. VII. *et in* Tabulis Calendariorum, p. 106. 107. *Columna* III. *nemo*, *quantum sciam*, *dedit.*

(IX.) *duplex* Kalendarium RUSTICUM, *quadrato mamore*, *alterum olim hortorum* Angeli Colotii, *Episcopi Nucerini*, *vnde* COLOTIANUM, *postea aedium* Farnesianarum, *in campo Florae*, *vnde* FARNESIANUM, *alterum eiusdem quidem exemplaris*, *sed tribus tantum lateribus inscriptum in domo* Bernardini della Valle s. Vallarum, *in circo Flaminio*, *vnde* Kalendarium VALLENSE. *Ait* Georg. Fabricius, *in* Roma, p. 167. editum initio est a Jacobo Mazochio, tum ab Aldo Manutio. *Quod ad Mazochium attinet*, *cauendum existimemus*,

mus, hoc Kalendarium in eius Epigrammatibus legi. Tot enim illius libri folia non extant, qualia Blanchinius designat, pag. 266. & 270. *laudans, quae haud dubie sunt* Mazochii Calendariorum & Opusculorum, Romae 1509. *editorum. Idem vero vbi Aldus Manutius vulgauerit, me nescire fateor. In* Orthographia *certe eius*, & Quaesitis per Epistolam, *nullum eius vestigium superest. An eiusmodi quid contineant* Annotationes *eius in* Horatii Epodon Carmen II. *quod est de laudibus rei rusticae, pariter ignoro. Interim* Aldo II. Manutio *citius vnicum* Vallense, *quamquam mendis inquinatum, recensuit* Petrus Apianus *in* Inscriptionibus SS. vetustatis p. CCLXVI. *postea vero* Martinus Smetius *in* Inscript. XXXVII. *in literas retulit, qui* vtrumque Kalendarium plus centies se vidisse *testatur, mox* Georg. Fabricius, *in* Roma, p. 115. *ed. Basil.* 1550. 8. siue p. 167.—173. *ed. Basil.* 1587. 8. *porro* Fulvius Vrsinus *sigillatim adnotationibus illustrauit, Romae*, 1587. 8. vnde *exempla sua* I. G. Graevius, *in* Thesaur. Ant. Rom. Tom. VIII. p. 19.—28. *et* J. M. Gesnerus, *ad* Columellam Tomo II. Scriptor. Rei Rust. p. 851.—858. *sumserunt. deinceps plures alii, velut* Sibr. Siccama in Fastorum Kalendarium, *pagina, si numeres* 16.—18. *ed. Archetypae*, (*in renouata enim Graeviani Thesauri editione*, Tomo *VIII. desideratur*,) *item* Gruterus, CXXXVII.—CXXXIX. Jac. Boissardus, Antiquit. Part. III. p. 140.—142. Hub. Goltzius, *in* Thesaur. Antiquit. p. 205. 206. Carolus Neapolis, *ante* Anaptyxin in Fastos Ovidii, Kalendarium Rurestre *appellans*, Guil. Fleetwood, *in* Inscript. Antiqvar. Sylloge, p. 60.—63, *et, vt* Burmannus *ad* V. Epigr. LXXII. p. 361. *sibi persuadet*, plenius Henr. Sam. Schurtzfleischius, *in* Anno Romanorum Juliano, p. 368.—370. *quo si vsus est aduerbio, intuitu* Stewechii, *vera scripsit, sin Gruterum, et alios a me laudatos respexit, nemo certe maiorem accurationis laudem* Schurtzfleischio, *quam superioribus, tribuerit.* —— *De antiquitate et fide horum Kalendariorum valde diuersa sunt hominum eruditorum iudicia.* Jo. Saubertus, de Sacrificiis c. IV. p. 68. penitissimam, *inquit*, Kalendaria illa redolent antiquitatem. Julius *contra* Pontedera *in* Antiquitatum Latinarum Graecarumque Enarrationibus, Epistol. XLVI. p. 393.—398. Kalendarium Farnesianum, *tamquam* falsum, vanum, & barbarum *valde reprehen-*

dit. Petrus vero Franc. Fogginius, *in* Monito *ad* Verrii Flacci Fastos, p. 104. etsi minus perite, et sequiore aetate compositum esse non abnuit, *tamen* cum Iulio Pontedera supposititium existimare recusat contra veteris marmoris . . . adhuc exstantis, scalpturaeque eius fidem.—— *Id singulare est, vtrumque Kalendarium Zodiaci et mensium signa haud inscite depicta secum ferre, simul mensium singulorum tutelares Deos, Deasue indicare. In quibus tamen mensium simulacris et picturis non constans vbique ratio est. Paulum dissimilis saltem signorum status et series cernitur in typo Zonae statuae cuiusdam veteris apud* Hieron. Aleandrum, *in* Tabulae Heliacae Explicatione p. 748. *Thes. Ant. Rom.* Tom. V. *Alia mensium simulacra descripsit* Hadr. Junius de Annis et Mensibus c. IV. p. 218. *Thes. Ant. Rom. Tom. VIII. Alia, alii*, v. Io. Alb. Fabricius *in* Menologio. p. 95. & Burmannus ad Antholog. V. Epigr. LXXII. p. 360. 361. Tom. II. *In cuius vero Dei Deaeque tutela quisque fuerit mensis, nusquam aliud, vt reor, nisi hoc declarat monumentum. Scio quidem, quid* Petr. Morestellus, de diversitate Dierum apud Romanos, *in* Notis, ad L. II. Dial. I. p. 786. *Tom. VIII. Thes. Ant. Rom. scripserit*, singuli, *inquiens*, menses diis singulis erant dedicati, vnde apud Cardinalem Hippolytum Mediceum Romae fatetur se vidisse Pierius cippum marmoreum obrotundum, in quo duodecim numina pucherrimo opere circumsculpta sunt. *quod totidem verbis descriptum est ex Joannis Pierii Hieroglyphicis* L. XIV. c. XIII. *p. m.* 170. *Sed nusquam alicubi cippum illum Cardinalis Medicei relatum me legere memini. Turpiter vero se decipi passus est Saubertus de Sacrificiis* c. IV. p. 69. *ed.* Cren. *in his iam* Animadversionum Fragmentis p. 397. *a* Vaasseno *notatus, cum eamdem mensium tutelam approbare conatur* ex alia Inscriptione vetustissima, *quae nulla est, sed a* Godeschalco *primum, vt suspicor*, Stewechio, *in* Electis ad Arnobii L. V. p. 120. *ex fastis illis Rusticis contracta, deinde maiori confidentia a* M. Zuerio Boxhornio, *in* Animadversionibus ad Plutarchi Quaestiones Romanas, p. m. 135. ed. Lugd. 1637. 4. *vel* Thesauri Romani Tom. V. p. 1040. *consarcinata fuit.* ——

Vti autem vrbs Roma, et quicquid forte circa vrbem tribuum rusticarum fuit, suos habuit Fastorum sacrorum indices, sic Coloniae et Mu-

Municipia per Italiam similia sibi propria esse iusserunt monumenta, testibus Kalendariorum Fragmentis, passim erutis, & luce publica donatis, quae, si partim, inter se, partim cum Romanorum Kalendariis, nominatim marmore Maffeiano composueris, neutiquam ex vno, eodemque exemplari Romano, vt coniicit Blanchinius, l. l. p. 6. *idemque opinari videtur* Jo. Franc. Trutta, *apud* Fogginium, *in* Monito, p. 103. n. XI., *tanquam fonte, manasse reperies. Quamquam enim anni rationem a Julio & Octaviano Caesaribus emendatam in Fastis suis sequebantur Coloniae et Municipia, tamen singulis mensium diebus alia interdum, atque Romani, sacra alligarunt. Huius autem generis fuit uti* PRAENESTINVM, *in principio iam a me laudatum, sic*

(X.) Fragmentum Kalendarii AMITERNINI, *effossum quippe in* Amiterni Sabinorum *ruinis, iuxta oppidum Sancti Victorini, nunc Aquilae in Aprutio superstes, quinque mensium*, Julii, Augusti, Septembris, Octobris, Nouembris, et Decembris *particulas complexum, quod primum editore* Purpurino a Fauentia, Neapoli, 1686. 4. *innotescere coepit. Inde huius quidem viri docti, vt vocantur*, minuscula Commentaria *ab* Alb. Henr. de Sallengre *in* Novo Thesauro Tom. III. p. 865.—888. *typis recusa fuerunt, sed ipsa monumenti, quod fieri oportuerat, species non reddita.* Muratorius *vero, tametsi idem illud, quasi antea minime editum, e schedis Antonii Antinorii, Civis Aquilani, in lucem reduxerit in Novo Thesauro*, Tom. I. Tab. B. ad p. CL. *tamen a pluribus, quam quae Purpurinus commiserat, vitiis sibi non cauit. Recte igitur atque ordine fecit eruditiss.* Petr. Franc. Fogginius, *cum idem Kalendarium accurate rursus depingendum curaret, in* Monito, n. IV. ad Verrii Flacci Fastos. p. 100. *Cf. simul eiusdem* Tabulae Calendariorum p. 109. 110. Colum. II. & III.

(XI.) Fragmentum Kalendarii VENVSINI, *in agro quippe Venusino Apuliae egestum, duorumque mensium* Maii et Junii *dies designans, editum haud dubie primo a* Jacobo Mazochio *in* Calendariis et Opusculis A. 1509. *promulgatis*, p. 220. *deinde a* Georg. Fabricio *mixtum cum Fastis* Maffeianis, *in* Roma, p. 179.—181. *et tandem, quasi numquam antea lucem viderit, in censum minime cognitorum titulorum*

rum e schedis Ambrosianis a Muratorio relatum est, pag. CL. *Hoc Fragmentum idem, atque* Capranicorum, *esse suspicatur* Blanchinius, *sed nescio an iure. qua de re supra* n. III. p. XIX. *diuersa enim loca, meo quidem iudicio, vnius eiusdemque Kalendarii velut matres esse non possunt. Cf.* Fogginius, *in* Monito p. 102. n. IX. *et in* Tabulis Calendariorum p. 109. 110. Col. IV.

(XII.) Fragmentum Kalendarii ALLIFANITANI, *prope Allifas in Samnio A.* 1750. *repertum*, Julii*que*, & Augusti *dierum aliquot notas seruans*, *editum primo a* Josepho Antoninio, *deinde a* Johanne Francisco Trutta, & *tandem a* P. F. Fogginio *descriptum in* Monito ad Verrii Flacci Fastos, p. 102. n. XI. & *in* Tabulis Calendariorum. p. 111. 112. Column. V. & VI.

Atque haec quidem de Marmoreis *primi generis Fastis. Transeo ad* Membranaceos Chartaceos*ue eiusdem naturae Fastos. In his eminet:*

(I.) Kalendarium sex mensium, *in antiquis Fastorum* OVIDII *membranis obuium, in editionibus vero Ovidii* Heinsiana, Amstelod. 1661. 12. *Tomo III.* Cnippingiana, Amstelaed. 1683. 8. itidem *Tomo III.* & Burmanniana, *Tomo I. vulgatum*, *nec non a* I. G. Graevio Tomo VIII. Thes. Ant. Rom. p. 89. *recognitum*, *qui non modo* in *Praefatione* p. 378. *Praefat.* & *Epistol. ed. Fabricii* multa aliter in suo libro, quantumuis vitiose alicubi scripto, quam in vulgatis legi *exemplorum congerie demonstravit*, *sed etiam hoc Kalendarium ex Ovidianis Fastis ab imperito homine consarcinatum multis laborare erroribus significauit. Non immerito sane* Julius Pontedera, barbarum *habet*, in Antiquitatum Enarrationibus *suis* p. 398. *et* Vaassenus *noster*, *in* Animadverf. c. VI. p. 252. parum aut nihil *ipsi* fidei tribuit. *Huic simillimum, ne dicam par* & *geminum est*

(II.) Kalendarium Julii Caesaris, *hoc est*, sex priorum mensium, ex antiquo marmore, (*si diis placet*) inuento per Pomponium GAURICUM, *et* THAMYRAM, sub Capitolinis ruinis, cuius marmoris altera pars reliquos etiam sex menses sine Fastis continebat. *Hoc certe sub titulo*

titulo editi sunt primum a Jac. Mazochio *in* Calendariis & Opusculis, Romae, 1509. *tum ad calcem* Calendarii Ecclesiastici Novi, Venetiis, ex Juntarum officina 1552. *si fides habenda Seldeno de Iure Nat. & Gentium* L. III. c. 16. p. 387. *et tandem a* Georg. Fabricio *in* Roma p. 189.—197. *typis renouati sunt.* *Verumtamen totum hoc Kalendarium non modo numquam in marmore lectum, sed plane spurium, et a* THAMYRA, *nobili Romano, confictum esse verisimiliter docuit* Petr. Fr. Fogginius, *in* Monito, p. 104. *Interim parum abest, quin credam, idem esse, atque illud, quod* Philippus Gundelinus *secundum* M. Velserum *in* Epistola XXXI. ad Scaligerum p. 804. Oper. *cum Fastis Ovidianis Viennae Austriae copulasse dicitur, et quo, vel saltem eius excerptis* Gyraldus, *et* Junius *vsi esse ibidem perhibentur.* *Meminit quoque eius* Fabricius Bibl. Lat. L. IV. c. VI. p. 771. *Nec dissimilis farinae mihi esse videtur Kalendarium* Joh. Dempsteri *in* Paralipomenis ad Rosini Antiquit. Roman. *de quo supra ad n.* II. *quod neque marmoreum, neque vetus est, sed ab homine quodam docto ex Varrone, Ovidio, Plutarcho, Tacito, Festo, & aliis ita corrasum, ut nullam comminisci rationem possim, quare Graevius eiusmodi Hemerologio in* Thesauri *sui* Antiqu. Romanar. Kalendariis Tom. VIII. p. 115.—124. *locum concesserit.* *Antiquum vero sine controuersia est aliud membranaceum, licet serioris aeui.* - -

(III.) Kalendarium, *quod sub falso* Constantini M. *veriorique* Constantii Imperatoris *nomine circumfertur, Annoque* 354. *circiter confectum, et* Valentino *cuidam inscriptum, ab editoribus mox* HERWARTIANVM, *mox* BVCHERIANVM, *mox* LAMBECIANVM *appellari meruit.* *Primus enim* Johannes Georgius Herwart ab Hochenburg, *Septemviro imperii Germanici Bavarico a consiliis, aut sigillatim, aut in* Chronologia, *vt suspicor,* ad calculum Astronomicum, Monachii, 1612. 4. *sub Constantini M. nomine et titulo, sine mensium tamen imaginibus in lucem protulisse videtur, vnde hac forma migrauit in* Dionysii Petavii Vranologium, Paris. 1630. fol. p. 102. vel p. 67.—72. ed. Antwerp. 1639. fol. *tum in* Caroli Neapolis *Atrium* Anaptyxeos ad Fastos Ovidii, *et* Schurtzfleischii Annum Romanorum Julianum, p. 266.—278. *postea sub* Constantii Imperatoris *nomine non*

**** *sine*

sine lectionis quadam diuersitate ex Heriberti Rosweydi *schedis* (*argum.* p. 243. et 244.) *quasi antea prorsus inauditum cum septem duntaxat mensium picturis dedit* Aegidius Bucherius, *in* Commentario in Victorii Canonem Paschalem, quinto Opusculo. p. 275.—288. *vnde exemplum mutuatus est* Schurtzfleischius, l. l. p. 279.—289. *tandem plenissimum, omniumque cum mensium simulacris & Tetrastichis Ausonianis exhibuit* Petrus Lambecius, *in* Commentariis Bibliothecae Vindobonensis L. IV. Append. a. p. 275. seq. *e quibus idem, viri egregii Animaduersionibus illustratum, excerpserunt* Graevius, *in* Thesaur. Antiquit. Rom. Tomo VIII. p. 95.—113. *et* Schurzfleischius, l. l. p. 290.—302. *subiunctis quidem cum Lambecii, tum suis adnotationibus,* a p. 303.—320. & p. 320.—368. *sed neglectis et mensium Iconibus & Tetrastichis. Cf. hic omnino ipse Graevius in Praefatione,* Tomi VIII. *Thes. Antiqv. Rom.* p. 387. 388. *Praef & Epist. Fabricii. tum* Io. Alb. Fabricius Bibl. Lat. L. IV. c. VI. p. 771. s. Tom. I. vel p. 379. 380. Tom. III ed. Lipsiens. *et* P. Burmannus ad Antholog. V. Epigr. LXXII. p. 360. Tom. II. —— *Praeter haec Kalendaria membranacea* I. Alb. Fabricius Bibl. Lat. L. IV. c. 6. p. 772. Tom. I. *laudauit quoque*

„Calendarium vetus Romanum, compositum sub Valente Imperatore, et cum Commentario Hieronymi Aleandri editum. *quae verba* Cl. Ernesti *in editione Lipsiensi,* Tom. III. p. 380. *fideliter retinuit, addiditque,* vide et apud Fleetwoodum p. 60. *vbi profecto nullum est eiusmodi Kalendarium, sed Maffeeianum. Vndenam vero ista Fabricius acceperit, mihi non liquet. Dubium tamen non est, quin aliquid humani eo in loco passus sit vir* πολυμαθέστατος. *Nullum equidem novi Kalendarium sub Valente compositum, editumque cum H. Aleandri Commentario. Aleander quidem Commentationem in Kalendarium Constantianum, seu illud, quod sub Constantio est compositum, scripsisse dicitur, argumento* A. d. VIII. Kal. Januar. *qui in nullo alio Kalendario, nisi* Herwartiano, Bucheriano, Lambecianoue *sic notatur* Nat. inuicti. *Sed ea Commentatio numquam est edita, vnica duntaxat, sed pulchra eius obseruatione ad illum diem VIII. Kal. Jan. a* Philippo a Turre, de Mithra, c. VI. p. 222.—225. ed. Monum vet. Antii, Romae 1700. 4. *promulgata.* Valentis *autem illius Calendarii* erro-

errorem ex memoria Valentini, *cui* Furius Dionysius Philocalus *Kalendarium suum inscripsit, ortum esse suspicor.*

Talis igitur ratio fuit FASTORUM SACRORUM. *Succedunt* CIVILES, *hoc est*, CONSULARES, & TRIUMPHALES, *quos aeque* Marmora *atque* Chartae *ad posteros transmiserunt. In* Marmoreis *caput efferunt*

(I.) Fasti, *ut vulgo dicuntur*, CAPITOLINI, *quorum fidem, auctoritatem, et diligentiam* Sigonius, *in* Commentario in Fast. p. 6. opistogr. Marlianus, *in* Praefat. Commentariorum ad Annales Consulum, *& in* Commentar. p. 51. Ald. Manutius, *in* Orthographiae ratione p. 737. *&* Perizonius *laudat*, *in* Animadverf. Histor. c. III. p. 125. in marmore *inquiens*, Capitolino, cuius fides et testimonium in dubium vocari nequit, *immo ne* Harduinus *quidem, omnium ceteroquin probatissimae fidei librorum & monumentorum iniquissimus censor, tamen tabulis Capitolinis auctoritatem denegare ausus non est in* Chronologiae ex numis antiquis restitutae Prolusione de numis Herodiadum, Parisiis 1693. 4. p. 60. ex omni Latina, *inquiens*, antiquitate sincera esse monumenta praeter Inscriptiones admodum paucas, FASTOSQVE NONNVLLOS. *Per* Fastos *autem* nonnullos *eum alios intelligere non potuisse, nisi* Capitolinos *verisimiliter coniecit* A. Des Vignoles, *in* Epistola Chronologica aduersus Harduinum p. 243. 244. *Interim quae verba:* Fastosque nonnullos *in primaria illius Prolusionis editione clare leguntur, ea nescio an studio, et mala fide, omissa sunt in* Operibus Selectis p. 343. —— *Hi autem Fasti quem auctorem habuerint, aeque arduum est, ac, quo potissimum Romanorum principe incisi fuerint, definire, etsi* Robortellus, I. Emendat. c. 7. marmora Capitolina *credat* tempore Ti. Caesaris sculpta esse. *Id scimus*, Onuphrium Panvinium *prorsus falsum esse, cum* M. Verrii Flacci *nomen Fastis praescribendum esse iudicaret, in* Praefatione, A quibus Tabulae Capitolinae &c. *& in* Praefatione Appendicis Fastorum p. m. 87. *ed. Venetae* 1558. fol. *ubi diserte:* M. Verrii Flacci Capitolina, Consularia, triumphaliaque fragmenta suggeram. *aliosque secum viros eximie doctos in errorem traxisse, veluti* Ald. Manutium, *in* Orthograph. p. 738. Capitolini, *inquientem*, lapides scripti a Verrio Flacco, Grammatico doctissimo, *et* Jac. Perizonium,

nium, Animaduerſ. Hiſtor. c. VI. p. 215. *ſic ſcribentem:* Faſtorum auctor ſub eodem imperatore (*Auguſto*) Verrius Flaccus, qui omnes Romanorum triumphos diligentiſſime conquiſiuit. *Cum vero marmora Capitolina nomino, cavendum ſane eſt, exiſtimemus*, omnes eorum particulas vno temporis momento, hoc eſt A. 1547. (*ita enim diſerte* Panvinius, *in* Praefatione: A quibus Tabulae &c. *et* Marlianus *in* Praefatione *primariae editionis*, duobus *inquiens* annis praeteritis,) *non* 1546. *vt multi ſecundum Smetium et Gruterum CCLXXX.* 1. *falſo perhibent, caſu inuentas, impenſisque Alexandri Farneſii Cardinalis, Pauli III. Pontificis tum Maximi Nepotis, effoſſas fuiſſe; ſed nonnullas diu iam ante in lucem reuerſas priuatorum hominum aedes occupaſſe, ita quidem, vt non opus ſit, hac in cauſa* Ruperti *in* Epiſtola ad Reineſium XLIX. p. 425. *ſuſpicione, quantumuis idonea, & aliorum lapidum vſu exemploque comprobata, vti, quaſi primum inuentae, poſtea* ad alios vſus abduci, terra obtegi, & poſt aliquod tempus rurſus erui *potuerint. Sic quae apud* Marlianum n. 5. 20.—23. & n. 8. p. 26.—29. *deſcribitur portio, vnoque latere inſcriptos habet magiſtratus* ab A. 382.—395. *altero* ab A. V. 433.—446. *in circo Flaminio pro limine oſtii aedis S. Mariae de Publicolis primum inſeruiit, deinde ab aeditimo, antiquitatis forte ſtudioſo, fani muro affixa eſt, (teſte* Panvinio, *in* Praefatione: A quibus Tabulae &c.) *eam* Pomponii Laeti *aetate, quae eſt Anni* 1484. (*argum. Onomaſtici mei Part. II.* p. 491.) *inſpexiſſe videntur* Angelus Politianus, *&* Hermolaus Barbarus, Pomponii Laeti *diſcipulus. Ipſe certe* Pomponius Laetus *eius tabulae mentionem feciſſe videtur, vt intelligere mihi videor ex reſponſione* Angeli Politiani, *Florentia, IIII. Cal. Martias A.* 1488. *miſſa* L. I. *Epiſtol. vbi*, quam tabulam, *ait* bello Marſico factam, quae ſi eadem eſt, quam Romae obiter legerim, vereor, vt ſatis ex fide ſit exſcripta, ſiquidem AIMILIVS non AEMILIVS erat in ſaxo, quam eamdem Diphthongum etiam ſuper ipſa Panthei teſtudine notaueram. *Idem Fragmentum indicio* Pomponii Laeti *clarius denotauit* Hermolaus Barbarus *in* Caſtigationibus in Plinium, et Pomponium Melam, Romae editis, 1493. fol. *ad Plin. VII. Hiſt.* Nat. 9. *ſic ſcribens:* in tabula quadam antiquiſſima hodie oſtenditur Romae . . . iis verbis: CAESAR CLAVDIVS C. F.

F. AP. N. CAECVS C. PLAVTIVS C. F. C. N. QVI IN HOC DXXVI HONORE VENOX APPELLATVS EST. *Quamquam palam est, haec admodum oscitanter ab* Hermolao Barbaro *lecta fuisse. nam pro eo, quod est in fragmento* CENS. AP. *id est* CENS*ores* AP*pius &c. ipse* CAESAR, *et pro* L. F. XXVI. *hoc est, Lustrum Fecerunt* XXVI*mum*, *numeralem dedit notam* DXXVI. *litera* D *ex* L. F. *conflata. Vnde etiam ipse* Cl. Salmasius *in grauem incidit errorem, vt notauit* Rupertus *l. antea l. Eodem pacto ibidem* Hermolaus *ex* VENNO *prioris, et* CENS *alterius versus, cognomen* VENNOCENS *architectatus est, cum legendum esset* VENNO *siue* VENOX *et* CENS*ores. Neque alio loco ad* XIII. Plin. 13. *verba:* a Q. Petilio Praetore &c. *oblitus est monere, in illa tabula* POETELIVM *non* PETILIVM *legi. Vnde apparet,* Hermolaum *quidem* Barbarum *hoc fragmentum legere potuisse, reliqua vero omnia fragmenta nullo modo, vti credidisse videtur* Graevius, *ad* Sueton. Caes. c. I. ad voc. CAESAR p. 3. ed. eius, *quae post quinquaginta circiter annos demum quomodocunque in integrum restituta sunt. Totum vero istud fragmentum, etsi vitiose descriptum, et iisdem, quales modo ante notaueram in* CAESAR CLAUDIUS *rel. commaculatum sordibus esset, tamen absurdo satis sub titulo* Decreti *prodire iussit* Mazochius, *in* Epigr. Vrbis p. CXXI. & CXXII. *pretermissis simul in summa et infima marmoris parte duobus versibus, nouissimisque verbis, quibus* Q. Fabii Max. Rulliani *tertia Dictatura indicatur:*

DICT. REI GERVND. CAVSSA
MAG. EQ. SINE COS. FVERVNT
Q. FABIVS M. F. N. N. MAXIM. RVLLIAN. III.
L. VOLVMNIVS C. F. C. N. FLAMMA VIOLENS

quasi in cippo sepulcrali regionis Trivii, viridariique Andreae Episcopi Vallensis legerentur, alio, sed longe alienissimo loco recoctis. p. LXVI. quae supervacanea repetitio Steph. Vinand. Pighio *in* Annal. Rom. *ad A.* 466. p. 408. *nonnihil scrupuli attulit, vt subdubitaret, frustum illud ex Capitolinorum fastorum fragmentis, an aliunde esset. Par ratio fuit alius fragmenti duplicis in* Marlianeis, n. 10. p. 32.—

37. & n. 12. p. 38—45. *designati, quorum alterum nomina magistratuum ab A. V.* 489. vsque *ad* A. V. 496. *circiter, alterum vero ab A. V. circiter* 542. *vsque ad A. V.* 552. *complectitur. Id enim vltra viginti quoque annos citius* in pariete domus D. Francisci de Fabii *collocatum, & ab eodem Mazochio in Epigramm. Vrbis* CXLV. & CXLVI. *vulgatum est. Quidquid igitur sit, maxima tamen fastorum illorum pars Anno demum, vt demonstraui,* 1547. *casu inuenta, S. P. Q. Romano donata, & in area Palatii Capitolini hac Architectonices forma, quali etiamnunc cernitur, a* Michaële Angelo Bonarota *tum effecta, sic cum ceteris eius argumenti reliquiis, aliunde conquisitis, publice copulata fuit, vt haec fragmentorum Sylloge* Fastorum Capitolinorum *nomine dignissima iudicaretur. Hos vero* Bartholomaeus Marlianus, *Patricius Mediolanensis singulari, sed rarissimo hodie libello,* (v. *Onomast.* P. III. p. 169.) *primus edidit, cui titulus:* Consulum, Dictatorum, Censorumque Romanorum Series, vna cum ipsorum Triumphis, quae marmoribus scalpta in foro reperta est, atque in Capitolium translata. Impressum Romae K. Jan. 1549. 8. *Post diploma Pauli III. Papae, quo Marliano soli facultas dabatur hos magistratuum indices typis excudendi, et Praefationem ad Lectorem, ipsamque Monumenti Capitolini picturam, nihil aliud ibi occurrit, praeter meros et solos singulorum duntaxat marmorum titulos consulares & triumphales, non promiscue, sed separatim positos, illosque numeris, hos literis distinctos. Quo velut signo Romae sublato alii certatim viri docti ad huiusmodi tabulas, vel alicubi edendas, vel supplendas operam & studium contulerunt, tanquam* Carolus Sigonius, *primum* Mutinae, *tum* Venetiis, *teste Onuphr. Panvinio, in Praefatione ad Fastos,* primus, *inquiente,* Mutinae publicauit, hoc vnum sibi proponens, vt eas tabulas suppleret postea . . . Venetiis iterum elegantissimo addito commentario . . . diuulgauit. *Exemplo sane Marlianeo ad eam rem vsus Sigonius Fastorum Capitolinorum nomen primum* Mutinae 1550. fol. ex officina Gadaldina *latius manare iussit, hoc titulo:* Fasti Consulares ac Triumphi acti ab Romulo Rege usque ad Tiberium Caesarem. *Quam primam editionem Idibus Martiis dedicauit* Herculi II. Ferrariensium duci, *diuersisque literarum formis sua Supplementa a Fragmentis Capitolinis distinxit.* Tri-

Triumphos vero Magistratuum, quod factum nollem, suo quosque anno Fastis Consularibus interposuit, secus, atque in ipsis olim Tabulis habita fuit ratio, & a Marliano aliisque obseruatum est. Huic quoque editioni interpretatio, sed breuior, addita fuisse videtur, vt ex Dedicatione intelligere licet. Quo etiam nomine Steph. Vinand. Pighius *in Ann. ad A. DXXXII.* p. 134. Tom. II. *recte* Sigonium, vt antiquitatis omnis peritissimum, ita Capitolinorum Fastorum Commentatorem primum et doctissimum *vocauit. Paulo post idem vir egregius Fastos vberiori Commentario, additoque libro de Nominibus Romanorum promulgauit Venetiis, apud Paulum Manutium, Aldi F.* 1556. fol. *dedicauitque* Laurentio Priolo, Venetiarum Principi, *vbi scribit,* hac in re cum aliorum veterum monumentorum subsidio vsum esse . . . tum numorum multorum, quorum *sibi* Andreas Lauredanus . . . liberalissime copiam fecerit. *In qua iterata editione nonnulla eum mutasse patet ex eius* Defensione Scholiorum Livianorum de Ludis Saecularibus, p. 99. *Tom. VII. Livii Drackenborch. Inde Sigoniani Fasti alium subinde habitum & formam acceperunt, mox ab ipso eorum auctore denuo recogniti, velut tertia, ni fallor, editione Basileensi,* 1559. *additis quibusdam, immutatis, & omissis, (vnde fortassis illa* Perizonii *haesitatio in Animadv. Hist. c. III.* p. 122.) *aut quarta* Mutinensi, 1567. 8. (*si modo verus est numerus,* in *Catal. Bibliothecae Henr. Cannegieteri, Arnhem.* Octavo n. 466.) *tum post eius obitum in Operibus, Francof.* 1593. 1604. & *Hanoviae* 1609. fol. *collectis, & tandem* Mediolani 1732. fol. *a* Philippo Argelatio *digestis. vbi* Iosephus Maria Stampa *non modo Fastos ab Octaviani Caesaris morte vsque ad imperium Diocletiani et Maximiani produxit, sed variis etiam Obseruationibus, vtinam non levioris momenti, et puerilibus interdum, illustrare conatus est. Saepe enim inscitia* Stampae Vaasseno *nostro vapulauit in* Collectaneis MSS. ad Sigonii Fastos, *verbi gratia ad A. V.* 259. *vbi illam formulam* clauum figere, *explicuerat per* frenum ponere, aggerem obiicere, cohibere. *Sed haec obiter, redeo ex diuerticulo in orbitam. Ante vero, quam* Sigonius *iterum fastos Venetiis recenseret, inuidus eius industriae aemulus & obtrectator* Franc. Robortellus, Vtinensis, Marliani marmorum, *vt ait,* dispositionem per numeros signatam secutus *eosdem Fastos sine*

vllo

vllo tamen ſupplemento, Venetiis, 1555. 4. *deſcribendos curauit. Quam editionem, etſi omnium rariſſime obuiam nemo in dubium vocare poſſit, qui legerit, quae ipſe in* Dedicatione libri de Convenientia Supputationis Livianae annorum cum Marmoribus Romanis, quae in Capitolio ſunt, apud Innocentium Olmum, Patavii, 1557. fol. min. *ſcripſit, in priore Sigonii editione quam plurima fuiſſe errata, ipſi, vt iuueni, condonanda, ſi tantum ſibi non tribueret in ea re, nec cum Supplementis marmorum adieciſſet Diſputationem de Nominibus Romanis, vbi clam ſe carpere conatus eſſet, mox haec addens:* leuiter ob id non multo poſt hominem pupugi in Epiſtola, quam praepoſui Faſtis Romanis a me editis, vt me praelegente a meis auditoribus ſuppleri in Patavino Gymnaſio ante tres annos poſſent. In altera editione colligere multa ex meis ſcriptis ſtuduit, in quibus me lapſum eſſe demonſtrare conatus eſt. &c. *& in* I. Emendation. c. v. poſt illam, *inquit*, meam editionem Faſtorum Romanorum ſine Supplementis vllis, vt liberum eſſet mihi, & auditoribus ſupplere &c. — *Interea* Onuphrio Panvinio *circa idem tempus Venetiis commorante, idque potiſſimum agente, vt ſimilem Faſtis ordinandis Fragmentisque Tabulae Capitolinae apte complendis operam nauaret, ecce iucundam maturandae editionis eius laudem vel occupauit vel praenunciauit* Jacobus Strada, Mantuanus, *vulgatis ſuo aere et ſumtu* Faſtis et Triumphis Romanorum a Romulo Rege vsque ad Carolum V. Caeſarem Auguſtum, ſeu Epitome Regum, Conſulum, Dictatorum &c. ex Antiquitatum monumentis maxima cum fide ac diligentia deſumpta Onuphrio Panvinio, Veronenſi, F. Auguſtiniano, Authore. Venetiis MDLVII. fol. *Non tamen diſſimulauit fontem, vnde has copiolas ſuas hauſerat. In Dedicatione enim Maximiliano Regi Boiohemiae facta ſcribit*, Panvinium, *Cardinali Farneſio familiarem*, lapidum Capitolinorum aſpectu maiorem, quam ceteros, percepiſſe voluptatem, & cum longo annorum ſpatio temporisque iniuria exeſi et corrupti eſſent, de illis reſtituendis, ſupplendisque cogitaſſe, et ne rerum ordo confunderetur, triumphos, ovationesque a magiſtratibus ſeorſim ponendos iudicaſſe, *deinde* ex vniuerſa hiſtoria omnium a Tiberio tam orientalium, quam occidentalium Caeſarum perpetuam ſeriem vsque ad Carolum V. Caeſarem adiunxiſſe, *porro ait, ſe* ante tres annos Romae in Cardinalis Far-

Farnesii aula versatum, *cum Fastorum Panvinii* copia sibi facta esset, non destitisse, cum illinc *sibi* discedendum esset, donec Antonii Augustini opera illius exemplum sibi compararet, quod etiam Imperatorum imaginibus, quae ex antiquissimis ac verissimis numismatibus desumtae *essent*, illustrasse, *tandem* cum auctor ipse (*Panvinius*) librum editurus minime videretur, ad hanc editionem *se* inuitum paene *impulsum fuisse. Post Dedicationem sequitur ipsius* Onuphrii Panvinii *Praefatio ad Lectorem, in qua non modo oblique significauit, nec inscio nec inconsulto se, hanc a Strada susceptam esse editionem, seque* marmorum verba minio, (*quod sane singulare est in hac editione*) sua vero, quae addiderit, verba atramenti colore distinguenda curasse, *sed etiam promisit, se aliquando* aliud *adiuncturum esse* Volumen, in quo rerum omnium rationem sigillatim *redditurus esset. Id vero, quod contraxerat nomen proximo anno liberaliter dissoluit Panvinius*, Fastorum Libros V. a Romulo Rege vsque ad Imperatorem Caesarem Carolum V. Austrium Augustum adiunctis *in eosdem* Commentariis *euulgando* Venetiis, ex Officina Erasmiana Vincentii Valgrisii, 1558. fol. *quo in opere adornando hanc tenuit viam et rationem, vt vniversitatem libri* Alexandro Farnesio Cardinali, *tamquam monumentorum illorum auctori & instauratori consecraret, quinque vero singulares Commentariorum libros totidem virorum doctorum, qui fragmentis congerendis opera, studio, & consiliis praefuerant*, Antonii *videlicet* Augustini, *Episcopi Allifani*, P. Octavii Pantagathi, *Brixiani*, (*quem etiam inuidendis laudibus extollit in Commentarior. L. II. Fastor.* p. 390.) Benedicti Aegii, *Spoletini*, Gabrielis Faërni, *Cremonensis*, & Gentilis Delphini, *Romani*, *nominibus velut tutelaribus insigniret, addita novissimo loco* In Fastos Consulares Appendice, *quae* (1.) M. Verrii Flacci Tabulas Consulares et Triumphales, *exemplo Marliani secundum numeros et literas elementares descriptas*, a p. 13.—27. (2.) Cassiodorii Chronicon, p. 29.—47. (3.) Prosperi Aquitanici Cronicon, p. 48.—54. et (4.) Marcellini Comitis Chronicon *legendum offert. Biennio post idem ille* B. Marlianus, *qui superioribus annis nuda duntaxat fastorum monumenta publicis mandauerat literis, nunc eadem pariter atque Triumphos copiose illustrauit, librum suum, rarius obuium, hac Epigraphe ornans:* Annales Consulum, Dictato-

***** rum,

rum, Censorumque Romanorum a condita vrbe vsque ad Tiberium Caesarem *rel* Romae, ex Officina Antonii Bladii, 1560. fol. *In Dedicationis Epistola ad Pium IV. Pontificem missa, se iam ante decem annos hunc Commentarium confecisse narrat, quod etiam* Panvinius *in Praefatione*, A quibus Tabulae Capitolinae &c. *prope finem testari videtur*, Marlianus, *inquiens*, quantum ab eo cognovi, tabulas ipsas Capitolinas iam diu supplevit, opusque suum, quod ad Augusti vsque obitum pertinet, eleganti Commentario confirmauit. Quod an publicaturus sit, mihi incertum est. —— *Ipse vero* Marlianus *in Praefatione ad Lectorem ait*, se marmoris tabulam secutum Triumphos a Consulibus segregasse, & Annales tot versibus literisque maiusculis curasse exprimendos, vt in ipso marmore exarati sunt. *Vellem tamen aut colore, aut dissimili literarum forma, quae* χαρακτὴρ *graece dicitur, supplementa sua ab ipsis tabulae fragmentis distinxisset. Nisi enim discernendi signa adsunt, supplementa facile pro ipsis fragmentorum verbis arripiamus, necesse est, iisque maiorem, quam par est, auctoritatem tribuamus. Ita saltem* Paul. Manutius *ad Cic. IX. ad Div. Ep.* 21. Fastos Capitolinos *antestatus scribit, Praetorem primum Romae creari coeptum esse, cum nulla eius rei in Tabula occurrat mentio. Ceterum vti vsum se fuisse indicat duobus Livii codicibus scriptis Bibliothecae Vaticanae, quorum fide verba Livii interdum corrigit, sic non pauca minime contemnenda in Commentario suo ad Fastos obseruauit, quae alicubi frustra quaesiveris. Illud vero* συγχύσεως *literarum exemplum imitatus fuisse videtur, qui proximo statim Anno* 1561. *Fastos Capitolinos cum supplementis virorum doctorum typis Plantinianis* tabulae formula *emisisse dicitur* Steph. Vinand. Pighius. *Etsi enim hanc editionem nusquam vidi, aut ab alio, quam* Andrea Schotto *in Praefatione Tomo II. Annalium Pighii his verbis commemoratam legi*, adhaec, *inquiente*, Fastos integros, vt hodie in Capitolio Romae spectantur, vt sunt a doctis hominibus interpolati, editique olim a Pighio nostro Anno CIↃIↃLXI. typis Plantinianis forma tabulae; *tamen quoniam idem Schottus ait*, se eadem nunc characterum maiestate recusos secundo Annalium Tomo praemisisse, *non iniuria suspicor, illud A.* 1561. *exemplum ab his, qui cura Schotti Antwerpiae* 1615. *in limine Tomi II. Annalium*

pro-

prodierunt, Fastis Magistratuum Romanorum ab vrbe condita ad tempora Divi Vespasiani a Steph. Vinando Pighio *concinnatis haudquaquam diuersum fuisse videri. ideoque nescio an probabiliter fecerit* Graevius, *cum ipsorum fragmentorum loco hos* fastos a Pighio suppletis Capitolinis Fragmentis *restitutos*, *in quibus proprie nec fundus*, *nec norma est argumentationis historicae*, *in* Thesauri *sui* Antiquitatum Tom. XI. a. p. 173.—238. *repeteret. Non enim quaeritur*, *quid scribi & incidi potuerit*, *sed quid scriptum*, *residuumque ex antiquitate fuerit. Eodem modo qui* Fasti Magistratuum et Triumphorum Romanorum ab vrbe condita ad Augusti obitum *ab* Huberto Goltzio, Venloniano, *tam ingeniose*, *quam docte e numis & marmoribus compositi*, Brugis Flandrorum, 1566. *et postea ab* Andrea Schotto *restituti fuerunt*, Antwerpiae 1617. fol. *aeque minus pro Fastis Capitolinis habendi sunt*, *atque* Nomenclatura Consulum Romanorum e fastis Capitolinis *in limine* Romanae Historiae Scriptorum Graecorum minorum Friderici Sylburgii, Francofurthi, 1590. fol. p. 3.—61. *Sunt enim talia*, *riuuli*, *a fontibus ducti*, *et arcessiti*, *non fontes*, *quos solos nos consectari oportet. Recte igitur sola*, *quotquot supersunt fastorum fragmenta*, *ex ipsis lapidibus descripsit* Martinus Smetius, *Goltzii* aequalis, *et testis* αὐτόπτης *in* Inscriptionum Antiquar. Libro, fol. LX.—LXIIII. *& secundum eum* Gruterus, p. CCLXXXIX. —CCXCVII. *A quo toto illo tempore nemo marmorum illorum vel imaginem depingere*, *vel fidem nouis corroborare argumentis*, *vel hominum eruditorum Supplementa sub examen vocare conatus est praeter* Johannem Baptistam Piranesium, *cuius splendidissimam editionem Fastorum vti in Animadversionibus suis*, p. 2. 47. 314. *sic in Collectaneis ad Sigonii Fastos frequenter laudauit* Vaassenus. *Equidem non sum nescius*, *quid acumen industriaue virorum eruditissimorum* Ant. Pagii, Henr. Norisii, Franc. Blanchinii, Theod. Janson. Almeloweenii, Petri Relandi, *et* Muratorii, *Stampae aemuli*, *in* Novi Thesauri Inscriptionum Classe V. *ad Fastos Consulares vel digerendos*, *vel corrigendos*, *amplificandosue contulerit*, *sed quoniam illorum labor Tabularum Capitolinarum finibus latius patet*, *in hunc proprie interpretum*, *de quibus hic ago*, *censum societatemque venire non potest. Ideoque hanc inprimis laudem soli hodie* PIRANESIO *relictam esse comperi*, *quem vi-*

virum eximium tametsi ex Biörnſtählii Itinere, *Part. II.* p. m. 100. *ed. Batav. vbi nescio an recte* Pyraneſi *ſcribitur, tabularum radio ſcribendarum artificem eſſe cognoviſſem, variorumque de Magnificentia Architectonices Romanae operum auctorem fuiſſe aliunde didiciſſem, tamen quali potiſſimum libro de Faſtis Capitolinis eum bene meruiſſe fama percrebuerat, prorſus ignoraui. Maximam propterea gratiam illuſtriſſimo Comiti* Ottoni Frederico LYNDENIO, *omnium bonarum artium et antiquitatis maxime intelligenti per Batauiam Maecenati, nuper debui, cum pro ſolenni ſua humanitate hanc mihi Epigraphen petenti talibus concluſam verbis, beniuole indulgeret:* I. B. Piraneſii Lapides Capitolini, ſiue Faſti Conſulares, Triumphalesque Romanorum ab vrbe condita vsque ad Tiberium Caeſarem: Faſti Conſulares Romanorum a Romulo Rege vsque ad Tiberium Caeſarem: Notae, quae occurrunt in Faſtis compendii cauſa antiquitus vſitatae: Triumphi Romanorum vsque ad Tiberium Caeſarem: Index Conſulum per praenomina. Index Conſulum per Cognomina. Romae 1762. typis Generoſi Salomoni. fol. atlantico. — — *Jam quantum ex multarum & bonarum Obſervationum congerie intelligere potui, nullam dubitandi cauſam habeo, quin illis ſuperiorum temporum Scriptoribus, atque his praeſertim, quas inſpexit, Piraneſii tabulis ſuffultus de plurimis rerum nominumque Conſularium cauſis longe accuratius ſubtiliusque disputaturus fuiſſet* Vaaſſenus, *ſi telam, cuius ſtamina reliquit egregia, pertexere ei per fata licuiſſet. Interim quoniam longius, quam initio cogitauerum, iam oratio prouexit, reliquorum nunc* Faſtorum Conſularium, *ſeu* marmoreorum, *ſeu* Chartaceorum, *cenſu breviori defungar. Praeter* Faſtorum *enim* Tabulas, *quas hodie* Capitolinas *vocamus, in aliis eiusmodi monumentis, alicubi* Romae *propoſitis, ſummos magiſtratus & triumphos inciſos fuiſſe*, dubitare nos non ſinit

(II.) Faſtorum triumphalium Fragmentum, *A.* 1563. *effoſſum ad radices* Exquiliarum *in vinea D.* Ludovici Matthaei, *Romaque per* Nicolaum Florentium, *Batavum, Bruxellas miſſum fuit, cuius exempli tum participes facti Belgarum viri docti id ipſum promulgarunt, veluti primum* Hubert. Goltzius, *in* Faſtis & Triumphis Romanorum, p. 235. ed. Antwerp. 1617. fol. *tum* Martinus Smetius, *in* Inſcript. fol. LXIIII.

LXIIII. Steph. Vinand. Pighius, *in* Ann. ad A. V. DCXXX. p. 56. 57. Tom. III. *et* e Smetio Gruterus, CCXCVIII. 3. *Mirum ſane, ceteris iam tum fragmentis Capitolinorum marmorum non appoſitum fuiſſe. Seruatur autem in Muſeo Kircheriano, vnde nouum accuratiusque ſumſit exemplum* Gasp. Aloyſius Odericus *in* Coniecturis de Ocitirigis numo, Romae, 1767. 4. p. 15. ſ.

(III.) Tabula COLOTIANA, *Magiſtratuum, Conſulum ordinariorum & ſuffectorum, (vt recte iam vidit* Reimarus ad Dion. Caſſ. XLIX. 39. p. 597. Tom. I.) *nomina ab* A. V. 707. *indicans, ab* Angelo Colotio, *in cuius hortulis, vel aedibus olim ſpectabatur, ſic nuncupata eſt, vnde poſtea in Muſeum Gentilis Delphini commigrauit. Ibi vero deſcriptam ſic ediderunt viri eruditi, vt eorum exempla haud raro diſcrepent. Primus eam, tamquam Ciceronis aetate compoſitam, non admodum tamen emendate literis conſignatam protulit* Petrus Victorius, *in* Adnotationibus *ad Ciceronis VIII. ad Div. Ep. VIII. ad verba ex a. d. X. Kal. Martias, p. m.* 472. *& poſt Commentarium Pauli Manutii* p. 410. 411. *ed. Graev. eamdemque in ſchedis ſuis reliquit, vnde eam, quaſi nondum editam, in Donianis* V. 2. *ab A. F. Gorio repeti non erat opus. Mox* Carolus Sigonius lapidis, *vt ait,* Colotiani exemplum ad amuſſim deſcriptum *Commentario ſuo in Faſtos & Triumphos Romanos interpoſuit,* p. 133. 134. & 145. opiſtogr. *tum* Onuphrius Panvinius, *totidem paene* Sigonii *verbis vſus, itidem gloriatur, in Commentario in L. II. Faſtorum* p. 280. exemplum *a ſe* ad amuſſim ex ipſius tabulae marmoreo fragmento deſcriptum *eſſe. Quod ſi vere dixit, vndenam factum eſt, vt alterum eius exemplum in Appendice Faſtorum* p. 27. *a ſuperiori tantopere differret? A neutro certe* ad amuſſim *relatum eſſe marmoris titulum,* Marlianus *in* Commentario ad A. V. 707. *approbat,* „ Quidam, *inquiens, (is vero* quidam *eſt vel* Sigonius, „ *vel* Panvinius, *eoque ſub nomine ſaepius* Marliano *vapulat;*) hoc „ Fragmentum citat, aitque ex Tabula Colotii ad amuſſim deſcriptum, „ cuius exemplum cum animadvertiſſem, ab hoc noſtro longe diſtare, „ anceps, ne ego errauiſſem, ad marmoreum exemplar confugi, inue- „ nique, me omnia fideliter exſcripſiſſe, illum vero addidiſſe, quae „ non ſunt, et quaedam, quae ſunt in ea Tabula, omiſiſſe. Quod ſi

„ illius exemplum cum hoc noſtro contuleris, (ita ad amuſſim transpor-
„ tauit) ſeptem errores eum commiſiſſe intelliges, vt ſcias, quantum
„ illius ſcriptis credendum ſit, eſt enim plane imperitus." —— *Poſt*
Marlianum *eiusdem monumenti narratores fuerunt* Martin. Smetius, *in*
Inſcript. fol. LXIV. Aldus Manutius, in Orthograph. Ratione p. 420.
Steph. Vinand. Pighius, in Annal. ad A. V. 708. p. 458. Tom. III. qui
apud Gentilem Delphinum ſumma *ſe ait* illud ipſum cura deſcripſiſſe...
hoc etiam annotatu dignum *eſſe*, quod in eadem tabula M. Antonii no-
men eraſum fuerit, nempe cum hoſtis eſſet iudicatus a Senatu, ſed pos-
tea reſcriptum ac repoſitum. *item* Ian. Iac. Boiſſardus, Antiquitatum
Romanarum Part. VI. Tab. XI. *qui* in domo Marii Delfini *vidit*, *repe-
tiitque mutilum et quaſi decurtatum Tab.* 27. *et tandem* Gruterus,
CCXCVIII. 1.

(IV.) Fragmentum Faſtorum ROMANVM, *Conſules ab A. V.*
721. *vsque ad A. V.* 731. *hoc eſt ante C. N.* 32. *usque ad* 22. *edens*,
apud Murator. CCXCV. 2. *Anno ſcilicet V. DCCXX. qui vltimus fuit
Triumviratus*, Octavianus Caeſar *Conſules in octennium deſignauit.
Ideoque ita ſupplendum eſſe cenſeo:* AB IMP*eratore* CAESA*re conſu-
les deſignati CN. DOMITIVS et C. SOSIVS. Suffecti autem fuiſſe
videntur L. CORNELIVS et M. VALERIVS. Quare nota* SVF.
*inter Cornelium et Valerium ſcribenda ad marginem eſt, & ſic in alte-
ro laterculo ſupplenda ſunt nomina* SVF*fecti* L. *Seſtius*, A. 730. L.
ARRVN*tius*, A. 731. L. MVNAT*ius*, *non Conſul fuit, ſed Cenſor cum
Paulo Aemilio, argumento marmoris Colotiani apud Gruter. CCXCVIII.*
1. *altero latere. tum ſequitur* M. LOLLIV*s Conſul* A. 732.

(V.) Fragmentum Faſtorum, *quod Conſules ab A. V.* 726. *vsque ad
A.* 730. *ante Chriſtum natum A.* 27. *vsque* 24. *exhibet*, *a* Gorio, in
Donianis, V. 3. *e ſchedis autographis P. Victorii promulgatum, quod
tamen, neſcio quo iure, inſcribitur* Fragmentum Faſtorum Capitolinorum.
Neſciit autem Gorius, iam dudum hoc Fragmentum a Nicolao Flo-
rentio, *Batauo*, *Anno* 1570. *ad* Steph. Vinand. Pighium *miſſum fuiſ-
ſe, cuius opera idem titulus cum Supplemento prodiit in Annalibus, ad A.
V.* 726. *p.* 507. Tom. III.

(VI.) Fragmentum Muſei ALBANIANI, *trium annorum Conſules
ab*

ab A. V. 790. *vsque ad A.* 792. *boc est ab. A. C.* 38. vsque ad A. 40. *memoria recolens, apud* Murator. CCCIII. 3.

(VII.) Lapidea Tabula, *reperta Romae in aede noua S. Petri in* VATICANO A. 1596. *cuius titulum ad* Gruterum *transmiserat* Schottus. *Etsi vero in illa sedecim circiter Consulum paria, ab Anno quippe V.* 803. *usque ad A.* 971. *boc est ab A. C.* 52. *vsque ad* 219. *legantur, tamen existimaverim banc potius ad Sacerdotum, quam Consulum proprie Fastos pertinuisse, quemadmodum iam olim aliquid huiusmodi suspicatus erat* Marc. Velserus, *eiusdem exempli a* Schotto *particeps factus* in *Epistol.* LII. ad *Camerarium*, p. 851. 852. *Oper. Simile exemplum est apud* Fabrettum, VI. 188. & Muratorium, CCCL. 1. *Si mibi constaret, cuius Dei Deaeue templum eo in loco, vbi nunc est aedes nova D. Petri, olim fuerit, quale sacerdotii genus bic intelligi posset, verisimilis ad coniiciendum ratio foret. Hanc vero tabulam ad Sacerdotum Collegium quoddam respicere, verba* DEC. *et* COOPTATVS *indicare videntur.* Velserus l. l. Sacerdotes, *inquit*, in decurias tributos (*leg.* distributos) fuisse nullibi memini legere. *Enimvero quaedam Sacerdotum, tamquam Augustalium, Collegia in Decurias diuisa esse docet lapis* Gruteri MXVII. 5. *vbi Decuriae Magni Herculis, & Decuriae Augustalium, item MLXXXVIII.* 12. *qui longe emendatior est superiori CCCCXXII.* 4 *Sic Decuria Sacerdotum Bidentalium apud Grut XCVI.* 6. *Inde varii Decuriones, vt Decurio Augurum, Grut. CCCXLV.* 2. *Decurio Larum Volusianorum, Grut. CCCXIX.* 9. *Decurio Pontificum, Grut. CCCCLXXIX.* 8. *Decurio in sua aede lectus, Grut. CCCCXLVII.* 7. *ter in aede Decurio adlectus ex consensu Decurionum, Grut. CCCLII.* 3. *Inde quoque Adlectus supra numerum Sevirum Augustalium, Grut.* CCCCXLIX. 1. & CCCCLI. 4. *et Adlector Collegii ipsius, Grut.* LXXXIII. 14. *boc est, is qui nouos Sacerdotes in Collegium ex Scto* super, *vel potius* supra Numerum *adlegebat, vel cooptabat. Ita in boc tabulae Fragmento* M. Aurelius Antonius Caesar designatus, *qui meo iudicio est* Caracallus, supra Numerum cooptatus *dicitur. Eodem pacto Senatus, vt ad numerum Sodalium Augustalium forte ductorum extra ordinem adiiceretur* Claudius, *censuit, teste Suetonio in Claudio,* 6. *quo spectat memorabilis*

numus

numus a Gutherio I. de Iure Pontificio. c. IX. p. 21. Tom. V. *Thesaur. Ant Rom. laudatus. Nusquam autem edita est illa, quam indicaui, Tabula, nisi apud Gruterum*, CCC. 1. *cuius Consules ab H. Norisio in Epistola Consulari, a p.* 451. *Thes. Ant. Rom. Tom. XI. passim illustrantur. Id vero animadversione dignum est, in hac inprimis Tabula, praeter solennem Romanis morem annos Consulum nominibus definiendi, etiam Annos P. R. C. hoc est, Post Romam Conditam numeris designari. Quae annorum per numeros indicandorum formula libera ciuitate nusquam, si recte memini, nisi in Fastis Capitolinis, vel saltem rarissime Romanis placuisse videtur, labente vero tempore, & serua quidem sub Caesaribus re publica, ideo inualuit, quod propter suffectorum & honorariorum Consulum nomina conturbati quodammodo & confusi erant Fastorum indices, propterea vt de anno certius ipsis constaret, Epocham vrbis conditae appositam esse credo, praesertim in eiusmodi monumentis, vbi Sacerdotum in Collegia cooptatorum memoria servari ad posteros debuerat*, veluti *in his* Gruteri CCC. 1. 2. & Muratorii CCCL. *In titulis vero sepulcralibus, aut votiuis etiam illa aetate non nisi rarissime hanc obtinuisse consuetudinem mihi persuaserim. Ita occurrunt sane vel in numis, vel in lapidibus exempla, vnde annorum vrbis conditae per numeros computandorum ratio approbari possit. Sic* Scaliger *in* Animadversionibus ad Eusebii Chronicon, p. 211. *primus euulgavit numum* Sambuci *rarissimum, in cuius postica parte legebantur haec verba :* ANN. DCCCLXXIV. NAT. VRBIS. P. CIR. CON. S.C. *quorum sententiam vti non satis recte ceperat* Henr. Valesius, *ad* Ammian. Marcellin. XVI. c. X. p. m. 145. *ita feliciter interpretatus est* Ant. Pagius *in* Crit. Baron. ad A. c. 121. n. I. p. 106. 107. *ed. Luc. Confer. quoque* Everardi Audrichii Institutiones Antiquariae, Florent. 1756. 4. p. 69. et 284. seq. *Eodem pacto Viminacium, Coloniae iure ab Imperatore Gratiano insignita, Epocham suam in numis expressit* COL. VIM. AN. I. *scilicet ex quo Coloniae iure donata erat. de quo numo vid. Auctores ab* I. A. Hultmanno *laudatos in* Miscellan. Epigraphicis. p. 22. (e.) *Ad eum quoque modum lapides Romani subinde offerunt numeros annorum, tanquam* Gruterianus, XXVIII. 4. Coronam, *i. e. Circuitum vel Ambitum* Millesimi vrbis anni, *sub*

Phi-

Philippo quippe Augusto, ad quem locum vid. Boxhornius in Quaestion. Roman. Quaest. XVIII. p. m. 91. *Porro alius Gruteri* XXXIX. 5. Annum V. C. DCLXXIV. L. CORNELIO SYLLA (*Graeco more, pro* SVLLA) *Similiter alius* Gruteri CCXLVI. 1. *e* Mazochio, (Epigr. XXV. b) *vitiose descriptus*, *e Johanne vero Maria Catanaeo ad Plin.* IX. Ep. 13. *p. m. eius edit.* 312. *emendandus*, Annum ab vrbe condita DCCCXXIIII. *Adhaec alius denuo* Gruteri CCCLXXXVII. 3. post Caesariana tempora I. post Annos CCCLXXX. *de quo calculi genere vid. Massonus in Corrigendis p.* 332. *nec non* Fabretti, II. 165. Excessit Anno vrbis conditae DCCCXCVII. *Item vrbis Romae exemplo Coloniae computare solebant Ab Anno Coloniae deductae, vel Municipii conditi, vti* Interamna, Anno post Interamnam conditam DCCIV. *apud Gruterum* CXIII. 2. *Hispalis, in lapide, vbi Censura et Duoviratus bene et E. R. P.* (*e re publica*) *actus memoratur*, ANNO, *incertum cuius Epochae apud* Gruterum, CCCLXXX. 7. & Colonia Cilitana, AN*no* CV. *apud Shavium, in Itinere*, Tom. I. p. 190. *ed. Bat. et Maffeium Inscript. Veron.* CCCCLXII. 3. *Sed omnia haec monumenta aut sunt seriorum temporum, aut ambiguae fidei, quemadmodum Epigrapharum quatuor, veluti Gruteri,* XXXIX. 5. CXIII. 2. CCCLXXXVII. 3. & CCCLXXX. 7. *partim dubiae antiquitatis, partim spurias notauit* Maffeius in Art. Crit. Lapid. p. 276. 290. s. 328 & 327. Fabrettinus *etiam titulus mihi valde suspectus est propter quaesitas sententiarum & dictionis argutias, titulorum veterum simplicitate indignissimas. Nolim vero mihi obiiciat quispiam titulos Annorum liberae reipublicae indices, tamquam Annum* DC. A. V. C. *apud* Gudium LIV. 7. *aut: Annum Post Vrbem Conditam* DCXX. REMPublicam BELLO CIVILI (vel SERVILI *vt ap. Panvinium, in Fastis*, p. 256.) TVRBANTE, *apud Gruterum*, MLXXXIII. 1. *aut Annos Ludorum Saecularium in* Fragmentis *illorum* Ludorum, *qui vulgo, sed perperam, vt arbitror, Fastis Capitolinis adiunguntur apud Panvinium, in Fastis*, p. 106. *& de Ludis Saecularibus* p. 21. *quorum aliquo etiam vsus est* Scaliger de Emendatione Temporum, p. 486. *Sed omnis haec exemplorum Triga nihil persuadet. Haud enim vereor dicere, Gudianum lapidem aliquid secum adulterini ferre:* Gru-

****** teria-

terianam *vero Epigraphen aperte falsam esse, simili eius clausula in Gruteri Spuriis recurrente*, VIII. 1. 2. 3. *Inscriptiones vero Ludorum Saecularium Panvinium ex ingenio confinxisse. Fac autem germanae vetustatis esse* Operum Legem Puteolanam *apud Gruter.* CCVII. *vbi* AB COLONIA DEDVCTA ANNVS XC. *numeratur, qui in Annum vrbis* 648. *adeoque florentem adhuc rempublicam incidit, tamen nondum sequitur, vt quae annorum signandorum notae in Coloniis vsitatae fuerunt, easdem quoque illorum temporum cives in vrbe adhibuerint.*

(VIII.) Fragmentum Fastorum CAPPONIANVM, *Romae quippe hoc Saeculo effossum, & in aedibus Marchionis Alexandri Gregorii Capponii servatum, quatuor annorum, ab Anno Aerae vulgaris Christianae* 59. *vsque ad A.* 64. *Consules exhibens, quod primus, tamquam* ἀνέκδοτον *vulgauit* Ioh. Dominicus Mansius, *in Adnotation. ad Pagii Criticam Baronianam* A. 63. p. 601. (1.) *ed. Luc. tum e schedis* Jo. Joseph. Ramagginii, Muratorius, CCCV. 3.

Atque haec de Fastis Consulum Vrbanis. Sed habuerunt quoque nonnullae Italorum Coloniae & Municipia Fastos Consulum marmoreos. In quibus est

(IX.) CAPVANVM, *tabulae lapideae fragmentum, septem annorum ab A. V.* 719. *vsque ad A.* 726. *Consules tam Ordinarios, quam suffectos, adiunctis simul aliis magistratibus, velut Aedilibus, Quaestoribusque referens, Capuae quippe olim in Palatio vel Castro ducis Calabriae servatum. An eodem in loco etiamnunc superfit, dicere non habeo. Omnes enim quotquot hoc monumentum in medium protulerunt, non tam se vidisse illud, quam ex aliorum schedis decerpsisse fatentur. Primus edidisse videtur* Jac. Mazochius, *non* in Epigrammatis vrbis, *sed alicubi, fortassis in illis, quae antea laudaui,* Calendariis et Opusculis, *argumento* Hubert. Goltzii in Animadv. in Fastos, p. 286. *vbi*, et Fragmentum, *inquit*, quoddam antiquum Fastorum Consularium, & aliorum Magistratuum, quod inter Mazochiana legitur, in quo Caesare Augusto III. C. Valerio Messalla cos. Anno DCCXXII. C. Salvius Bubulcus Quaestor fuisse legitur. *Is vero Salvius Bubulcus nusquam legitur nisi in Capuano. E Mazochio vero,*

vt

vt suspicor, quamquam dissimulato eius nomine, non admodum saltem accurate repetiit Petr. Apianus, *in* Inscriptionibus SS. vetustatis p. CCCXV. *tum* Carolus Sigonius, *non plene, sed partite, variisque annis* ex libro veterum Inscriptionum, *in* Commentario in Fastos et Triumphos Rom. p. 141. *mox* Onuphr. Panvinius, *itidem minus accurate, in* Appendice Fastorum p. 27. *sub titulo*: Tabula Fastorum municipalium Petri Apiani. *Cf. eius Praefatio:* A quibus Capitolinae &c. *&* *Commentar.* p. 285. —287. *Praeterea* B. Marlianus *in suis* Annalibus Consulum *recensere non oblitus est* p. 100. *Ex eodem vero illo* Apiano, *sed alio ordine, incertum quo auctore vsus* Martin. Smetius, post fol. LXIIII. *Circa idem vel paulo ante id tempus* Steph. Vinand. Pighius *itidem* ex libro Inscriptionum antiquarum Marcelli Cervini, Cardinalis, *castigatius exemplum dedit* in Ann. ad A. 719. p. 494. 495. *Tom.* III. *cui tamen monumento cum titulum praemitteret:* TABELLA FACTA A BELLO MARSICO, *quasi in marmore olim incisum, vereor, ne verba scribae illius, qui in libro* Cervini *lapides collegerat, prisco tituli marmorei auctori affinxerit. Paulo post et* Apianeum *et* Smetianum *simul exemplum repetiit* Gruterus, CCIC. *et, quasi adhuc incognitum esset, non modo* A. F. Gorius, *in* Donianis, V. 4. ex MS. Fratris Iohannis Iucundi Veronensis, *sed ex iisdem quoque* Muratorius CCXCIV. *et* Sebast. Donatus *in* Supplemento ad Thesaurum Muratorianum, p. 155. 156. *adiuncta lectionis varietate typis renouarunt.*

(X.) Fragmentum marmoris CASINAS, *in agro Casinate erutum, antea in Museo Alexandri Albani, Cardinalis, nunc in aedibus Capitolinis superstes, Consulesque ab A. Aerae Christianae 67. vsque ad 75. recensens, primum in lucem exiit opera* Fabretti, VI. 159. p. 485. *dein studio* Franc. Blanchinii *in* adnotationibus ad Anastasii Bibliothecarii Vitas Romanorum Pontificum, Tom. II. p. 47. *et tandem ex eo* Muratorius, CCCIX. 3. *qui in margine exemplum huius Inscriptionis* Ciampinianum *laudat, incertum, schedas an librum quemdam Jo. Ciampini, vbi hic forsitan laterculus descriptus erat, inspexerit. Add.* Mansius *ad* Pagii Crit. Baronian. A. C. 67. p. 629. Tom. I. *ed. Luc.*

(XI.) Tabula *vero* aenea, *quae dicitur* Consularis, Duumviralis, De-

curialis, Fastorum Consularium, *Canusii in agro Apulorum reperta, & ab Abbate* Damadeno *illustrata, primum edita a* Sponio, V. II. Miscell. p. 280. *tum* Fabretto, IX. 9. postea cum Damadeni *adontationibus, sub titulo* Aeris Rediuiui, *in Thesauri Ital.* Tomo IX. Part. V. *& tandem a* Jo. Lamio, Damadeniani Commentarii *ignaro, sigillatim rursus sub indice:* Antiquae Tabulae aheneae in Museo Riccardiano asseruatae, Obseruationibus enodatae, Florentiae, 1745. fol. *nihil cum his, de quibus disserui, Fastorum Consularium fontibus necessitudinem habet.*

Praeter Marmoreos *vero Consulum Fastos sunt etiam* CHARTACEI *quorum non paucos olim vel auctores vel interpretes edunt libri veteres. Laudantur quidem apud* Macrobium CINCIVS *in eo libro, quem de Fastis reliquit*, FVLVIVS NOBILIOR *in Fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit*, NISVS *in commentario Fastorum*, CORNELIVS LABEO, *primo Fastorum*, I. Saturn. XII. & XVI. item MASVRIVS SABINVS, *Fastorum Secundo*, I. Saturn. IV. *Sed quin Fastos illi sacros non ciuiles interpretati sint, eorum locorum iunctura & cohaerentia dubitare vetat. Huius vero generis fuit* CHRYSORVS, *M. Aurelii Veri libertus, & Nomenclator*, ὁ Νομενκλάτωρ *apud* Theophilum Antiochenum, ad Autolycum, p. 137. ed. *Paris. vnde alium Fastorum Scriptorum* Cratorem *effinxit* Panvinius, *in Praefatione*: A quibus Tabulae Capitolinae &c. *folio si numeres, 6. et* Vossius, *de quo vide sis Fabricium* V. Bibl. Graec. c. I. p. 99. Vol. V. *Is vero*

(1.) CHRYSORVS Αναγραφὰς *Consulum & Magistratuum ab vrbe condita vsque ad mortem Patroni sui scripsisse dicitur. Post eum existimare quis possit*

(2.) EVSEBIVM, *eiusque interpretem latinum*

(3.) HIERONYMVM *in Chronico, Consulum seriem non neglecturum fuisse. Verumtamen res illi memoratu dignas vel per annos conditi orbis, vel Olympiades, successionesque Regum, et Augustorum ita digesserunt, vt raro aut liberae, aut obnoxiae Caesaribus reipublicae consulum meminerint.*

(4.) AVSONIVM *vero ab initio legum imperii vsque ad suum consulatum hoc est A. C. 379. Fastos concinnasse in suis ipse Carminibus testa-*

testatur (*vid Panvinius l. l.* et *Petr. Relandus in Fastis* p. 463.—465.) *quorum tamen nihil nobis reliqui, praeter libri memoriam, temporum iniuria fecit. Interim bonum factum, superesse nobis alios Scriptores, qui res secundum Consules exposuerunt. In his censeri debet*

(5.) PROSPERI AQVITANI *Chronicom, apud Panvinium in* Appendice Fastorum, l. supra l. *Scaligerum in Eusebii* Chronicon p. 188.—196. Canisium, in Lectionibus Antiquis, Tom. I. p. 275.—312. *et* Graevium *in* Thesauro Antiqvit. Rom. Tom. XI. a p. 284.—330. obvios, *cuius* Pars prima, *siue* Adnotatio Consulum cum Historia *incipit a Rufino Gemino & Rubellio Gemino COSS. hoc est, A. C.* 29. *vsque ad Valentem VI. et Valentinianum II. COSS. id est A. C.* 378. *altera vero* Pars orditur ab Ausonio et Olybrio COSS. i. e. A. C. 379. *et desinit in Herculano et Sporatio COSS. h. e. A.* 452. *vel, secundum librum Augustanum, in* Constantino & Rufo COSS. h. e. A. C. 457. *Addatur hic I. A. Fabricius, in Bibliograph. Antiqvar.* c. VII. §. V. Tum

(6.) VICTOR TVNVNENSIS, *qui* Prosperi Chronicon *itidem Consulum serie persecutus est a Theodosio XVIII. & Albino COSS. h. e. A.* 444. *vsque post Consulatum Basilii XVIII. i. e. A. C.* 559. *vid. Eusebii Cronicon Scaligeranum, a p.* 1.—12. *& Canisii Lection. Antiquar. Tom. I. p.* 321.—333. *Postea successit*

(7.) VICTORIVS, Aquitanus, Prosperi *descriptor, cuius* CANON *nouem Columnis absoluitur, secundoque ordine Consules, sed plerumque vitiose exhibet. vid. Aegid. Bucherius in Commentario de Doctrina Temporum, c. XIII. p.* 223. 227. seq. *Maioris momenti sunt*

(8.) FASTI IDATIANI, ab Idatio, *Episcopo Lemovicensi confecti, & a viris doctis, quos I. A. Fabricius in Indice Bibl. Lat. Tom. I. voc. Idatius, et in* Bibliographia Antiquaria, c. VII. §. V. *laudauit, editi. Eius Fastorum Consularium Pars orditur ab exordio Aureliani Augusti, Antiochiano & Orfito COSS. hoc est, A. C.* 270. *vsque ad obitum Honorii, Mariniano & Asclepiodoto, COSS. i. e. A. C.* 423. *Integri vero sub titulo* Descriptionis Consulum ex quo primum ordinati sunt, ad exemplar Codicis Parisiensis *recogniti locum inuenerunt in* Du

Cangii Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis a p. 439.—450. Hunc excepit

(9) Magn. Aurelius CASSIODORIVS, Prosperi & Victorii *descriptor*, (*vt recte dicitur Aegidio Bucherio, in Commentario ad Victorii Canonem c. XIII.* p. 227. 229. seq. *et Blasio Caryophilo de Thermis Herculanis* p. 23.) *in Chronico suo Consules inde a L. Iunio Bruto et L. Tarquinio Collatino, hoc est, A. V* 245. *vsque ad Fl. Eutharicum Cillicem, generum Theodorici Regis, & Iustinum Aug. h. e. A. C.* 519. *recensens.* in quo *Panvinius* in *Praefat. A quibus Tabulae* &c. p. 7. paulo maiorem diligentiam *se* desiderare *ait. Similem instituti rationem tenuit*

(10.) MARCELLINVS COMES *in Chronico suo, serius tamen ab Ausonio quippe & Olybrio COSS. hoc est A. C.* 379. *orsus, & in Anno post Consulatum Basilii XXV. h. e. A C.* 566. *desinens. Longe plenius Marcellino est, vetustiorumque simul temporum & rerum seriem aperit*

(11.) CHRONICON, *vt vulgo nuncupatur*, ALEXANDRINVM, *hoc titulo primum a Matthaeo Radero, Monachii*, 1615. 4. *editione, quae penes me est, ignorata Fabricio, et* 1624. 4. *sed postea veriori sub Epigraphe* Chronici PASCHALIS *a Du Cangio vulgatum, nisi forte cum* Vsserio, & *viro docto in* Miscellaneis Obseruationibus, Vol. II. Tom. II. p. 172. (†) CPOLITANVM apellare malis, *Per quod totum opus sparsi sunt, quos viri eruditi nomine* FASTORUM GRAECORUM *vel* SICULORUM, *ideo venire iubent, quod ab* Hieronymo Surita, in antiqua, *vt ait Panvinius* l. l. Bibliotheca in Sicilia *reperti in aliorum manus peruenerant. Ab Antonio autem Augustino habuit Panvinius: a Johanne Metello Sequano* Steph. Vinandus Pighius, *teste ipso in Ann. ad A.* CCL. p. 76. f. & *a Casaubono Iosephus Iustus Scaliger, ipso auctore* in fine Notarum in Graeca Eusebii, p. 430. *vnde non modo Scaliger, sed etiam Salmasius* ad Scriptores Historiae Augustae, Casaubonianos pariter, atque Siculos Graecosue *appellauit, secundum* Indicem *Auctorum Tomo I. praemissum. Editi autem sunt mox ampliores, inde a primis Consulibus Bruto &*

Col-

Collatino h. e. A. V. 244. *vsque ad post Consulatum Heraclii Augusti XVII. hoc est A. V.* 1380. *circiter, adeoque Christi* 627. *cum* a Frider. Sylburgio *in limine* Scriptorum Historiae Romanae Graecorum, Francof. Moen. 1588. fol. a. p. 2.—60. tum *in ipso* Chronico Alexandrino, *a* p. 384. *ed. Rad. & a Scaligero*, in Ἐπιτομῇ χρόνων, *a se confecta, sub titulo:* Ὀνομασίαι τῶν ἐν Ῥώμῃ ὑπάτων, a p. 248.—299. *mox contractiores & breuiores, ab initio quippe liberae Romanorum ciuitatis vsque ad Italicum et Trachalum COSS. id est, ab A. V.* 244. *vsque ad A. C.* 69. *Vespasiani Imperatoris auspicalem, ab Andrea Schotto in Pighii Annalium, Tomo II.* p. XXXII.—XXXVIII. *cum lectionis varietate, & in calce Chronici Alexandrini*, a p. 921.—942. *De hoc Chronico Alexandrino & Fastis Siculis*, vid. quoque Fred. Sylburgius *initio Praefationis* ad *Scriptores suos Graecos, I. A. Fabricius*, V. *Bibl. Gr. c. IV. p.* 142. 143. Vol. VI. ib. VI. Bibl. c. X. p. 636. 637. Vol. XIII. & *in Bibliographia Antiquaria* c. VII. §. IV. *recteque obseruauit* Perizonius in Animaduersion. c. X. p. 429. Graeco Fastorum Auctori solemne esse, Consules singulos ex variis, quae habebant nominibus vno tantum nomine notare.

In hanc consularium Scriptorum societatem adsciscі quoque vulgo solet JOHANNES ANTIOCHENUS, *cognomine Malalas, sed non meliori iure, quam ceteri serioris aetatis Chronographi, velut* PETRUS PISANUS, *qui mihi idem videtur esse atque* PETRUS DIACONUS, *Marianus* SCOTUS, (*de quibus v. Panvinius in Praefatione:* A quibus Tabulae &c. p. 7.) *et alii eius generis. Dum enim vetustiores Romanorum res undecunque corradebant, haudquaquam vel nominandi, vel in annorum ordines cogendi Consules opportunitatem subterfugere poterant. Sed aeque minus fontium dignitatem & fidem praestant, atque recentiores Fastorum conditores, tanquam* HENRICUS LORITUS GLAREANUS, *in* Chronologia Historiae Romanae, Livio *subiecta*, Basileae, 1535. fol. GREGORIUS HALOANDER, *in* Catalogo Consulum Romanorum, *itidem aut* Livii, Basil. 1543. fol. *aut* Codicis Iustinianei, Paris. 1558. 8. *comite, licet vterque a Panvinio in Praefatione saepius laudatis meritis ornatus laudibus, aut* JO. LEUNCLAVIUS *in Consulum Syllabo singulis Dionis Cassii libris*

libris praemisso, quantumuis nonnulli hoc, quasi a manu Dionis profecto, abusi esse ferantur. v. Blasius Caryophilus de Thermis Herculanis p. 23. *Summo contra iure in hunc censum venit*

(12) Johannes CVSPINIANVS, *itidem laudibus Panvinii l. l. celebratus, non quod suo nomine sententiae dicundae locum tueri possit, sed propter duo tresue antiquos Fastorum Auctores, quos saepius in partes vocat, censendi auctoritatem sibi vindicat.* DUOS *enim inquit*, habeo ignotos, et sine nomine auctores, quorum alter COSS. solis nominibus, a Bruto & Collatino primis COSS. vsque ad Theodosii II. (*forte* III. *leg. Octavus enim Consulatus Honorii, Theodosii secundo non respondet*,) et Honorii VIII. consulatum ponit: alter vero COSS. cum praefectis vrbis a temporibus Gallieni ad Julianum vsque enumerat, *ad A. V.* 1067. *Christi* 317. *p. m.* 489. *ed. Basil.* 1555. *fol. Primum igitur librum, qui consulum nomina ab A. V.* 246. *vsque ad A. V.* 1162. *h. e. A. C.* 409. *exhibebat, mox appellauit* vetustissimum codicem, cuius auctor ignoratur, qui sola nomina Consulum ponit, ab eiectis regibus ad Gothorum tempora, & a quibusdam censetur esse Pauli Orosii, *ad A. V.* 248. *p.* 99. *mox:* peruetustum exemplare sine titulo auctoris, ad A. V. 266. p. 190. *mox:* Opusculum incerti auctoris, quod quidam Orosio (*quamquam, vt reor, minus verisimiliter*,) attribuunt, *ad A. V.* 483. *p.* 580. *mox:* auctorem ignotum, vbi sola nomina Consulum cum diebus & Epactis scribuntur, ad A. V. 789. p. 580.

Vtinam vero illum non tam singulis quibusdam in causis, vt ait Cuspinianus, citasset, *id est suis in Cassiodorii Consules Commentariis confuse dispersum immiscuisset, quam orationis continuatione descripsisset. Sic enim* Aegidio Bucherio *non opus fuisset* Cuspiniani heredes aut amicos obtestari, (*p.* 246.) vt, si membranas illas adhuc habeant, publico non invideant. *Interim bonum factum, illius membranae duo exempla viris egregie doctis postea contigisse, alterum* Aegidio Bucherio, *alterum* H. Norisio. *Atque illud quidem etsi ab initio non ita plenum sit, incipiens quippe demum ab Antonino II. & Geta COSS. h. e. A. C.* 205. *tamen quoad calcem similibus temporibus atque Cuspinianeum exemplar clauditur, si scilicet Paschalem* CENTUM ANNORUM

RUM LATERCULUM, inde a Conſtantino II. & Licinio II. h. e. A. C. 312. *vſque ad Varanem* A. 410. *procedentem, in eademque membrana inuentum, ſed a Bucherio iure diſcretum*, p. 252.—255. *et a* Du Cangio *ſeparatim poſitum in* Selectis ad illuſtrationem Chronici Paſchalis, p. 470. 471. *cum ſuperiori Conſulum indice, vt Cuſpinianus videtur feciſſe, copulaveris. Vtriusque autem monumenti rationem habuit Aegidius Bucherius in Commentario ad Victorii Canonem*, p. 247.—251. & p. 252.—255. *et ſecundum eumdem memoriam recoluerunt* Du Cangius, *in* Selectis ad illuſtrationem Chronici Paſchalis, p. 463.—466. et *Graevius*, in Theſauri Antiqv. Rom. Tom. XI. p. 392.—396. *Alterum a principio longe integrius, initium quippe capiens ab A. partae Romanorum libertatis*, 246. *neque tamen aut emendatum ſatis, aut tam late patens, atque Cuſpinianus ſuum eſſe indicauerat, (deſinit enim in conſulibus anni C. 354.) ex Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi ſubminiſtratum fuit* Cardinali Noriſio, *eiusdemque opera lucem vidit in calce Anni et Epocharum Syro-Macedonum, vnde itidem Graevius typis repetendum eſſe iudicauit in* Theſauri Ant. Rom. Tom. XI. p. 331.—360. *Atque hi* Faſti *vulgo dici ſolent vel* Anonymi, *vel* Caeſarei, *apud* Petr. Relandum, *in* Faſtis p. 3. *& paſſim alicubi. Vti Laterculus ille Paſchalis his notis apud eundem occurrit* Paſchal. laterc. p. 288. *recteque G. Cuperus* in Epiſtola Critica ad Almeloveenium, n. VI. p. m. 30. *animadvertit, in his Faſtis Noriſianis Conſules aliquando ſuffectos commemorari, omiſſis ordinariis.*

Quem vero Cuſpinianus alterum *deſignauit libellum, non modo l. ante laudato, ſed etiam inprimis ad A. C.* 258. p. 469. *quo conſulum nomina cum Praefectis vrbi continebantur, ſine nomine autoris a temporibus* Valeriani & Gallieni, *hoc eſt, A. C.* 254. *vſque ad* Conſtantium Auguſtum VII. *id eſt. A. C.* 354. *eumdem eſſe credo, atque Bucherianum exemplum, in eius Commentario ad Victorium*, p. 236.—241. *obvium, typisque renovatum cum a Du Cangio in Selectis ad illuſtrationem Chronici Paſchalis*, p. 466.—468. *tum* a Graevio *in* Theſ. Ant. Rom. Tom. XI. p. 387.—390. *ipſumque libri Cuſpinianei initium & finis docet.*

numus a Gutherio I. de Iure Pontificio. c. IX. p. 21. Tom. V. *Thesaur. Ant Rom. laudatus. Nusquam autem edita est illa, quam indicaui, Tabula, nisi apud Gruterum*, CCC. 1. *cuius Consules ab II. Norisio in Epistola Consulari, a p.* 451. *Thes. Ant. Rom. Tom. XI. passim illustrantur. Id vero animaduersione dignum est, in hac inprimis Tabula, praeter solennem Romanis morem annos Consulum nominibus definiendi, etiam Annos P. R. C. hoc est, Post Romam Conditam numeris designari. Quae annorum per numeros indicandorum formula libera ciuitate nusquam, si recte memini, nisi in Fastis Capitolinis, vel saltem rarissime Romanis placuisse videtur, labente vero tempore, & serua quidem sub Caesaribus re publica, ideo inualuit, quod propter suffectorum & honorariorum Consulum nomina conturbati quodammodo & confusi erant Fastorum indices, propterea vt de anno certius ipsis constaret, Epocham vrbis conditae appositam esse credo, praesertim in eiusmodi monumentis, vbi Sacerdotum in Collegia cooptatorum memoria seruari ad posteros debuerat*, veluti *in his* Gruteri CCC. 1. 2. & Muratorii CCCL. *In titulis vero sepulcralibus, aut votiuis etiam illa aetate non nisi rarissime hanc obtinuisse consuetudinem mihi persuaserim. Ita occurrunt sane vel in numis, vel in lapidibus exempla, vnde annorum vrbis conditae per numeros computandorum ratio approbari possit. Sic* Scaliger *in* Animadversionibus ad Eusebii Chronicon, p. 211. *primus euulgavit numum* Sambuci *rarissimum, in cuius postica parte legebantur haec verba:* ANN. DCCCLXXIV. NAT. VRBIS. P. CIR. CON. S.C. *quorum sententiam vti non satis recte ceperat* Henr. Valesius, *ad* Ammian. Marcellin. XVI. c. X. p. m. 145. *ita feliciter interpretatus est* Ant. Pagius *in* Crit. Baron. ad A. c. 121. n. I. p. 106. 107. *ed. Luc. Confer. quoque* Everardi Audrichii Institutiones Antiquariae, Florent. 1756. 4. p. 69. et 284. seq. *Eodem pacto Viminacium, Coloniae iure ab Imperatore Gratiano insignita, Epocham suam in numis expressit* COL. VIM. AN. I. *scilicet ex quo Coloniae iure donata erat. de quo numo vid. Auctores ab* I. A. Hultmanno *laudatos in* Miscellan. Epigraphicis. p. 22. (e.) *Ad eum quoque modum lapides Romani subinde offerunt numeros annorum, tanquam* Gruterianus, XXVIII. 4. Coronam, *i. e. Circuitum vel Ambitum* Millesimi vrbis anni, *sub Phi-*

Philippo quippe Augusto, ad quem locum vid. Boxhornius in Qvaeſtion. Roman. Quaeſt. XVIII. p. m. 91. *Porro alius Gruteri* XXXIX. 5. Annum V. C. DCLXXIV. L. CORNELIO SYLLA (*Graeco more, pro* SVLLA) *Similiter alius* Gruteri CCXLVI. 1. *e* Mazochio, (Epigr. XXV. b) *vitioſe deſcriptus, e Johanne vero Maria Catanaeo ad Plin.* IX. Ep. 13. *p.m. eius edit.* 312. *emendandus*, Annum ab vrbe condita DCCCXXIIII. *Adhaec alius denuo* Gruteri CCCLXXXVII. 3. poſt Caeſariana tempora I. poſt Annos CCCLXXX. *de quo calculi genere vid. Maſſonus in Corrigendis p.* 332. *nec non* Fabretti, II. 165. Exceſſit Anno vrbis conditae DCCCXCVII. *Item vrbis Romae exemplo Coloniae computare ſolebant Ab Anno Coloniae deductae, vel Municipii conditi, vti* Interamna, Anno poſt Interamnam conditam DCCIV. *apud Gruterum* CXIII. 2. *Hiſpalis, in lapide, vbi Cenſura et Duoviratus bene et E. R. P.* (*e re publica*) *actus memoratur*, ANNO, *incertum cuius Epochae apud* Gruterum, CCCLXXX. 7. & Colonia Cilitana, AN*no* CV. *apud Shavium, in Itinere*, Tom. I. p. 190. *ed. Bat. et Maffeium Inſcript. Veron.* CCCCLXII. 3. *Sed omnia haec monumenta aut ſunt ſeriorum temporum, aut ambiguae fidei, quemadmodum Epigrapharum quatuor, veluti Gruteri,* XXXIX. 5. CXIII. 2. CCCLXXXVII. 3. & CCCLXXX. 7. *partim dubiae antiquitatis, partim ſpurias notauit* Maffeius in Art. Crit. Lapid. p. 276. 290. ſ. 328 & 327. Fabrettinus *etiam titulus mihi valde ſuſpectus eſt propter quaeſitas ſententiarum & dictionis argutias, titulorum veterum ſimplicitate indigniſſimas. Nolim vero mihi obiiciat quispiam titulos Annorum liberae reipublicae indices, tamquam Annum* DC. A. V. C. *apud* Gudium LIV. 7. *aut: Annum Poſt Vrbem Conditam* DCXX. REMPublicam BELLO CIVILI (vel SERVILI *vt ap. Panvinium, in Faſtis*, p. 256.) TVRBANTE, *apud Gruterum*, MLXXXIII. 1. *aut Annos Ludorum Saecularium in* Fragmentis *illorum* Ludorum, *qui vulgo, ſed perperam, vt arbitror, Faſtis Capitolinis adiunguntur apud Panvinium, in Faſtis*, p. 106. *& de Ludis Saecularibus* p. 21. *quorum aliquo etiam vſus eſt* Scaliger de Emendatione Temporum, p. 486. *Sed omnis haec exemplorum Triga nihil perſuadet. Haud enim vereor dicere, Gudianum lapidem aliquid ſecum adulterini ferre:* Gru-

terianam *vero Epigraphen aperte falsam esse, simili eius clausula in Gruteri Spuriis recurrente*, VIII. 1. 2. 3. *Inscriptiones vero Ludorum Saecularium Panvinium ex ingenio confinxisse. Fac autem germanae vetustatis esse* Operum Legem Puteolanam *apud Gruter.* CCVII. *vbi* AB COLONIA DEDVCTA ANNVS XC. *numeratur, qui in Annum vrbis 648. adeoque florentem adhuc rempublicam incidit, tamen nondum sequitur, vt quae annorum signandorum notae in Coloniis vsitatae fuerunt, easdem quoque illorum temporum cives in vrbe adhibuerint.*

(VIII.) Fragmentum Fastorum CAPPONIANVM, *Romae quippe hoc Saeculo effossum, & in aedibus Marchionis Alexandri Gregorii Capponii servatum, quatuor annorum, ab Anno Aerae vulgaris Christianae 59. vsque ad A. 64. Consules exhibens, quod primus, tamquam* ἀνέκδοτον *vulgauit* Ioh. Dominicus Mansius, *in Adnotation. ad Pagii Criticam Baronianam* A. 63. p. 601. (1.) *ed. Luc. tum e schedis* Jo. Joseph. Ramagginii, Muratorius, CCCV. 3.

Atque haec de Fastis Consulum Vrbanis. Sed habuerunt quoque nonnullae Italorum Coloniae & Municipia Fastos Consulum marmoreos. In quibus est

(IX.) CAPVANVM, *tabulae lapideae fragmentum, septem annorum ab A. V. 719. vsque ad A. 726. Consules tam Ordinarios, quam suffectos, adiunctis simul aliis magistratibus, velut Aedilibus, Quaestoribusque referens, Capuae quippe olim in Palatio vel Castro ducis Calabriae servatum. An eodem in loco etiamnunc superfit, dicere non habeo. Omnes enim quotquot hoc monumentum in medium protulerunt, non tam se vidisse illud, quam ex aliorum schedis decerpsisse fatentur. Primus edidisse videtur* Jac. Mazochius, *non* in Epigrammatis vrbis, *sed alicubi, fortassis in illis, quae antea laudaui,* Calendariis et Opusculis, *argumento* Hubert. Goltzii in Animadv. in Fastos, p. 286. *vbi*, et Fragmentum, *inquit*, quoddam antiquum Fastorum Consularium, & aliorum Magistratuum, quod inter Mazochiana legitur, in quo Caesare Augusto III. C. Valerio Messalla cos. Anno DCCXXII. C. Salvius Bubulcus Quaestor fuisse legitur. *Is vero Salvius Bubulcus nusquam legitur nisi in Capuano. E Mazochio vero,* vt

vt suspicor, quamquam dissimulato eius nomine, non admodum saltem accurate repetiit Petr. Apianus, *in* Inscriptionibus SS. vetustatis p. CCCXV. *tum* Carolus Sigonius, *non plene, sed partite, variisque annis* ex libro veterum Inscriptionum, *in* Commentario in Fastos et Triumphos Rom. p. 141. *mox* Onuphr. Panvinius, *itidem minus accurate, in* Appendice Fastorum p 27. *sub titulo*: Tabula Fastorum municipalium Petri Apiani. *Cf. eius Praefatio:* A quibus Capitolinae &c. *& Commentar.* p. 285. —287. *Praeterea* B. Marlianus *in suis* Annalibus Consulum *recensere non oblitus est* p. 100. *Ex eodem vero illo* Apiano, *sed alio ordine, incertum quo auctore vsus* Martin. Smetius, post fol. LXIIII. *Circa idem vel paulo ante id tempus* Steph. Vinand. Pighius *itidem* ex libro Inscriptionum antiquarum Marcelli Cervini, Cardinalis, *castigatius exemplum dedit* in Ann. ad A. 719. p. 494. 495. *Tom.* III. *cui tamen monumento cum titulum praemitteret:* TABELLA FACTA A BELLO MARSICO, *quasi in marmore olim incisum, vereor, ne verba scribae illius, qui in libro* Cervini *lapides collegerat, prisco tituli marmorei auctori affinxerit. Paulo post et* Apianeum *et* Smetianum *simul exemplum repetiit* Gruterus, CCIC. *et, quasi adhuc incognitum esset, non modo* A. F. Gorius, *in* Donianis, V. 4. ex MS. Fratris Iohannis Iucundi Veronensis, *sed ex iisdem quoque* Muratorius CCXCIV. *et* Sebast. Donatus *in* Supplemento ad Thesaurum Muratorianum, p. 155. 156. *adiuncta lectionis varietate typis renouarunt.*

(X.) Fragmentum marmoris CASINAS, *in agro Casinate erutum, antea in Museo Alexandri Albani, Cardinalis, nunc in aedibus Capitolinis superstes, Consulesque ab A. Aerae Christianae* 67. *vsque ad* 75. *recensens, primum in lucem exiit opera* Fabretti, VI. 159. p. 485. *dein studio* Franc. Blanchinii *in* adnotationibus ad Anastasii Bibliothecarii Vitas Romanorum Pontificum, Tom. II. p. 47. *et tandem ex eo* Muratorius, CCCIX. 3. *qui in margine exemplum huius Inscriptionis* Ciampinianum *laudat, incertum, schedas an librum quemdam Jo. Ciampini, vbi hic forsitan laterculus descriptus erat, inspexerit. Add.* Mansius *ad* Pagii Crit. Baronian. A. C. 67. p. 629. Tom. I. *ed. Luc.*

(XI.) Tabula *vero* aenea, *quae dicitur* Consularis, Duumviralis, Decurialis,

curialis, Fastorum Consularium, *Canusii in agro Apulorum reperta, & ab Abbate* Damadeno *illustrata, primum edita a* Sponio, VII. Miscell. p. 280. *tum* Fabretto, IX. 9. postea cum Damadeni *adontationibus, sub titulo* Aeris Rediuiui, *in Thesauri Ital.* Tomo IX. Part. V. *& tandem a* Jo. Lamio, Damadeniani Commentarii *ignaro, sigillatim rursus sub indice:* Antiquae Tabulae aheneae in Museo Riccardiano asseruatae, Obseruationibus enodatae, Florentiae, 1745. fol. *nihil cum his, de quibus disserui, Fastorum Consularium fontibus necessitudinem habet.*

Praeter Marmoreos *vero Consulum Fastos sunt etiam* CHARTACEI *quorum non paucos olim vel auctores vel interpretes edunt libri veteres. Laudantur quidem apud* Macrobium CINCIVS *in eo libro, quem de Fastis reliquit*, FVLVIVS NOBILIOR *in Fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit*, NISVS *in commentario Fastorum*, CORNELIVS LABEO, *primo Fastorum*, I. Saturn. XII. & XVI. item MASVRIVS SABINVS, *Fastorum Secundo*, I. Saturn. IV. *Sed quin Fastos illi sacros non ciuiles interpretati sint, eorum locorum iunctura & cohaerentia dubitare vetat. Huius vero generis fuit* CHRYSORVS, *M. Aurelii Veri libertus, & Nomenclator*, ὁ Νομενκλάτωρ *apud* Theophilum Antiochenum, ad Autolycum, p. 137. ed. *Paris. vnde alium Fastorum Scriptorum* Cratorem *effinxit* Panvinius, *in Praefatione*: A quibus Tabulae Capitolinae &c. *folio si numeres, 6. et* Vossius, *de quo vide sis Fabricium* V. Bibl. Graec. c. I. p. 99. Vol. V. *Is vero*

(1.) CHRYSORVS Αναγραφὰς *Consulum & Magistratuum ab vrbe condita vsque ad mortem Patroni sui scripsisse dicitur. Post eum existimare quis possit*

(2.) EVSEBIVM, *eiusque interpretem latinum*

(3.) HIERONYMVM *in Chronico, Consulum seriem non neglecturum fuisse. Veruntamen res illi memoratu dignas vel per annos conditi orbis, vel Olympiades, successionesque Regum, et Augustorum ita digesserunt, vt raro aut liberae, aut obnoxiae Caesaribus reipublicae consulum meminerint.*

(4.) AVSONIVM *vero ab initio legum imperii vsque ad suum consulatum hoc est A. C.* 379. *Fastos concinnasse in suis ipse Carminibus testa-*

testatur (*vid Panvinius l. l.* et *Petr. Relandus in Fastis* p. 463.—465.) *quorum tamen nihil nobis reliqui, praeter libri memoriam, temporum iniuria fecit. Interim bonum factum, superesse nobis alios Scriptores, qui res secundum Consules exposuerunt. In his censeri debet*

(5.) PROSPERI AQVITANI *Chronicom, apud Panvinium in* Appendice Fastorum, l. supra l. *Scaligerum in Eusebii* Chronicon p. 188. —196. Canisium, in Lectionibus Antiquis, Tom. I. p. 275.—312. *et* Graeuium *in* Thesauro Antiqvit. Rom. Tom. XI. a p. 284.—330. obvios, *cuius* Pars prima, *sive* Adnotatio Consulum cum Historia *incipit a Rufino Gemino & Rubellio Gemino COSS. hoc est, A. C.* 29. *vsque ad Valentem VI. et Valentinianum II. COSS. id est A. C.* 378. *altera vero* Pars orditur ab Ausonio et Olybrio COSS. i. e. A. C. 379. *et desinit in Herculano et Sporatio COSS. h. e. A.* 452. *vel, secundum librum Augustanum, in* Constantino & Rufo COSS. h. e. A. C. 457. *Addatur hic I. A. Fabricius, in Bibliograph. Antiqvar.* c. VII. §. V. Tum

(6.) VICTOR TVNVNENSIS, *qui* Prosperi Chronicon *itidem Consulum serie persecutus est a Theodosio XVIII. & Albino COSS. h. e. A.* 444. *vsque post Consulatum Basilii XVIII. i. e. A. C.* 559. *vid. Eusebii Cronicon Scaligeranum, a p.* 1.—12. *& Canisii Lection. Antiquar. Tom. I. p* 321.—333. *Postea successit*

(7.) VICTORIVS, Aquitanus, Prosperi *descriptor*, *cuius* **CANON** *nouem Columnis absoluitur, secundoque ordine Consules, sed plerumque vitiose exhibet. vid. Aegid. Bucherius in Commentario de Doctrina Temporum, c. XIII. p.* 223. 227. seq. *Maioris momenti sunt*

(8.) FASTI IDATIANI, ab Idatio, *Episcopo Lemovicensi confecti, & a viris doctis, quos I. A. Fabricius in Indice Bibl. Lat. Tom. I. voc. Idatius, et in* Bibliographia Antiquaria, c. VII. §. V. *laudauit, editi. Eius Fastorum Consularium Pars orditur ab exordio Aureliani Augusti, Antiochiano & Orfito COSS. hoc est, A. C.* 270. *vsque ad obitum Honorii, Mariniano & Asclepiodoto, COSS. i. e. A. C.* 423. *Integri vero sub titulo* Descriptionis Consulum ex quo primum ordinati sunt, ad exemplar Codicis Parisiensis *recogniti locum inuenerunt in* Du

Cangii Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis a p. 439.—450. Hunc excepit

(9) Magn. Aurelius CASSIODORIVS, Prosperi & Victorii *descriptor*, (*vt recte dicitur Aegidio Bucherio, in Commentario ad Victorii Canonem c. XIII.* p. 227. 229. seq. *et Blasio Caryophilo de Thermis Herculanis* p. 23.) *in Chronico suo Consules inde a L. Iunio Bruto et L. Tarquinio Collatino, hoc est, A. V* 245. *vsque ad Fl. Eutharicum Cillicem, generum Theodorici Regis, & Iustinum Aug. h. e. A. C.* 519. *recensens.* in quo *Panvinius* in *Praefat A quibus Tabulae* &c. p. 7. paulo maiorem diligentiam *se* desiderare *ait. Similem instituti rationem tenuit*

(10.) MARCELLINVS COMES *in Chronico suo, serius tamen ab Ausonio quippe & Olybrio COSS. hoc est A. C.* 379. *orsus, & in Anno post Consulatum Basilii XXV. h. e. A C.* 566. *desinens. Longe plenius Marcellino est, vetustiorumque simul temporum & rerum seriem aperit*

(11.) CHRONICON, *vt vulgo nuncupatur*, ALEXANDRINVM, *hoc titulo primum a Matthaeo Radero, Monachii,* 1615. 4. *editione, quae penes me est, ignorata Fabricio, et* 1624. 4. *sed postea veriori sub Epigraphe* Chronici PASCHALIS *a Du Cangio vulgatum, nisi forte cum* Vsserio, *& viro docto in* Miscellaneis Obseruationibus, Vol. II. Tom. II. p. 172. (†). CPOLITANVM apellare malis, *Per quod totum opus sparsi sunt, quos viri eruditi nomine* FASTORUM GRAECORUM *vel* SICULORUM *ideo venire iubent, quod ab* Hieronymo Surita, in antiqua, *vt ait Panvinius* l. l. Bibliotheca in Sicilia *reperti in aliorum manus peruenerant. Ab Antonio autem Augustino habuit Panvinius: a Johanne Metello Sequano* Steph. Vinandus Pighius, *teste ipso in Ann. ad A.* CCL. p. 76. f. *& a Casaubono Iosephus Iustus Scaliger, ipso auctore* in fine Notarum in Graeca Eusebii, p. 430. *vnde non modo Scaliger, sed etiam Salmasius* ad Scriptores Historiae Augustae, Casaubonianos pariter, atque Siculos Graecosue *appellauit, secundum* Indicem *Auctorum Tomo I. praemissum. Editi autem sunt mox ampliores, inde a primis Consulibus Bruto & Col-*

Collatino h. c. A. V. 244. *vsque ad post Consulatum Heraclii Augusti XVII. hoc est A. V.* 1380. *circiter, adeoque Christi* 627. *cum* a Frider. Sylburgio *in limine* Scriptorum Historiae Romanae Graecorum, Fancof. Moen. 1588. fol. a. p. 2.—60. tum *in ipso* Chronico Alexandrino, *a* p. 384. *ed. Rad. & a Scaligero*, in Ἐπιτομῇ χρόνων, *a se confecta, sub titulo:* Ὀνομασίαι τῶν ἐν Ῥώμῃ ὑπάτων, a p. 248.—299. *mox contractiores & breuiores, ab initio quippe liberae Romanorum ciuitatis vsque ad Italicum et Trachalum COSS. id est, ab A. V.* 244. *vsque ad A. C.* 69. *Vespasiani Imperatoris auspicalem, ab Andrea Schotto in Pighii Annalium, Tomo II.* p. XXXII.—XXXVIII. *cum lectionis varietate, & in calce Chronici Alexandrini*, a p. 921.—942. *De hoc Chronico Alexandrino & Fastis Siculis*, vid. quoque Fred. Sylburgius *initio Praefationis* ad *Scriptores suos Graecos, I. A. Fabricius*, V. *Bibl. Gr. c. IV. p.* 142. 143. Vol. VI. ib. VI. Bibl. c. X. p. 636. 637. Vol. XIII. & *in Bibliographia Antiquaria* c. VII. §. IV. *recteque obseruauit* Perizonius in Animaduersion. c. X. p. 429. Graeco Fastorum Auctori solemne esse, Consules singulos ex variis, quae habebant nominibus vno tantum nomine notare.

In hanc consularium Scriptorum societatem adsciscі quoque vulgo solet JOHANNES ANTIOCHENUS, *cognomine Malalas, sed non meliori iure, quam ceteri serioris aetatis Chronographi, velut* PETRUS PISANUS, *qui mihi idem videtur esse atque* PETRUS DIACONUS, *Marianus* SCOTUS, *(de quibus v. Panvinius in Praefatione:* A quibus Tabulae &c. p. 7.) *et alii eius generis. Dum enim vetustiores Romanorum res undecunque corradebant, haudquaquam vel nominandi, vel in annorum ordines cogendi Consules opportunitatem subterfugere poterant. Sed aeque minus fontium dignitatem & fidem praestant, atque recentiores Fastorum conditores, tanquam* HENRICUS LORITUS GLAREANUS, *in* Chronologia Historiae Romanae, Livio *subiecta*, Basileae, 1535. fol. GREGORIUS HALOANDER, *in* Catalogo Consulum Romanorum, *itidem aut* Livii, Basil. 1543. fol. *aut* Codicis Justinianei, Paris. 1558. 8. *comite, licet vterque a Panvinio in Praefatione saepius laudata meritis ornatus laudibus, aut* JO. LEUNCLAVIUS *in Consulum Syllabo singulis Dionis Cassii libris*

RUM LATERCULUM, inde a Constantino II. & Licinio II. h. e. A. C. 312. *vsque ad Varanem* A. 410. *procedentem, in eademque membrana inuentum, sed a Bucherio iure discretum*, p. 252.—255. *et a* Du Cangio *separatim positum in* Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis, p. 470. 471. *cum superiori Consulum indice, vt Cuspinianus videtur fecisse, copulaveris. Vtriusque autem monumenti rationem habuit Aegidius Bucherius in Commentario ad Victorii Canonem*, p. 247.—251. & p. 252.—255. *et secundum eumdem memoriam recoluerunt* Du Cangius, *in* Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis, p. 463.—466. et *Graevius*, in Thesauri Antiqv. Rom. Tom. XI. p. 392.—396. *Alterum a principio longe integrius, initium quippe capiens ab A. partae Romanorum libertatis*, 246. *neque tamen aut emendatum satis, aut tam late patens, atque Cuspinianus suum esse indicauerat, (desinit enim in consulibus anni C.* 354.) *ex Bibliotheca Caesarea Vindobonensi subministratum fuit* Cardinali Norisio, *eiusdemque opera lucem vidit in calce Anni et Epocharum Syro-Macedonum, vnde itidem Graevius typis repetendum esse iudicauit in* Thesauri Ant. Rom. Tom. XI. p. 331.—360. *Atque hi* Fasti *vulgo dici solent vel* Anonymi, *vel* Caesarei, *apud* Petr. Relandum, *in* Fastis p. 3. *& passim alicubi. Vti Laterculus ille Paschalis bis notis apud eundem occurrit* Paschal. laterc. p. 288. *recteque G. Cuperus* in Epistola Critica ad Almeloveenium, n. VI. p. m. 30. *animadvertit, in his Fastis Norisianis Consules aliquando suffectos commemorari, omissis ordinariis.*

Quem vero Cuspinianus alterum *designauit libellum, non modo l. ante laudato, sed etiam inprimis ad A. C.* 258. p. 469. *quo consulum nomina cum Praefectis vrbi continebantur, sine nomine autoris a temporibus* Valeriani & Gallieni, *hoc est, A. C.* 254. *vsque ad* Constantium Augustum VII. *id est. A. C.* 354. *eumdem esse credo, atque Bucherianum exemplum, in eius Commentario ad Victorium*, p. 236.—241. *obuium, typisque renovatum cum a Du Cangio in Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis*, p. 466.—468. *tum* a Graevio *in* Thes. Ant. Rom. Tom. XI. p. 387.—390. *ipsumque libri Cuspinianei initium & finis docet.*

******* *Ad*

Ad A. enim C. 357. p. 500. *haec adnotauit:* Autor ille ignotus, qui de Praefectis scripsit, Constantio VII. inquit, & Constantio III. COSS. Vitrasius Orphitus Praefectus vrbis fuit. Nec quicquam amplius de hoc autore habeo. *Hunc vero* Relandus *in* Fastis suis a p. 218. Anonymum de Praef. vrb. frequenter excitat. *Sed in alium rursus, adeoque* tertium, *ait Cuspinianus ad A. V.* 709. p. 316. A. V. 717. p. 325. & A. V. 781. C. 30. p 370. se incidisse in vetustissimum opusculum ignoti autoris, diversum ab eo, quem toties citauerit et a nonnullis Orosii esse credatur, vbi COSS. nomina a Julio Caesare ad Alaricum, *vel vt alibi*, Theodericum Gothorum regem, continebantur, quem inter libros Ioannis Fuxmagoni, Senatoris Caesarei, repererit. *Quid vero hic singulis annis praestiterit, aut cuiusmodi nomina Consulum ediderit, nemo facile, nisi omnes Cuspinianei Commentarii locos pertentando cognouerit, definiet. Praeterea* quartum *alius opusculi* vetustum auctorem, *in quo Consules et Imperatores ab obitu Valentiniani III. vsque ad mortem Theoderici regis Gothorum*, h. e. *ab A. C.* 454. *vsque ad A. C.* 526. *descripti essent*, Cuspinianum *inspexisse & excerpsisse auctor est* Panvinius, *in* Praefatione: A quibus Tabulae &c. p. 6. opistogr. Idem etiam, *inquiens*, Cuspinianus integrum Opusculum alterius auctoris ... Commentario includit &c. *Sed vereor ne haec eius fama, opinione inanis & lubrica sit. Nusquam enim in toto illo annorum circuitu apud Cuspinianum quicquam laudatum reperi*, *nisi* vetustissimos quosdam Annales, quorum Autorem non invenio, *ad A.* 454. *et* 455. *p.* 546. 547. vetustissimos Annales, quos saepe numero cito, ignoti autoris, ad A. 457. p. 547. vetustissimorum Chronicorum librum incerti autoris, ad A. 460. p. 548. veterem illum Chronicorum librum, qui eorum nomina ponit sola, *ad A.* 488. *p.* 557. *& ad eum modum aliis annis, ita quidem, vt non diuersum a* tertio *existimem, sed eumdem atque* Fuxmagonianum *putem. Non vltra annum vero Chr.* 492. *id est, Consulatum Albini, veteris illius Chronici auctoris meminit* Cuspinianus, *adeoque non vsque ad mortem Theoderici, vt vult Panvinius, eo vsus esse videtur.*

Post Cuspinianeas Fastorum membranaceorum reliquias alii Consulum Indices vetusti, vita quasi sua & vsu redonati, vel supplendis Fastorum

torum locis, vel corrigendis eorum mendis haud inutilem praestiterunt operam.

(13.) FASTI GRAECI, *sub nomine Fastorum* Theonis *vulgo noti, quod in eodem codice Salviniano*, in quo Theonis Opuscula *legebantur, ab* Henr. Dodwello *inuenti et editi fuerunt ad* Dissertationes Cyprianicas, Oxonii, 1684. 8. *indeque commigrarunt in* Du Cangii Selecta ad illustrationem Chronici Paschalis. p. 451—455. *Ordiuntur autem ab Antonino Pio et Camerino COSS. hoc est* A. C. 138. et *desinunt in* Modesto et Arintheo COSS. *hoc est A. C.* 372. *Quoniam vero iidem Fasti, etsi in nonnullis discrepantes, et subinde turbati, argumento adnotationum ad Fastos Relandinos*, p. 174. 175. *ex Codice MSC. Mediceo opera & beneficio* Ant. Mariae Saluinii *descripti* Appendicem Fastorum Petri Relandi *occuparunt*, a p. 749.—786. *repetiti postea in noua* Alemeloweenii Fastorum *editione*, p. 513.—547. Hadrianus Relandus *illius frater, qui hunc Florentinum Codicem Autographum, Salvinianum contra Apographum esse censuit, eos ipsos, non* Theonis, *ad exemplum Dodwelli, sed* Florentinos minores *appellauit.*

(14.) *Alii* FASTI GRAECI, *ex Apographo* Vossii *codice decerpti, vulgatique primum ab eodem* Henr. Dodwello, *ad laudatas modo ante* Dissertationes Cyprianicas, *sub nomine* Heraclianorum, *ideo fortassis sic dictorum, seu quod in tempora Heraclii Imperatoris procurrebant, seu quod in Commentario Heraclii Imperatoris in* πρoχείρυς *Ptolemaei* κανονας *reperti fuerant. Hos itidem dignos esse putauit Du Cangius, qui a se recuderentur in* Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis. p. 456.—463. *Incipiunt hi ab* Antonino Elagabalo II. & Alexandro COSS. *hoc est A. C.* 222. *& terminantur anno C.* 630. *Cur vero Hadr. Relandus eos in Fastis fratris sui*, p. 144. et 213. Florentinos maiores *nominauerit, rationem mihi non liquere fateor.*

(15.) LATERCULUS FASTORUM Consularium *ab Ausonii & Olybrii Consulatu*, h. e. *A. C.* 379 *vsque ad XVII. Post Consulatum Basilii* i. e. C. C. 558. *in* Selectis Du Cangii ad illustrationem Chronici Paschalis, p. 472. 473. *Cuius Laterculi titulus singularis est:* Consules ordinarii post Sanctum Hieronymum constitutum. *quid illud* constitutum

sibi velit, *arduum est definire.* *Scio quid* fide constitutus *sit in antiquo lapidis titulo Christiano ab* Alex. Symmacho Mazochio *in singulari* Epistola, Romae 1745. 4. *euulgato· sed quorsum respiciat simplex illud verbum* constitutus, *ad munus*, *an ad aliud quippiam*, *videant me doctiores.* *Huius Laterculi non oblitus est* Relandus in Fastis vid. p. 465.

(16.) LATERCULUS alter breuis Consulum post Chronicon Cassiodorii Senatoris, *inde* a Vitaliano, *qui hic* Vitalis *dicitur*, *& Rustico COSS.* h. e. A. C. 520. vsque ad post Consulatum Basilii XVII. h. e. A. C. 558. ex Codice Colbertino, *in iisdem* Du Cangii Selectis ad illustrationem Chronici Paschalis. p. 473.

(17.) FASTI LATINI ex libro scripto Collegii Oxoniensis Corporis Christi, *quibus initium dant Lentulus & Marcellus COSS. hoc est Annus Vrbis DCCIV. ante C. N.* 50. *finem vero*, *Lampadius et Orestes h. e. A. C.* 530. *tametsi foedis subinde erroribus contaminati sint*, *tamen non indigni* Hadriano Relando *visi sunt*, *qui in* Appendice Fastorum *Fatris eius Petri vulgarentur*, a p. 787.—824. *& in nova deinceps* Almeloweenii Fastorum *editione typis renovarentur*, p. 549. —586. Tandem

(18.) VETUS Consulum Romanorum CATALOGUS, *ab Euthbarico & Boëthio COSS. h. e. A. C.* 510. *vsque ad Justinianum IV. et Paullinum COSS. hoc est A. C.* 534. *procedens*, *apud* Jo. Georg. Eccardum *in* Corpore Historiarum medii aevi, Lipsiae, 1723. fol. Tom. I. p. 48. seq.

Atque haec quidem de Fastorum Civilium, *tam* marmoreorum, *quam* chartaceorum *fontibus.* *Superest* tertium Fastorum genus, *quod supra posueram*, *ex vtroque* MIXTVM. cui nusquam aliunde, quantum sciam, argumentum praesto est, nisi a

TABVLA marmorea ANTIATINA, *veteri quippe in* Antii *solo A.* 1713. *effossa*, *tum in Museum Cardinalis* Alexandri Albani *translata*, *indeque haud ignobili portione* Musei Capitolini *facta*, *quae vti primum a* Francisco Blanchinio *in* Prolegomenis ad Tomum II. Anastasii Bibliothecarii de vitis Pontificum, Romae 1723. fol. *edita* p. 222. *&*

& paulo post in libro Etrusco: Camera ed Inscrizioni Sepolcrali de' Liberti &c. Romae, 1727. fol. *capite vltimo* ad p. 73. Tab. VI. *cum bonae frugis adnotationibus vulgata, deinceps a* Josepho Rocco Vulpio, *Sacerdote Jesuita, cum in* Veteris Latii profani & sacri *Tomo III. Tab. IV. p.* 50. *tum in libello singulari, cui titulus:* Tabula Antiatina interpretatione & Notis *quomodocunque* illustrata Romae, 1726. 4. *& tandem vitiosius, qua de re tamen nunc non ago, repetita fuit a* Muratorio, *ad p. CCCV. ita superiori quidem loco & alicubi passim inserta Libertorum domus Augustae officia commemorauit, sed postea non solum aliquot Consulum paria inde a Ti Claudio et C. Caecina Largo, COSS.* hoc est *A. V.* 795. *Christ.* 42. *vsque ad Ti. Claudium V. & Orfitum COSS.* h. e. A. V. 804. *Chr.* 51. *persequitur, verum etiam ima in parte fragmenta Kalendarii Sacri, sex mensium quippe Julii, Augusti, Septembris, Octobris, Novembris, & Decembris, exhibet.* vid. Fogginius *in* Monito ad Fastos n. V. p. 101. 102.* *& in Tabulis* mensium illorum *mox Columna II. mox IV. mox III. mox iterum IV.* a. p. 111. seq.

Cum igitur tot tamque diversi Fastorum *illorum seu* Sacrorum *seu* Ciuilium *seu* Mixtorum *fontes sint, quos eo lubentius aperire volui, quo certius mihi constabat, ordinatim digestam nobis vulgo illorum deesse notitiam, facilis nunc ad intelligendum ratio est, cur non mediocri opus ei sit diligentia & accuratione, qui in vtroque, vel alterutro genere vires ingenii periclitari volet. Quotusquisque sane illos studiosius, quam riuulos, consectatus fuerit, quin is multa subinde, quae superiorum interpretum solertiam fugerant, animadvertere, varios Kalendariorum dies subtiliter definire, corruptaque passim vel omissa Consulum nomina pristinae integritati restituere possit, dubitare non licet. Ad vtramque certe rem apparandam, perficiendamque aptissimus futurus fuisset* Vaassenus, *nisi spes nostras temporum casus fefellisset. Interim contenti simus non tam Catone Augusteo, quam affecto eius opere, meminerimusque illius Horatiani, levius fieri patentia, quicquid corrigere est nefas. Ego vero,* Lector humanissime, *quam in hoc libro e carceribus velut suis extrahendo*

bendo verius, *quam educendo*, *operae & laboris duritiem consumsi*, *eam* Tv *vehementer velim iudicii aequitate*, *beuiuolentiaque erga me tua emollias.*

Scripsi in Academia veteris ad Rhenum Traiectus, d. x. Septembris, CIↃIↃCCLXXXV.

IACOBI VAN VAASSEN ANIMADVERSIONVM HISTORICO-CRITICARVM

LIBER PRIMVS

AD

FASTOS ROMANORVM SACROS ET CIVILES

CAPVT PRIMVM

FASTORVM SACRORVM ORIGINEM ATQVE INSTITVTIONEM EXPONENS

§. 1. *Occasionem huic libro dederunt* Fasti Capitolini. *Fasti* Sacri *sunt vel* Civiles. *Sacrorum Fastorum* origo. *Duplex dierum divisio*, altera *in* festos *et* profestos, altera *in* felices *et* atros. *Atri dies vulgi timore introducti, dein jure Sacro confirmati. Frustra eam superstitionem quidam tollere susceperunt.* §.2. *Aegyptii hominum antiquissimi. Emendatur* ARISTOTELES. *Error Librariorum, defectu vocis peccantium, notatus.* ARISTOTELES *dupliciter tentatus. Vnde is Librariorum error natus? Dierum apud Aegyptios observatio. Locus ex* Lib. Iobi *expositus. Dies* Aegyptiaci. *Eorum quando prima mentio? Kalendarii* Lambeciani *aetas.* Salmasius *et* Sponius *notantur. Quot dies Aegyptiaci singulis mensibus?* Norisii *error. Dies Aegyptiaci quatenus conveniant cum Graecorum diebus ἀποφράσι; Anonymus Auctor Graecus emendatur. Ma-*

 thema-

thematici quotannis Kalendaria componebant. Graeci et Romani privatim dies ex astris petivere. Graevius *et* Norisius *notati. Aegyptiaci dies unde appellati?* Comestoris *error: aliorum et nostra de appellatione sententia.* §. 3. *Duplex festorum caussa. Festi dies* ἄπρακτοι. Ἀδικος ἡμέρα *pro* nefasto *die minus recte dicitur. Quinam profesti dies? Diebus festis judicia non habita.* ARISTOPHANES *tent. et expl.* Hesychii *et* Meursii *error. Atri dies Graecis* ἀποφράδες. *Quid proprie* ἀποφράς; Ἑορτάδες ἡμέραι *et* ἀποφράδες *distinguendae. An atro die judicia apud Graecos habita?* APOSTOLII *locus examinatur. Festi dies an aliquando* ἀποφράδες *dicti?* PLVTARCHVS *expositus.* POLLVX *restituitur.* Gyraldi *error. Plynteria cur dies* ἀποφράς; Ἐπιβδαὶ ἡμέραι. PLATO *exponitur.* ἡμέραι καθαραὶ *et* ἀποφράδες *opponuntur.* TIMAEI *glossa examinatur. Saepius ejus glossae sunt interpolatae. Glossa in voce* δῆμος *explicata. Caussa* ἀποφράδων *apud Graecos.* APOSTOLIVS *notatus.* Salmasii *crisis refellitur.* §. 4. *Festos profestosque dies Numa descripsit.* LIVII *locus examinatur.* Fasti *et* nefasti *dies quando appellati?* CICERONIS *locus ex* Lib. II. de Legg. *operosius examinatus, emendatus, illustratus. Qualis babenda illa Ciceronis lex?* PLATONIS *locus cum* Cicerone *conferendus.* PLATO *tentatus vel explicatus. Alter* CICERONIS *locus emendatur et explicatur.* §. 5. *Feriae* cum festo *et* sine festo. CICERO *emendatur.* Iurgia *et* lites *synonyma.* Turnebus *notatus.* PLATO *expositus.* Manutius *et* Siccama *notati. Kalendae Ianuariae cur fastus dies.* §. 6. Fastorum *et* nefastorum *dierum appellatio.* Fari *verbum juris Sacri.* SVETONIVS *apud* Priscianum *corr.* FESTVS *emendatur.* Facundus *quid?* THEOPHILI *Paraphrastae locus exam. et expl.*

§. I.

EX quo tempore industriam nostram exercere coeperunt publica veterum Graecorum Romanorumque Monumenta, in iisque animum in primis adverterunt pulcherrima illa totius Antiquitatis Lapidariae *Fragmenta Capitolina*, quibus Magistratuum Majorum series, inde ab Vrbe condita ad Imperatoris Augusti obitum, accuratissime exponitur, consilium cepi, ea, post SIGONIVM, PANVINIVM, MARLIANVM, PIGHIVM ac PIRANESIVM, meo

meo qualicumque labore et curis exornata ac perpetuo Commentario instructa, in lucem denuo proferre. Cum vero in late patenti illo ac minime sterili campo uberior in dies nobis Observationum nascatur seges, haud alienum a meis rationibus putavi, dum ad maturitatem opus perducitur atque autumnum exspectat, prius has *Animadversiones* emittere, ut earum veluti gustatione initiatos, si fieri posset, avidiores redderem Lectores ad plena, quae parantur, fercula. Ejus igitur Monumenti occasione, quod *Fastorum* nomine circumfertur, accuratius in ipsam *Fastorum* originem inquirens, eos duplicis praesertim generis fuisse olim, comperio, alios nempe *Sacros*, varia dierum discrimina docentes ac jura, alios *Civiles*, qui Majorum seriem Magistratuum, tum Bella Triumphosque, ab V. C. digestos suisque annis notatos, complectuntur. *Sacri* autem Fasti *Civilibus* aetate priores cum his et caussam et nomen dederint, ordo postulat, ut prius de *Sacris* post deinde de *Civilibus Fastis*, agamus, ita tamen, quod, spero, *Animadversiones* scribenti nemo vitio vertet, ut hic illic digressi aliis simul Monumentis vetustis Scriptorumque locis, male adfectis, lucem obiter adfundamus.

Multa, divinitus olim constituta, in superstitionem abripuerunt vero Vnius Dei cultu non initiatae gentes. Vniversam plerorumque antiquissimi aevi populorum religionem si spectemus, eam partim vulgi timore, *qui primos*, ut ille ait, *in orbe Deos finxit*, partim civili Legislatorum prudentia, animos hominum arctis sacrorum nodis vinculisque onerantium, compositam reique publicae saluti accommodatam ac legibus stabilitam esse, videmus. Quo eodem fonte, ut alia praetermittam politeumata, sua etiam variorum dierum jura veteres derivarunt populi. Quem enim ad modum summus Legislator, Deus ipse, suo exemplo per Divini juris Interpretem, sapientissimum MOYSEM Israëlitas edocuit septimi cujusque diei observantiam, sibi Deo consecrati, aliaque annua instituit festa, quibus religionis ergo ab omni opere humano esset abstinendum; idem quoque illud in superstitionem suorumque Deorum cultum mox adripuerunt gentiles, *festorum profestorumque* dierum discrimine introducto, quorum illis, tantum Diis et sacrificiis operati, nihil publicae privataeve rei curarent, his humana quaelibet rite pertractari possent negotia.

Summa haec fuit et prima dierum divisio: cui, non ita multo post, accessit alia, nempe *felicium* et *infelicium* seu *atrorum*, vulgi timore introducta. Ea namque animis mortalium semper insedit opinio, atque etiam nunc hominum meticulosorum mentes occupare solet, ut non tantum, quae semel aliquando aut saepius adversa sibi

et noxia experti sint, ea fugiant diligenter posthac, sed et locum ipsum, qui laeserit ante, nemo libenter recolat, tempus etiam ac diem, quo grave damnum obvenerit, velut tristi omine infamem evitare studeant ac declinare: vid. PHAEDRVS *Lib. I. Fab.* 18. LIVIVS *Lib. VI. c.* 28. §. 6. ubi de castris, haud procul Allia flumine positis, inter se jactant hostes, *fatalem* se Vrbi *locum* cepisse, et, si *diem*, ejus fluminis nomine insignem, timerent Romani, non minus *locum* ipsum, tantae monumentum cladis, reformidaturos.

Ex hoc damni metu vetus illa manavit superstitio, qua faustorum infaustorumque discrimina dierum, ad res suas prospere ac feliciter agendas, sibi quisque observaret quam religiosissime. Deinde gentium Rectores iidemque, salubri veterum populorum instituto, summi Pontifices, (nam

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos)

ea hominum vanitate sapienter usi, vel ex siderum observatione, dum felicium infeliciumque dierum caussas, ut Aegyptii ac Chaldaei, ab astris peterent, vel ob rem minus prospere gestam acceptamque domi aut militiae cladem, ut Graeci potissimum ac Romani, alios in anno faustos et felices operum dies, alios vero atros funestosque constituerunt observandos. Neque mirum adeo cuiquam accidere debet, si opinionem, plerisque gentibus receptam, longo temporis usu inveteratam, civili politeumate comprobatam ac, religionis praetextu, sacro etiam jure confirmatam, haud facile vel Comicus ridendo, vel Philosophus argumentorum pondere, hominum mentibus evellere plane potuerit. Frustra elegantioris ingenii poëta TERENTIVS in *Phorm. Act. IV. sc. IV. vs.* 28. ridendos in theatro propinavit eorum mores, qui ante brumam, diebus decrescentibus, novi nihil negotii incipere, pro caussa sontica haberent. Frustra HESIODVM alios bonos, alios vero constituentem dies malos, eo nomine, quasi ignoraret, eandem esse omnium dierum naturam, reprehendit HERACLITVS, teste PLVTARCHO in *Camillo Tom. I. pag.* 304. *edit.* BRYANI. Nequicquam docuerunt alii, eosdem dies annis vertentibus, eidem saepe homini aliquando fortunatos, aliquando fatales et exitio exstitisse: Lucullum, cum quidam monerent, *pridie Nonas Octobres* cavendum, μίαν οὖσαν τῶν ἀποφράδων, magna quidem cum confidentia et spreta religione respondisse perhibent: *se vero etiam faustum Romanis posthac illum diem effecturum*, vid. PLVTARCH. *Tom. III. pag.* 176. et *Tom. I. pag.* 306. felici tamen, quo usus fuit, rerum successu

cessu nihil religionem movere potuit aut superstitionem tollere. Quin ipse PAVLLVS, Apostolus, parum profecisse videtur, dum, eandem docens omnium esse dierum conditionem, Galatas suos reprehendit, quod nefastos atrosque dies et Aegyptiacos observarent, vid. *Epist. ad Galat. cap. IV. vs.* 10. cum, tribus etiam saeculis post, Ecclesiae Christianae Patres, AVGVSTINVS, AMBROSIVS, alii, eadem de superstitione questi in eamque graviter invecti, fabula velut surdis narrata, omnem lusisse videantur operam.

Neque tantum modo plebs, omnium rerum ignara, sed religionis cultusque divini, cui caeca adhaeret, prae primis tenacissima, religiosos ejus modi dies observabant, at vero sapientissimi etiam viri et summi in civitate Magistratus, egregio hoc usi politeumate, placidisque vulgi mentibus hanc foventes opinionem, eam rem cupide semper adjuverunt, probe gnari, quam utile rei publicae, nihil aliquando cum populo posse agi. Hinc prudentissimi Graecorum aliarumque gentium vetustarum Principes, apud Romanos Divini auctor juris, POMPILIVS NVMA, qui primus feros Quiritium cultus, more religionis formavit, Maximi Pontifices, Pontificumque collegium, Decemviri Consulari potestate aliique postea Magistratus fastorum nefastorumque et atrorum discrimina dierum sanctissime observanda praeceperunt. Quin Imperator quoque Augustus, quo prudentiorem in civitatis regimine agnovit neminem orbis Romanus, suo exemplo publice receptam superstitionem privata religione adaugens, non tantum, qui legibus erant constituti evitare solebat dies atros, sed vero etiam non nullos, more hominum nimis religiosorum, peculiariter sibi suaeque domui funestos habuit, uti alios inter diem *Varianae cladis*, quem quotannis moestum ac lugubrem transegisse, scribit SVETONIVS *in vit. cap.* 23. idemque auctor est *cap.* 92. observasse etiam, ne aut *postridie Nundinas* quoquam proficisceretur, aut *Nonis* rem seriam inchoaret. Plura hujusce modi observationum religiosarum de dierum discrimine exempla, ex vetustis aut aevi recentioris *Annalibus* depromta, nunc persequi non vacat, neque in ipso limine operis, quamvis id forte requirat non nemo et exspectet, animus fert, prolixius disputare de dierum juribus ac differentia, tum quam recte atque utiliter, quove inde commodo rei publicae redundante, ea olim fuerit instituta, cum NEOPTOLEMO existimanti: *paucis esse philosophandum, nam omnino non placere.*

§. I I.

Moratiorum inter gentium civitates, quae olim floruerint, antiquissimum censetur Aegyptiorum imperium, in eoque tum Religio tum jus Civile et administrandae ratio rei publicae prius, quam alibi, fuerunt constituta: ARISTOTELES *Lib. I. Meteorolog. cap.* 14. Aegyptios *hominum antiquissimos* appellat, et *Lib. VIII. de R. P. cap.* 10. de iisdem ita scribit: οὗτοι ἀρχαιότατοι μὲν δοκοῦσιν εἶναι, νόμων δὲ τετυχήκασι καὶ τάξεως πολιτικῆς· ubi in posteriori membro videtur repetendum, quod semel tantum dederunt Librarii, vocabulum ἀρχαιότατοι, ante verbum τετυχήκασι collocandum, hoc sensu: *hi enim antiquissimi videntur esse, leges vero antiquissimi* (id est, *ante alios populos omnes*) *acceperunt et ordinem civilem.* Saepius ita in Mstis codicibus peccatum, omissa posteriori loco voce, quae vel eodem vel proximo versu praecesserat, non semel notarunt Critici, eoque remedio complura veterum Scriptorum loca pristinae sanitati restituta jam sunt, multa, nunc etiam depravata, commode sanari possunt: unum adscribam ejusdem ARISTOTELIS locum, hoc aliove modo corrigendum: *Lib. V. Polit. cap.* 8. de Censu civitatium agens et tributo ex Censu ordinando, ἐν ὅσαις μὲν, inquit, πόλεσι, τιμῶνται κατ' ἐνιαυτὸν, ἐν δὲ ταῖς μείζοσι διὰ τριετηρίδος, ἢ πενταετηρίδος. Loci corruptelam olfecit LIPSIVS *Lib. IV. de Doctr. Civ. cap.* 11. pro ἐν ὅσαις, nulla tamen correctionis mentione facta, citans ἐν τισι *in quibusdam*; sed quae lectio ex scripto codice non videtur profecta et nimis certe a literis vulgatae scripturae ἐν ὅσαις recedit. Doctissimus vero LAMBINVS, in *marg. edit.* CASAVB. defectu locum laborare ratus repetendo κατ' ἐνιαυτὸν, semel ab exscriptoribus praetermisso, ita legendum censuit: ἐν ὅσαις μὲν πόλεσι τιμῶνται κατ' ἐνιαυτὸν, κατ' ἐνιαυτὸν (scilicet συμφέρει τοῦ τιμήματος ἐπισκοπεῖν τοῦ κοινοῦ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ παρελθὸν, quae verba ex praecedenti oratione hic intelligenda) ἐν δὲ ταῖς μείζοσι δ. τ. ἢ π. hoc sensu: *in quibuscumque civitatibus cives quotannis censentur, quotannis* (*utile* nempe *est, communis census magnitudinem spectare ad censum praeteritum*) *in majoribus autem tertio aut quinto quoque anno.* Facilis est medicina, fateor, nescio tamen, an apte satis huic loco adhibenda, ubi vitium forte haeret in ἐν ὅσαις, pro quo si corrigas levi mutatione ἐν ὀλίγαις, *in minoribus civitatibus*, melius respondebit sequenti membro ἐν δὲ ταῖς μείζοσι. Si quis autem vereatur, ut ὀλίγος, hoc sensu, pro μικρὸς, praeterquam apud Poëtas obvium sit, nostro ἐν ὀλίγαις πόλεσι com-

comparare poterit Herodoteum ἐν ὀλίγῳ χόρῳ *Lib. IX. pag.* 724. *edit.* WESSELING. Caeterum huic Librariorum errori, quo unius vocis defectu saepe peccant, caussam dedit tum festinatio et communis ἀβλεψία, tum forte, quod non memini, a quoquam Criticorum hactenus animadverti, vetustissimus scribendorum librorum sculpendarumque tabularum mos, quo interdum nomen, in primis proprium, eodem vel proxime sequenti versu altera vice recurrens, posteriori solebat loco praetermitti, ita tamen, ut spatium, ejus nominis capax, relinqueretur vacuum: cujus rei ex veteri Orthographia Lapidaria, tam Graeca quam Latina, unum atque alterum in medium producam exemplum *Libr. seq.* ubi vetustiora quaedam *Monumenta Epigraphica* illustrabimus; cum maxime illuc redituri, unde discesseramus.

Aegyptii, omnium hominum, ut se jactabant, primi ac prae aliis gentibus maxime superstitiosi, dubium non est, quin, religionis causa festorumque celebrandorum, dies quoque fastos et nefastos observaverint. DIODORVS etiam SICVLVS *Lib. I. Bibl. cap.* 72. quosdam tristi omine ob acceptam cladem funestos habuisse, testatur, ubi tradit, post regis obitum, communi luctu suscepto, per dies LXXII. templa habere clausa, neque sacrificare neque festa celebrare solitos. Verum an, aliorum more populorum, ejusmodi atros dies, quotannis stato tempore redeuntes suisque in *Fastorum Tabulis* notatos, habuerint Aegyptii, Scriptorum veterum de *Aegyptiacis rebus* penuria, certo adfirmare non ausim: Israëlitis tamen, quibuscum Aegyptiis haud pauca fuerunt communia, non plane incognitum fuisse, aut inobservatum felicium infeliciumque dierum discrimen, ex *Libr. Iobi cap. III. vs.* 5. colligere mihi videor, ubi malis victus vir pius natalem exoptat inter *atros* dies (ab eo enim colore et illic fit appellatio) funestosque in posterum referri: conf. STEPH. *le* MOYNE *Epist. ad ampl.* CVPERVM, *de Melanophor.* adjecta hujus *Harpocrati pag.* 262. *sq.* Inter dies autem *Aegyptiacos*, qui in Christianorum memorantur *Fastis*, Graecorumque ἀποφράδας, ut illi vocant, et Romanorum *atros*, non omnino probe convenire rationem, maxime mihi persuadeo; quamquam ill. SALMASIVS de *Ann. Climact. pag.* 815. nefastorum ejusmodi dierum observationem ab Aegyptiis proditam arbitratur, indeque *Aegyptiacos* appellatos. Nullam apud vetustiores Auctores dierum *Aegyptiacorum* mentionem offendimus, ante saeculum postChristum natum quartum: AMBROSIVS in *Epistola Paschali ad Episcopos Aemiliae* Christianos notat, more gentilium, solitos obeundis negotiis varios

Lunae

Lunae curſus commendare et cavere dies *poſteros* vel *Aegyptiacos:* et AVGVSTINVS in *Expoſitione Epiſtolae Paullin. ad Galatas cap. IV.* plena, ſcribit, eſſe conventicula hominibus, qui *tempora a Mathematicis acciperent, et,* inquit, *ne inchoëtur aliquid aut aedificiorum aut hujus modi quorum libet operum diebus, quos Aegyptiacos vocant, ſaepe etiam nos monere non dubitant.* Vtrique conſentit ejusdem aetatis vetus *Kalendarium*, ſub Conſtantio, Imperatoris Conſtantini M. filio, anno circiter P. C. N. CCCLIIII. compoſitum, ut recte monuit BVCHERIVS in *Comm. de Doctr. Tempor. pag.* 275. et LAMBECIVS in pleniore ejus *Kalendarii* editione, *Tom. IV. Bibl. Vindebon.* poſt inſerta *Tom. VIII. Theſaur. Antiq. Rom.* GRAEV. *pag.* 95. *ſqq.* perperam SALMASIVS *l. c.* et SPONIVS in *Miſc. Erudit. Antiq. pag.* 55. Conſtantini aetate confectum dicunt, ipſo anno Chriſti CCCXXV. quo prima ſynodus Nicaena celebrata eſt. In eo *Kalendario* ſingulis menſibus *bini* notantur dies *Aegyptiaci*, praeterquam menſe Januario et Aprili, qui *ternos* habent; unde ſimul patet, veram non eſſe Eminentiſſimi Cardinalis NORISII obſervationem in *Diſſert. III. ad Cenotaph. Piſana pag.* 373. ubi ad locum PETRI COMESTORIS in *Hiſt. Scholaſt. Quaeſt. XI.* ſcribentis, quolibet menſe *duo dies Aegyptiacos* vocari in *Kalendariis*, notat, inde patere *Kalendarium* illud *Lambecianum* PETRO COMESTORI notum jam fuiſſe, licet nemo editorum id ante obſervaverit, in eo enim *Kalendario* dies *viginti quatuor* Aegyptiacos ſignari, menſe quidem Ianuario *tres*, at menſe Septembri *unicum* tantum modo, in reliquis vero decem menſibus *binos.* Cum autem in iſto *Kalendario* Ianuarius non tantum, ſed et Aprilis *ternos* dies Aegyptiacos habeant, Septembris quoque, ut menſes reliqui, *duos* atque adeo univerſum toto anno ſint *ſex ſupra viginti*; COMESTOR vero *binos* ſingulis menſibus, adeoque per integrum annum *viginti quatuor* in *Kalendariis* notatos fuiſſe, memoret, manifeſto apparet, non Conſtantii *Kalendarium* illud *Lambecianum*, ſed alia potius contemplatum eſſe, in quibus quovis menſe *duo* ſignati erant dies *Aegyptiaci.* Et ſane notari meretur, quod SALMASIVM quoque non fugit, alia Kalendaria vetuſta, a viro ill. inſpecta, *binos* ſingulis menſibus Aegyptiacos dies notare, vid. *pag.* 816. *ſqq.* ubi ex duobus diverſis codicibus duo ejus modi dierum laterculos exhibet.

Dies Aegyptiaci in eo conveniunt cum Graecorum ἀποφράσι ac Romanorum *atris*, quod utrisque religioſum habebatur novi aliquid negotii inchoare, ut ex AMBROSIO et AVGVSTINO *citt.* conſtat: idemque copioſius

ſius docet Anonymus auctor *Kalendarii Graeci*, cujus verba nobis refert SALMAS. *l. c. pag.* 816. *ſq.* ἐνίας, inquit, τῶν ἑκάστου μηνὸς ἡμερῶν, ὡς ἀπαισίους καὶ ἀποφράδας σημειουμένη, ἤγουν ἀνεπιτηδείους πρὸς πᾶσαν ἐπιχείρησιν καὶ βλαβερὰς· εἰσὶ δὲ ἅιδε ἑκάστῳ δηλονότι μηνὶ ἀνὰ δύο ἡμέραι· deinde hos dies, narrat, ESDRAE, Sacerdoti ac Prophetae, a Deo monſtratos, ut populus Iſraëlis ſciret, quibus, uno quoque menſe, diebus deberent a coitu cum uxore, a plantarum inſitione, ſanguinis miſſione aliisque multis operibus abſtinere: ἐν ταύταις γὰρ ταῖς ἡμέραις, ſcribit, ὁ ἀσθενῶν οὐκ ἀνίσταται, ὁ γάμους ποιῶν οὐ χαίρει, ὁ εἰς πόλεμον ὑπάγων οὐκ ἀναστρέφεται, ὁ πραγματευόμενος ἀπόλλει ἢ τετράποδον ἢ δοῦλον, ἢ ὅρκον ποιῶν, ὁ κτίζων οὐ στήκει, ὁ εἰς κριτήριον πίπτων μετὰ ὕβρεως καὶ αἰσχύνης στρέφεται. Verba ἢ ὅρκον ποιῶν loco videntur ſuo mota, forte reponenda *verſu ſuperiore*, hoc modo, ὁ πραγματευόμενος, ἢ ὅρκον ποιῶν, ἀπόλλει ἢ τετράποδον, ἢ δοῦλον· et poſtea, pro ὁ εἰς κριτήριον πίπτων, legere malim ἥκων, *veniens*, aut ἕλκων, *in judicium aliquem vocans.* Differunt autem *Aegyptiaci* dies et ἀποφράδες *atrique* in eo, quod hi ob cladem, eo die acceptam, inſignes, quotannis certi ſtatoque tempore, die ac menſe redirent; illi incerti annisque vertentibus aliis inciderent diebus, ex aſtrorum curſu petiti: certos enim ac ſtatos non fuiſſe, ut SALMASIVS arbitratur *pag.* 818. ex triplici *Kalendariorum* diverſorum laterculo apparet, quae, cum non iisdem, quovis menſe, diebus *Aegyptiacos* adſignent, palam eſt, *Kalendaria* illa diverſorum eſſe annorum. Moris nempe fuiſſe, arbitror, ſaeculo iſto poſt C. N. quarto, ut Mathematici, quem ad modum apud nos *Almanachiorum* calculatores, altero anno ad finem vergente, in annum ſequentem nova *Kalendaria* conficerent iisque, in conſilium adhibitis aſtris, dies quoquo menſe *Aegyptiacos* notarent et *felices* quoque, (εὐχρήστους ἡμέρας appellant) quales ſingulis erant menſibus *quaterni*; eamque dierum infelicium, ex aſtris petendorum, obſervationem, non ex Graecorum aut Romanorum religione derivatam, ſed per Aegyptios et Chaldaeos jam olim inter Iſraëlitas genteſque alias introductam, ex ſuperſtitione Hebraeorum Rabbinica perveniſſe, arbitror, ad ejus temporis Chriſtianos; quo maxime inducor, ut credam, quod Auctor ille *Kalendarii* apud SALMASIVM, dies illos *Esdrae* Sacerdoti monſtratos, narret, ut populo Iſraëlis declararentur ac ſcirent homines, quibus diebus

ab opere esset abstinendum. Obiter hic notari etiam potest, Graecos et Romanos, praeter *atros* dies et religione tactos, qui iure Pontificio veteri in publicis *Fastorum Tabulis* descripti erant, observasse etiam privata superstitione quosdam dies, a Mathematicis Chaldaeis ex siderum concursu petitos, quod CICERO *Orat. pro Muraen. cap.* 11. significat, ubi dies agendi olim ante Cn. Flavium, a Pontificibus, *tamquam a Chaldaeis*, scribit, *peti solitos*: nam si vel iter ingredi vellent, vel aliud suscipiendum esset negotii, aut cibus capiendus, consulebant prius superstiosi homines Mathematicos, sciscitaturi, bene ac feliciter foret eventurum, necne? conf. IVVENAL. *Satyr. VI. vs.* 572. et *aliquot sqq.* eodem modo intelligendi apud VIRGIL. *felices operum dies*, *Lib. I. Georg. vs.* 276. Ex supra disputatis, ni fallor, discrimen horum dierum satis constat, simulque apparet, non plane eosdem fuisse, atque eos qui Latinis *Allienses*, Graecis ἀποφράδες nominantur: ut LAMBECIVM, sibi non liquere, quales fuerint, ingenue fassum, monuit, minus accurate GRAEVIVS *Praef. Tom. VIII. Thes. Antiq. Rom.* et ante GRAEVIVM, NORISIVS ad *Cenotaph. Pisan. p.* 373. Licet enim AMBROSIVS dies *posteros*, qua appellatione *atri* Romanorum notantur, et *Aegyptiacos* coniungat, et καταχρηστικῶς quicumque dies infelix, seu ex astris, seu aliunde caussa infelicitatis petita, *posterus* nominari possit, non tamen inde conficiendum, fuisse eosdem et persimiles.

Prius vero, quam hinc discedo, ad Graecos transiturus, de ipsa appellatione, cur *Aegyptiacorum* nomine dierum fuerint insigniti, verbo dicendum restat. Quem *supra* memoravi, Magister PETR. COMESTOR (floruit is saeculo XII. v. MORHOF *Polyhist. T. II. Lib. I. cap.* 14. §. 1.) originem habuisse dies *Aegyptiacos* et ita appellatos, putat, quod illis olim diebus Aegyptii aliqua plaga fuerint percussi; quam opinionem, teste NORISIO *l. c.* pluribus dudum refutavit TOSTATVS *ad Cap. XII. Exodi*, et ex supra disputatis quoque refellitur. IVNIVS in *Lib. de Ann. et Mensib. Tom. VIII. Thes. Graev. pag.* 222. *Aegyptiacos*, ita a gentis vanitate appellatos, arbitratur; quod ne veri quidem speciem habet: GRAEVIVS autem in *Praef. Tom. cit.* hoc nomen accepisse credit, quod Aegyptii eorum dierum, ut aliarum superstitionum, fuerint auctores; ac denique Ampl. CVPERVS in *Harpocrat. pag.* 90. quod exemplo Aegyptiorum Romani hos dies observarent. Verissima videtur denominationis ratio, quod petebantur re vera hi dies potissimum ab Aegy-

gy-

gyptiis, Mathematices omnisque Astrologiae et divinationis doctrinae scientissimis.

§. III.

De Atheniensium aliorumque Graeciae populorum *Festis diebus Feriisque* multa integris tractatibus alii scripserunt, in primis IO. MEVRSIVS in *Graecia Feriata:* conf. quos plures laudat FABRICIVS in *Bibliogr. Antiquar. Cap. X. pag. m.* 446. Festorum celebrandorum duplex fuit caussa, ἱεροποιΐα et ἄνεσις, *sacrorum cura, laborumque intermissio*; inde *dierum festorum* et *profestorum* discrimen introductum: vid. CASAVB. de *Satyr. Poës Lib. I. c.* 1. Festi, dies feriarum publicarum caussa, omnes erant *nefasti*, ἄπρακτα, quibus judicia neque publica neque privata exerceri poterant: ATHENAEVS *Lip. III. Deipnosoph. cap.* 20. *pag.* 98. Panathenaeorum die festo τά δικαστήρια ὀυ συνάγεται, scribit, eumque propterea diem ἄδικον ἡμέραν appellatum: ἄδικος ἡμέρα, *festus dies* et *a fori litibus vacuus*, quasi oppositum τῆ ἐνδίκου ἡμέρας, recte damnat POLLVX, tamquam βιαιότερον *Lib. VIII. Segm.* 25. neque ex ATHENAEI *loco cit.* auctoritatem accipit ullam, cum ibi quoque referatur inter καινὰ καὶ οὐδέπω ἐν χρείᾳ vocabula, quibus POMPEIANVS quidam Philadelphensis delectaretur. *Festis* contrarii opponuntur dies profesti, seu *fasti*, δικάσιμοι, ἔνδικοι, ἔμπρακτοι appellati, quibus rite populi comitia habere, judicia agere, remque publicam foris et domi administrare licebat: vid. SIGONIVS de *R. P. Athen. Lib. III. c.* 2. POLLVX *Lib. cit. segm.* 26. ubi recte ex MANVEL. COMNENO V. D. docet, Christianis quoque ἑορτάδας ἡμέρας non fuisse judiciales, sed ἀπράκτους dictos, quibus oppositae ἡμέραι ἔμπρακτοι· quae vero *ibid.* notantur de Romanorum *diebus atris*, quorum ratio diversissima erat, tuto possunt praeteriri. Feriarum igitur festorumque dierum caussa cum, teste STRABONE *Lib. X. pag. m.* 467., fuerit duplex praesertim, apud Graecos barbarosque, sacrorum cura et laboris intermissio, ut simul Diis operati homines laetitiae publicae indulgerent, iisdem diebus litium et judiciorum erat requies, id quod colligere est ex ARISTOPHANIS Θεσμοφοριαζ. *vs.* 84. *sqq.* ubi cum dixisset *Euripides*, isto die judicatum iri de se, rogat *Mnesilochus*:

Καὶ πῶς; ἐπεὶ νῦν γ᾽ οὔτε τὰ δικαστήρια
Μέλλει δικάζειν, οὔτε βουλῆς ἐσθ᾽ ἕδρα·
Ἐπεὶ τρίτη ᾽στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Vltimi verſus illa τρίτη Θεσμοφορίων μέση, MEVRSIVS in *Graecia Feriat. Lib. IV. pag.* 165. ita interpretatur, ac ſi *medio* tantum *die tertio* Cerealium a jure dicundo abſtinuerint Athenienſes: equidem de omnibus accipiendum arbitror feſti diebus, qui quatuor fuerunt, teſte HESYCHIO in τρίτη Θεσμοφορίων, ubi ad *hunc* ARISTOPHANIS *verſum* reſpiciens, ζητεῖται, inquit, πῶς ἅμα μὲν λέγει, τρίτην Θεσμοφορίων εἶναι, ἅμα δὲ μέσην, τεττάρων οὐσῶν ἡμερῶν· haec difficultas MEVRSIVM *Lib. cit. pag.* 155. ſubegit, ut dierum hujus feſti numerum pronunciaret incertum, ſi enim *tertius* dies Cerealium fuerit *medius*, quod ex ARISTOPHANIS verſu colligit, HESYCHIVM, qui *quatuor* fuiſſe aiat, exiſtimat aberrare. Neuter horum, ut apparet, ſatis probe intellexit Comici verſum. Eadem hac difficultate motus, qui non intelligerem, ut *tertia* dies μέση Θεσμοφορίων poſſet deſignari, levi mutatione ſuccurrendum putabam, pro ἡ μέση legens ἡμέρα·

Ἐπεὶ τρίτη ᾽στὶ Θεσμοφορίων ἡμέρα·

Siquidem hodie eſt tertius dies Cerealium: ſed vulgatam praeſtat lectionem ſervare, modo τρίτη ἡ μέση Θεσμοφορίων explices de *medio die tertio*, ſeu *meridie tertii diei*.

Porro feſtis quoque diebus re militari abſtinebant Graeci; ut toto menſe *Julio*, quem Καρνεῖον vocabant, ferias agitantes Spartani et Dorienſes, bellum non ingrediebantur, vid. THVCYDIDES *Lib. VII. c.* 54. ubi Scholiaſtes notat: τοῦ γὰρ Καρνείου πολλὰς ἔχοντος ἱερὰς, ἢ καὶ πάσας ἱερὰς μᾶλλον, οὐκ ἐστρατεύοντο. Menſe Δαισίῳ, qui *Majo* reſpondet, ſacrorum ſolemnium cauſſa, Macedones ominoſum habebant, exercitum educere: ſic pariter integrum menſem Δημητριῶνα Athenienſes ex Senatus conſulto feriatum habebant, Ἱερομηνίαν propterea appellatum; vid. IVNIVS de *Ann. et Menſ. cap.* 5. *Theſaur. Graev. Tom. VIII. p.* 222. et Epheſii, menſe toto *Artemiſione* (Ἀρτεμισιῶνα nominabant, quem reliqui Graeci et Macedones Ἀρτεμίσιον) Dianae ſacrato, ludos publicos celebrabant, vacationem operis feriasque agitabant, ut eximie nos docet

docet Fragmentum veteris *Decreti* urbis Ephesinae, addita, in altero ejusdem lapidis latere, *Inscriptione* in honorem ejus, qui sacra ludosque instauraverat, apud HESSELIVM in *Append. Praefat. ad* GVDII *Inscript.* Vtrique *Inscriptioni*, corruptissime editae, postea *alio loco*, ubi *Monumenta* quaedam exponemus *Asiatica*, aliquam faciemus medicinam. Lacedaemonii, teste HERODOTO *Lib. VI. pag.* 487. cum negant, mense *Boëdromione*, sibi ante plenilunium licere, contra barbaros in Atheniensium suppetias milites educere, non aliter id accipiendum, existimo, quam quod sacra eo mense celebrarentur publica, usque ad cyclum Lunarem impletum, quae, lege sancita, bello interrumpi nefas foret. Alia plura in hanc rem accuratius investiganti obvia erunt; nobis vero morari non licet.

Ad alteram dierum apud Graecos distinctionem pergo, in *faustos* atque *infaustos* seu *atros*, quos illi praecipue ἀποφράδων, sed et aliis nominibus insigniebant, appellantes eos ἐπικάδας, δυσφήμους, μιαρὰς, ἀπευκτὰς, ἀπαισίους, ἀπράκτους et ἀκύρους, quae singula singulatim explicare et veterum Scriptorum auctoritate firmare, nihil adtinet. Ἀποφρὰς ἡμέρα, quasi μὴ οἷατε οὖσα φράζεσθαι, interprete EVSTATHIO, vi vocis, dies erat, qui Latinis dicebatur *nefastus*; *nefandus*; quo sensu accipiendus PRISCIANVS *nefastos* dies interpretatur *nefandos*, et a Graecis ἀποφράδας dictos, scribens. Quodcumque enim infaustum, sceleratum, nefandum esset ac δυσφημίαν nominis haberet vel ominis, Graecis ἀποφρὰς, Romanis *nefastum* appellabatur: eo significatu ἄνθρωπος ἀποφρὰς, in illo *senario*:

Ἄνθρωπος ἀποφρὰς καὶ βλέπων ἀπιστίαν·

et ἀποφράδες πύλαι, *portae sceleratae*: sic HORAT. *nefastum diem* dixit pro *atro*, *infausto* et *homines nefastos*; *locus* etiam et *terra* dicitur *nefasta* eodem sensu.

Prorsus, ut de instituto apud Romanos dierum discrimine post videbimus, ita Graeci quoque ἑορτάδας *festos* et *feriarum dies*, ab *atris* seu *religiosis*, quos κατ' ἐξοχὴν appellabant ἀποφράδας, distinxerunt. Vtrique dies ἡμέραι erant ἄπρακτοι et ἄκυροι, ad publica quaevis negotia et judicia exercenda inepti; sed festi quidem ἄπρακτοι erant religionis caussa et sacrorum, atris vero diebus, eo quod ominosi erant ob cladem, iisdem antea diebus acceptam, nihil, neque publice neque privatim, auspicari fas erat: LVCIANVS in *Pseudologista* (quem libellum alio nomine περὶ τῆς

 ἀπο-

ἀποφράδος inscripsit) *Tom. III. pag.* 172. *edit. Reitz.* notat, Athenienses ἀποφράδα appellare, τὴν μιαρὰν, τὴν ἀπευκτὴν, καὶ ἀπαίσιον, καὶ ἄπρακτον ἡμέραν, quibus deinde, paucis interpositis, addit, ἀποφράδα ἡμέραν Atticis fuisse diem, quo neque Magistratus consultarent, neque lites in foro disceptarentur. Sed vero cum dies, quibus homicidii caussae judicarentur, ἀποφράδων nomine etiam veniant, forte quaerat aliquis, an non quidam dies atri re vera fuerint interdum δικάσιμοι *judiciales?* Adscribam locum ex MICHAËL. APOSTOLIO *Centur.* III. *Proverb.* 97. Ἀποφράδες ἡμέραι.] αἱ ἀνεπιτήδειοι πρὸς πράξεις· ἐν αἷς καὶ τοῖς κατοιχομένοις χοὰς ἐπέφερον. ταύτας οἱ παλαιοὶ ἐπεικάδας καλοῦσι φθίνοντος τοῦ μηνὸς* τετράσι. * δέ φασι τὰς ἡμέρας, ἐν αἷς τὰς φονικὰς δίκας ἐδίκαζον, διὰ τὸ οἷον ἀποφράττεσθαι τὸ τῆς σελήνης φῶς ἐν αὐταῖς· καὶ τοὺς πονηροὺς δὲ ἀποφράδας ἐκάλουν. Locus ex variis variorum interpretum glossis consutus est; SVIDAE sunt αἱ πρὸς πράξεις ἀνεπιτήδειοι, quibus verbis usitatam interpretatur ἡμερῶν ἀποφράδων notionem: quae deinde sequuntur, ἐν αἷς κατοιχομένοις χοὰς ἐπέφερον, ex TIMAEI *Lexic. Platon.* sunt desumta et minus propriam vocis significationem docent, ut paullo post videbimus: verba dein ταύτας οἱ παλαιοὶ ἐπεικάδας καλοῦσι φθίνοντος τοῦ μηνὸς τετράσι, aliunde huc migrarunt atque in fine mutila et corrupta sunt: PANTINVS in *Not.* supplendum censet, τετράδα πρώτην, δευτέραν· nescio, an recte satis; desideratur nomen mensis Ἀνθεστηριῶνος, *Februarii*, quo nempe exeunte Dis Manibus sacra fieri mos erat. Tandem, ut pergit Auctor, δέ φασι *etc.* ex *Etymologico M.* depromta ita videntur restituenda: Ἀποφράδας δὲ καί φασι *etc.* cum vero docent Grammatici, ut hic APOSTOLIVS, ἀποφράδων nomine venire etiam dies, ἐν αἷς ἐδίκαζον φονικὰς, quibus de homicidio judicaretur, vel capitales ferrentur sententiae, non hoc volunt, diebus vere atris ista habita esse judicia, quod fieri nequibat; sed vulgo ejusmodi dies ominosos et infames habitos, ac propterea ἀποφράδων nomine nuncupatos quoque.

Festi autem dies, quamquam et ἄπρακτοι illi, nusquam tamen, nisi et ipsi forte tristi omine essent infames, ἀποφράδες dicti: quod enim

scribit

ſcribit PLVTARCHVS in *Alcibiad. Tom. II. pag.* 45. diem, quo Plynteria, *Minervae* ſacra (non *Cereri*, ut male GYRALDVS *Syntagm. XVII. pag.* 501.) agerentur, Athenienſes habuiſſe repoſitum ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων ἄπρακτον, non de die accipiendum, proprie nefaſto feriarum publicarum cauſſa, ſed potius de die vere *atro* ac *religioſo*, quique non tantum, quod dies feſtus, ſed quod ater quoque erat, ἄπρακτος dicitur et ἐν ταῖς τῶν ἀποφράδων. Egregie firmat hanc opinionem noſtram XENOPHON *Hiſt. Graec. Lib. I. pag.* 342. *edit. Oper. Lewenklai Baſil.* 1569. ubi de adventu agens Alcibiadis, die Plynteriorum in Piraeeum delati, ſimulacro Minervae, ejus feſti occaſione, cooperto, quod non nulli tum ipſi Alcibiadi, tum patriae infauſtum ominarentur, addit: Ἀθηναίων γὰρ οὐδεὶς ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ οὐδενὸς σπουδαίου ἔργου τολμῆσαι ἂν ἅψασθαι· *nemo enim Athenienſium eo die rei ſeriae quid ſuſcipere auſit:* fuit igitur vere is dies ἀποφράς· quod et POLLVX oſtendit *Lib. VIII. Segm.* 141. ſcribens: περισχοινίσαι τὰ ἱερὰ ἔλεγον, ἐν ταῖς ἀποφράσι, καὶ τὸ παραφράξαι· οἷον Πλυντηρίοις καὶ ταῖς τοιαύταις ἡμέραις. Obiter huic loco curam impendamus: agit POLLVX eo *Cap. XII.* de *mutuo*, *pignore* ac *depoſito*; intermedia vero illa, quae *Segm.* 141. leguntur, ubi morem exponit, templa diebus atris, et fora, quando arcana judicarentur, funibus circumdandi, non vero ſuo titulo videri poſſunt collocata, atque adeo inde a verbo περισχοινίσαι usque ad ἐπιμήσασθαι quae leguntur, reponenda conjicio *ſupr. hoc Lib. c. X. Segm.* 123. ubi, de Athenienſium judiciis agens, ea de conſuetudine, funibus fora cingendi, monet, ibique ejus rei occaſione, haud incommode aut loco prorſus alieno, interpoſuiſſe arbitror, quae hic de templorum et fororum circumdatione memorantur: itaque fini *ſegm.* 123. ibi ſubjiciantur verba hinc retracta in hunc modum conſtituenda: περισχοινίσαι καὶ (quae particula facile ſyllaba praecedenti αι abſorpta eſt) τὰ ἱερὰ, ἔλεγον ἐν ταῖς ἀποφράσι, καὶ τὸ παραφράξαι· οἷον Πλυντηρίοις καὶ ταῖς τοιαύταις ἡμέραις· περισχοινίσαι δὲ τὸ δικαστήριον, ὅποτε περὶ μυστικῶν δικάζοιεν, ἵνα μὴ προσίῃ μηδεὶς, ἀνεπόπτευτος ὤν. Deinde quae ſequuntur paucula de triplici jurejurando, a Solone inſtituto, ad *ſegm.* 122. pertinere videntur et illuc referenda: perperam enim GYRALDVS *l. ſupr. cit.* jusjurandum id ad Plynteria refert, ceu vero eo

tantum festo per triplex Iovis numen iurare licuerit. Haec obiter. Caeterum, cur dies festus *Plynteriorum* fuerit apud Athenienses ἀποφράς, ratio non adeo est in promtu, cum ea festorum dierum sit natura, ut laetitiae ac hilaritati sint consecrati; quin dies etiam, qui ferias proxime sequantur, ἐπίβδαι dicti, a plebe, tanquam festi, ludendo et otiando celebrari soleant, vid. quae docte notat cl. RVHNKENIVS ad *Timaei Lexic. voc. Plat. voc.* ἐπιβδάδαι. Cum autem isto die vestimenta Minervae omnisque ornatus, simulacro detractus, lavarentur, ejusque rei ergo Dea, statua ejus velamento cooperta, temploque fune circumdato, ne quis adiret, omnem videretur divinum cultum aversari, mali ominis id esse interpretati sunt, atque eam ob caussam, credo, is dies inter atros repositus est: conf. quae *infra* dicemus de die, in Romanorum *Fastis* notato his literis; Q.S.D.F. et de iis, quibus *Mundus patere* dicebatur. PLATO etiam, quamquam dies festos velit esse ἀπεράχτους, aperte docet ἀποφράδας non esse appellatos, *Lib. VII. de Legg. pag.* 632. *E.* ubi plerarumque taxans Graeciae civitatium morem, quo, diebus festis, postea quam Magistratus publice sacra fecisset, continuo multi chori, prope aras circumsistentes, flebilibus ac miserandis vocibus sacra quasi temerarent, eam consuetudinem censet lege abrogandam, quoniam si querula unquam oratio audienda sit, ea conveniat potius, ὁπόταν, inquit, ἡμέραι μὴ καθαραί τινες, ἀλλὰ ἀποφράδες ὦσι, *si quando dies quidam sunt, non puri aut festi, sed infames et ob cladem funesti:* opponuntur ἡμέραι καθαραὶ, *puri dies*, ut Romani etiam appellant, id est, *fasti*, *comitiales* et *proeliares*, diebus atris, ἀποφράσι. PLVTARCH. in *Lucull. Tom. III. pag.* 176. ἀποφράσι, opponit ἡμέραν εὐτυχῆ. Sed PLATO, ejulatum non festis diebus, sed magis ἐν ταῖς ἀποφράσι convenire, scribens, non ad generalem illam et usitatam vocis ἀποφρὰς notionem respexit, sed specialem potius, qua scilicet ἀποφράδες dicuntur dies quicumque tristes et funesti, unde TIMAEI *glossa* ἀποφράδες ἡμέραι, hunc locum respiciens, vertit ἐν αἷς τοῖς κατοιχομένοις χοὰς ἐπιφέρουσιν· ἢ αἱ πρὸς πράξεις ἀνεπιτήδειοι· quam TIMAEI glossam, a SVIDA descriptam, inde migrasse in MOERIDIS libellum de *vocibus Attic.* ipso tamen Atticista invito, notat celeberr. RVHNKENIVS in *Not. ad Timaeum pag.* 34. Mihi vero, quod pace dixerim

viri cl., aliter paullo videtur ſtatuendum: nimirum duplex hic eſt vocis ἀποφρὰς interpretatio, altera generalis et uſitatiſſima, qua notat *diem atrum* et in *Faſtis* damnatum, ob cladem acceptam, eoque pertinet poſterior gloſſa αἱ πρὸς πράξεις ἀνεπιτήδειοι· altera vero notionem docet ſpecialem, qua PLATO praecipue *loc. cit.* ἀποφράδας dixit dies illos, ἐν αἷς κατοιχομένοις χοὰς ἐπιφέρουσιν, ut prior gloſſa habet: cum ergo conſilium fuerit TIMAEO, hoc libello antiquata potiſſimum verba, quibus PLATO uſus fuit, et abſtruſas minusque uſitatas vocum *Platonicarum* ſignificationes interpretari, nullus equidem dubito, quin prior gloſſa, reconditam vocis ἀποφρὰς in *loco* PLATONIS notionem docens, TIMAEO auctori ſit adſcribenda; inde SVIDAM, ex SVIDA autem vel aliunde APOSTOLIVM deſcripſiſſe, veroſimile ſit: altera vero vocis ἀποφρὰς, vulgari et notiſſimo ſumtae ſignificatu, interpretatio ex SVIDA potius ab interpolatore aliquo TIMAEI huc inlata videtur et pannus purpurae adſutus: ac ſane merito quidem dolet vir cl. in *Praefat.* * 5. *vers.* hunc TIMAEI foetum ab homine male feriato paſſim interpolatum ſtultiſſimoque conſilio aliorum gloſſis amplificatum: addo, ineptiſſime ex aliorum Lexicis ſaepe gloſſemata intuliſſe, quae nihil ad intelligendum PLATONEM faciunt, qualia fere olfacere mihi videor, ubicumque priori gloſſae, quae locum exponit PLATONIS, ſubnectitur altera, intercedente particula disjunctiva ἢ vel copulativa καὶ· vid. *pag.* 9. *v.* ἀγροῖκος· *pag.* 31. *v.* ἀπόστολα· *pag.* 48. *v.* γελοῖον et *alibi.* Vnum ex multis locum praeterire non poſſum, *pag.* 58. *v.* δῆμος, quae explicatur: εἷς ἐκ τοῦ δήμου καὶ ἰδιώτης, καὶ ἡ πόλις σὺν τῇ βουλῇ· quae V. D. in *Not.* loca ex PLATONE citat, quibus δῆμος vertitur πλῆθος πόλεως, ubi Φρατρίαι, δῆμοι, κῶμαι a PLATONE conjunguntur, et φύλη ac δῆμος ſynonyma ſunt, neſcio, an ad TIMAEI gloſſam faciant: credo, PLATONEM voce δῆμος alicubi uſum pro *homine ex populo, ex plebe, plebejo, rudi*, quae ſignificatio, rarior quamvis, etiam *Lexicographis* nota; eaque notione ſumtum vocabulum TIMAEVS exponit δῆμος, εἷς ἐκ τοῦ δήμου καὶ ἰδιώτης· recte ſane: quo eodem etiam poſitum ſignificatu δῆμος olim in proprium viri nomen, cujus plura occurrunt compoſita, migraſſe videtur: ſed de *ratione propriorum nominum apud Graecos* alias dicam. Cum vero huic ſuperiori gloſſae adjungatur altera, καὶ ἡ πόλις

ἐν τῇ βουλῇ, quam vocis significationem notissimam, nihil adeo intererat, Lectorem moneri, eam a manu TIMAEI prorsus alienam puto. Redeo ad eum PLATONIS locum, cujus occasione longius fuimus digressi. Ἀποφράδας dixit ille peculiariter dies, quibus Dis Manibus inferiae peragebantur, quales septem fuisse observatos Athenis, quidam tradunt Auctores, vid. *Etymolog. M.* (perperam PANTINVS *ad Apostolium l. c. pag.* 296. ex HESYCHIO memorat, septem fuisse atros dies φονικῶν δικῶν.) Vtrum vero dies illi Graecis quoque re vera fuerint ἀποφράδων numero, ut apud Romanos *Feralia*, quibus Deorum omnium templa claudebantur, an ἀποφράδες tantum dicti et vulgo habiti, eo quod omnia, quae Manes spectant, tristia putantur & ominosa, accuratius nunc disputare non lubet.

Caussas hujuscemodi dierum instituendorum varias fuisse, scribit LVCIANVS in *Pseudolog. l. c.* in primis tamen significat, eorum originem fuisse apud Athenienses, quod iis aliquando diebus gravi clade superati, exinde dies, quibus rem male gessissent, pro atris et inauspicatis habendos censuerint atque inutiles ad rei publicae negotia tractanda. Quamquam igitur, ut LVCIANVS subindicat, aliae ἀποφράδων caussae fuerunt privatae, cum quisque noxia sibi fugienda notaret, imo etiam, licet Graeci, consultis Mathematicis, sibi privatim felices aut infelices dies ex astris aliove coeli motu petierint, vid. SALMAS de *Ann. Climact. pag.* 819. *sqq.* unica fere publice constitutarum ἀποφράδων caussa fuit publica calamitas et belli clades; nam quod APOSTOLIVS aliorum, sed ejusdem farinae, Philosophorum auctoritate tradit, ἀποφράδας appellatos dies, ἐν αἷς φονικὰς δίκας ἐδίκαζον, διὰ τὸ οἷον ἀποφράττεσθαι τὸ τῆς σελήνης φῶς· tanti non est, et alia superstitio aliam trudit. Sed vero animadvertenda hic loci est crisis SALMASII, ut mihi quidem visa est incommoda, quando in *Lib. cit. pag.* 814. non semel miratum se, scribit, cum in Graecorum libris legeret de dierum infelicium observatione, non eam factam esse ex astrorum, aliusve cujuslibet potestatis naturalis comprehensione, ἀλλὰ ἐκ παραδόσεως μὲν παλαιᾶς καὶ ἐμπειρικῆς δῆθεν κατάγεσθαι· *ex antiqua et experientia confirmata fluxisse traditione:* quam miram ejus modi dierum caussam imo ridiculam pronunciare, non dubitat vir ill. Sed contra mirari licet, virum acri sane judicio praeditum ab omnique doctrinae

ctrinae copia instructissimum, in re, minime obscura, nihil perspexisse veri: nulla enim est caussa, quare Graecos auctores fugillet, perstringat aut adeo miretur: non Graeci, neque etiam Romani, quod fieri tamen oportuisse, contendit SALMASIVS, ab astris, vel aliqua aëris temperie coelive mutatione, ut Aegyptiorum Chaldaeorumque Astrologi, petitos dies atros pro infaustis habuerunt; verum ideo, quod magis rei naturae ac vanae, sed receptae tamen ac publice probatae, hominum opinioni congruebat, funestos hos dies in *Fastis* fugiendos notaverunt, quod iis ante diebus res publica damnum fuerat perpessa; unde OVIDIVS *Lib. I. Fastor. vs.* 59. *sq.*

Omen ab eventu est; illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

Quam eandem et unicam fuisse ἀποφράδων apud Graecos rationem, diserte LVCIANI nos docet locus; neque aliud verba Graeci Scriptoris, a SALMASIO adducti, modo recte capias, significant, et a PLVTARCHO quoque confirmatur exemplis, quae in *Camill. Tom. I. pag.* 105. non nulla commemorat.

§. IV.

Ad Romanorum instituta accedo. NVMA POMPILIVS, pacis amantissimus Rex, novam civitatem, vi et armis conditam, jure sacro et legibus de integro condere instituit, suorum civium efferatos bello animos metu Deorum injiciendo mitigavit, sacra instituit ex iisque civilem administrandae rei publicae disciplinam formavit. Alia inter plurima, veteri anno ad cursum Lunae in duodecim menses in melioremque formam redacto, *Fastos* et *Nefastos* dies descripsisse memoratur, quibus nempe diebus *fari* aut *non fari*, id est, *agere* vel *non agere cum populo* liceret. vid. LIVIVS *Lib. I. c.* 19. Graecorum, an vero aliarum gentium mores in nova anni ordinatione et dierum discrimine fuerit Numa sequutus, alii disquirunt; nos eam rem in medio relinquimus. Quae autem fuerit Regi Pompilio caussa, horum discriminis dierum instituendi, nondum adeo expeditae videtur quaestionis: LIVIVS *loc. cit.* ait, *quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat:* quae mihi tamen, ut verum fatear, non tam proxima, quam remotior ejus rei caussa vide-

tur, existimanti, nondum Numae tempore, sed postea demum, id commodi ex nefastorum dierum observatione ad rem publicam pervenisse, quando Pontificum artibus et fraude, nefastis diebus pro suo arbitratu interponendis, Patricii, ut turbulenta plebis ejusque Tribunorum consilia disturbarent, hoc usi fuere remedio, ne posset cum populo agi; quando eadem etiam de caussa Pontifices *Fastorum Tabulas* intimis penetralibus reconditas servabant, ut ab ipsis dies, quibus agere cum populo vel in jure liceret essent petendi. Vtitur LIVIVS prolepsi temporis impropria, tanquam caussam proximam Numae aliquid adsignans, quod postea demum occasione instituti ab Numa dierum discriminis obtinuit. Amplius dicam, ne nomen quidem *fastorum* aut *nefastorum* dierum, primis Romae temporibus hac in re cognitum fuisse videri, neque prius invaluisse aut usu receptum, quam Pontificum dolo Patricii hoc politeumate uti coeperunt in rei publicae administratione, ad plebis potentiam quoquo modo infringendam: praeter unum LIVIVM, nemo alius classicus testis, quod scio, Numae Pompilio fastorum nefastorumque dierum institutionem deberi, affirmat; FLORVM, EVTROPIVM similesque, LIVIVM sequutos non moror: et si quos habuere initio Romani dies *nefastos*, non ea appellatione, ut postea usu venit, *festi* et *feriarum dies*, sed *atri* atque *infames* designarunt; *nefastus* enim potestate vocabuli *nefandum* significat idemque valet, quod Graecorum ἀποφράς, ut *supra* monui. Nihil igitur, praeter solam religionem, Regi Numae ob oculos versatum fuisse, quando primum haec jura dierum institueret, admodum mihi fit verosimile: nimirum, aliarum more gentium, quo magis sacra colerentur festisque diebus cultui divino vacarent sui cives, voluit, ut feriarum tempore litibus abstinerent, quoque magis posset laetitiae indulgeri publicae, quae communis fuit ubique feriarum caussa, in servis etiam operum laborumque esset intermissio. Quatenus ergo Numa feriarum festorumque dierum descriptione occasionem dedit et caussam fastis et nefastis diebus, a Pontificibus postea institutis itaque nuncupatis, quod *nefandum* esset, die festo cum populo agere velle, aut quod *fari*, id est *lege agere*, sine piaculo non liceret, recte quodam modo *Fastorum Auctor* dici poterit et *fastos nefastosque* dies instituisse, non vero etiam ipsi recte adscribi potest caussa, *quod nihil aliquando cum populo agi, utile futurum esset.*

Exi-

Eximius de fastorum et nefastorum dierum institutione locus est CICERONIS *Lib. II. de Legg. cap.* 8. ubi *Lex de Feriis publicis* in haec verba proponitur: FERIIS IVRGIA AMOVENTO; EASQVE IN FAMVLIS, OPERIBVS PATRATIS, HABENTO: ITAQVE, VT ITA CADANT IN ANNVIS AMFRACTIBVS, DESCRIPTVM ESTO: CERTASQVE FRVGES CERTASQVE BACAS SACERDOTES PVBLICE LIBANTO: HOC CERTIS SACRIFICIIS AC DIEBVS. ITEMQVE ALIOS AD DIES VBERTATEM LACTIS FOETVRAEQVE SERVANTO. ID QVOD NE COMMITTI POSSIT, AD EAM REM, RATIONEM, CVRSVS ANNVOS SACERDOTES FINIVNTO. Quae legis, ut videtur, ex antiquitate repetitae verba obscura et mentem ipse TVLLIVS *cap.* 12. ita breviter interpretatus est. *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, in servis operum et laborum, quas compositor anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. Quod tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur foetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est: quod institutum perite a Numa posteriorum Pontificum negligentia dissolutum est.* Sic uterque exhibetur locus in *edit.* DAVIESII *Cantabrig. a.* 1745. Obiter non nulla animadvertemus et illustrabimus. Quod ad priorem attinet locum, dixi verba videri *legis ex antiquitate petitae:* quod non ita velim accipi, ac si putem cum quibusdam Interpretibus, ipsam hanc esse legis vel Regiae vel Decemviralis formulam, hisce libris a CICERONE expositam; cum referat potius leges, quales in perfecta re publica, qua de ante scripserat, vellet observari; verum ita opinor, CICERONEM in *his libris* saepe antiquissimarum legum, praecipue *duodecim Tabularum*, quas et inter Regum leges fuerunt relatae, sententiam sequutum, retentis quoque hic illic earum verbis et veteri orthographia, uti ex stilo et vocibus haud paucis, CICERONIS tempore vel obsoletis vel aliter scribi solitis, colligitur. Quare inclinat fere animus, ut credam, hanc de *Feriis* legem ex *jure sacro Decemvirali*, atque adeo ex illo potissimum jure, quod primus NVMA apud Romanos constituit, desumtam transcriptamque esse. Verba legis: *itaque, ut ita cadant in annuis amfractibus, descriptum esto*, ex *cod. Reg.* sic constituit DAVIESIVS, cum antea vulgo legeretur *cadat;* recte, intelliguntur enim *feriae:* mihi praeterea ingrata est illa soni repetitio *itaque ut ita*, cujus legendum loco, *itaque, ut cadant;* et pro *descriptum esto* legi rectius posset, *descriptae sunto:* jubet lex feriis amovere jurgia, easque ferias in famulis habere, *operibus patratis*, id est ipso TVLLIO explicante, *conferri ad perfectionem operum rusticorum*,

et, *ut ita cadant*, rustico scilicet opere absoluto, *in annuis amfractibus*, hoc est, singulis annis vel annorum periodo, in *Fastorum Tabula* seu anni ordinatione a Pontificibus *descriptas esse*. Pergit Lex: *itemque alios ad dies ubertatem lactis foeturaeque servanto:* DAVIESIVS cum PIGHIO reponendum arbitratur: *itemque alios dies ad ubertatem lactis foeturamque servanto:* sed quid sit *dies servare ad ubertatem lactis*, non explicant illi, ego non capio: forsan sic corrigendum: *itemque* (vel *iidemque*, sacerdotes,) *illos ad dies* (quibus nempe *certis sacrificiis ac diebus*, ex praescripto legis, *certas fruges certasque bacas* publice libarent) vel *alios ad dies*, quibus lacte vel lactentibus hostiis opus erat, ut exponit TVRNEBVS, *ubertatem lactis foeturaeque servanto:* jubet, ad illos feriarum dies, quibus sacrificiorum fieri debebant libamina, copiam quoque lactis et foeturae, seu foetus pecorum, habere, cujus ex proventu epulationes adjicerentur, quem fere ad modum ipsum mox CICERONEM verba haec exponentem audiemus; quicum conferri poterit FESTVS in voc. *Ferias.* Sequitur in *Lege: id quod ne committi possit:* monet DAVIES., pervetustam editionem Venetam anni 1471. habere *idque*, unde corrigit, *in quae ne committi possit:* propius paullo lectioni editionis Venetae, (quae eadem est in rariori *operum Ciceron. editione* GOTHOFREDI, quae Lugduni prodiit sumtibus SYBILLAE *a* PORTA *anno* 1588. incognita DAVIESIO non tantum, verum et peritissimo harum rerum FABRICIO in *Bibl. Latin. ejusque suppl.* et fugit etiam cl. ERNESTIVM in *Hist. Crit. Oper. Cicer. typographor. formulis edit.* inter *Opuscula Philolog. et Crit. pag.* 135. *sqq.*) propius, dico, utriusque editionis lectioni *idque* accedet, si addita praepositione, quae facile absorberi potuit, legamus *in idque etc.* id est *in eam rem.* Vltima *Legis* verba sunt: *ad eam rem, rationem, cursus annuos Sacerdotes finiunto:* explicat DAVIES. *ob eam rem et rationem;* scio, hanc esse interdum potestatem praepositionis *ad*, huic tamen loco minus, puto, congruam; cur vero copulam *et*, quam omnes editi ac scripti libri retinent, exterminat? levi mutatione verba in hunc forte modum refingenda, *ad eam rem ea ratione*, cui lectioni favet *cod Med.* *Cursus annuos Sacerdotes finiunto:* id est, ita, diebus intercalandis, annos describunto, ut feriae quotannis cadant in annuis amfractibus, ad perfectionem rustici operis, atque adeo suo anniversario tempore redeant, ne aestivae feriae, ut aetate Ciceronis legimus factum, media hieme inciderent, hibernae autem aestate; Vid. SVETON. in *Caesare cap.* 40. Denique offendit me non nihil *Sacerdotum* mentio, siquidem in-

intercalandi poteſtas annorumque componendorum ratio ex ipſa Numae Pompilii inſtitutione ſemper fuerit penes Pontifices, non vero penes alia etiam Sacerdotum collegia: neque vero ſimile eſt, CICERONEM *hoc loco* generaliori *Sacerdotum* vocabulo *Pontifices* voluiſſe intelligere, dum ipſe alibi ſaepius hanc curam Pontificum propriam facit cumque in explicatione hujus Legis diſerte *Pontifices* quoque nominet, non videtur in ipſa formula legis, quae maxime perſpicua ſit oportet, generali *Sacerdotum* vocabulo uſus eſſe: credo ſcripſiſſe: *curſus annuos Pontifices finiunto*, vel ſine *Pontificum* mentione, *curſus annuos finiunto:* cum enim res eſſet notiſſima, intercalandi negotium Pontificum collegio datum, non adeo neceſſario vocabulum requirebatur. Vox autem *Sacerdotes* ex ſuperiori vel ſequenti verſu videtur huc intruſa a librariis, non minus frequenter abundantia, quam defectu vocum peccantibus. Haec dum ſcribo commode obvius mihi fit PLATO, cujus locum *Lib. VII. de Legg. pag.* 631. G. cum hoc CICERONIS loco comparandum, miror interpretes omnes oblitos; *quo* in *loco*, Aegyptiorum more, feſtos dies ſingulos certis anni temporibus ordinari, jubet; ἅστινας ἑορτὰς, ἐν οἷς χρόνοις καὶ οἷστισιν ἑκάστοις τῶν θεῶν καὶ παισὶ τούτων καὶ δαίμοσι γίγνεσθαι χρέων. *etc.* et *pag.* 636. *B.* ubi praecepiſſe praeter alia memorat, τὰ χρήσιμα τῶν ἐν ταῖς περιόδοις τῶν θείων, ἄστρων τε πέρι καὶ ἡλίου καὶ σελήνης —— ἡμερῶν τάξεως εἰς μηνῶν περιόδους, καὶ μηνῶν εἰς ἕκαστον τῶν ἐνιαυτῶν, ἵνα ὧραι καὶ θυσίαι καὶ ἑορταὶ, τὰ προσήκοντα ἀπολαμβάνουσαι ἑαυταῖς ἕκασται, τῷ κατὰ φύσιν ἄγεσθαι, ζῶσαν τὴν πόλιν καὶ ἐγρηγορυῖαν παρεχόμεναι, θεοῖς μὲν τὰς τιμὰς ἀποδιδῶσι, τοὺς δὲ ἀνθρώπους περὶ αὐτὰ μᾶλλον ἔμφρονας ἀπεργάζωνται· *Quae ad cognoſcendam aſtrorum, Solis Lunaeque periodum utilia ſunt —— de ordinatione dierum in menſes menſiumque in annos, ut tempora, ſacrificia et feriarum dies accipiant, quae ipſis debentur et naturali quodam ordine procedant vivamque reddant civitatem et vigilantem, atque ita Diis tribuant honorem, homines autem ad illa obſervanda reddant prudentiores:* pro ὧραι rectius forte legemus una literula adpoſita ὡραῖα, *ſacra* nempe *anniverſaria*, quae certis anni temporibus, vere, aeſtate, autumno, hieme fieri ſolebant; niſi id ipſum voce ὧραι ſignificetur; certe quatuor illae anni partes ὧραι Graecis et Latinis *horae* dicuntur, V. HORAT. *Lib. I. Od. XII. vs.* 16.

Ad

Ad alterum CICERONIS locum, quo priorem exponit, paucula etiam notabimus. Quas in *Lege* simpliciter dixerat *ferias*, hic exponit *feriarum festorumque dies*, id est, *feriarum dies cum festo;* nam aliae erant feriae *sine festo die*, ut *Nundinales*, aliae *cum festo*, ut *Saturnalia*, quibus adjungebantur epulationes ex proventu foetus pecorum frugumque, ut recte FESTVS distinguit in *voce Ferias.* Non audiendus igitur TVRNEBVS ad *h. l.* speciei genus adjunctum putans, et tamen de feriis CICERONEM tantum modo intelligendum. *Anni compositor* significatur *h. l.* qui ferias in anno et variorum discrimina dierum constituit annumque intercalando ita componit, ut feriae et festi dies ad perfectionem operum rusticorum cadant in annuis amfractibus: qualis anni compositor primus fuit apud Romanos *Numa:* hic vero intelligere praecipue videtur CICERO *Pontificem*, qui ex Numae instituto et praescripto intercalandi docebat tempus, festosque et profestos dies describebat, qualis unus aut plures erant ex Pontificum collegio, quibus peculiariter quotannis id dari solebat negotii: vid. quae *infr.* de hoc anni *compositore* plura dicam ad *locum* POMPONII in *l.* 2. §. 6. *de O. I.*

Quas compositor anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. Quod tempus ut sacrificiorum etc. Arbitratur DAVIESIVS, legendum: *Q. c. a. c. d. a. p. operum rusticorum in commodum tempus*; ac deinde sequi, putat, alterius legis explicationem, his verbis: *Vt sacrificiorum libamenta serventur etc.* Neutrum mihi placet: namque incommode et nulla prorsus codicum fide duo vocabula *in commodum* intrudit; neque ulla apparet ratio, quare CICERONEM, existimemus, alterius legis explicationem *eo loco* auspicari; omnia ad unum idemque *Legis* caput de *Feriis ordinandis*, verba pertinent, usque ad, *jam illud ex institutis*, ubi demum novae *Legis* orditur expositionem. Caeterum, ut probe intelligatur locus, ita interpungendus itaque, una vocula *ad*, quam absorpserunt facile finales literae praecedentis proxime vocis *quod*, restituta, corrigendus est: *quas* (ferias) *compositor anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum; quod ad tempus* (perfectionis operum rusticorum) *ut sacrificiorum libamenta serventur, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda est ratio intercalandi.* Monuit jam TVRNEB. ad *h. l.* quosdam legere *ad quod tempus;* ipse tamen probandum non censuit. Recte quoque posset emendari: *quod ut tempus et sacrificiorum libamenta serventur;* id est, diligenter intercalari oportet a Pontifice, ut tempus illud perfectionis operum rusticorum observetur, utque observentur liba-

libamenta ſacrificiorum, de quibus in lege fuerat cautum; non enim omnia libamenta omni poterant tempore haberi.

§. V.

Ex memorato ac deſcripto CICERONIS loco, quaeque breviter ei illuſtrandi cauſſa adjunximus, apparet, ferias in *Lege* praecipue intelligi tales, quae ſimul feſti quoque dies eſſent, ſeu ferias cum die feſto, quibus publica rite peragerentur ſacrificia et ex proventu foetus pecorum frugumque adjicerentur epulationes. Illos feriarum feſtorumque dies cum *Lex in liberis requietem* habere velit *litium*, *in ſervis operum et laborum*, nihil voluit aliud, quam ejusmodi feriarum dies omnes fore ſacrificiorum cauſſa ἀπράκτους, (CICERO *h. lib. c.* 22. *quietos dies* vocat,) ad publica quaevis negotia inutiles, quibus omni opere humano, praeſertim jure dicundo abſtineretur: quo pertinet etiam locus *Lib. I. de Divinat. c.* 45. *rebus*, inquit, *divinis*, *quae publice fierent*, *ut faverent linguis*, *imperabatur*, *inque feriis* (dele otioſam vocem *imperandis*) *ut litibus et jurgiis ſe abſtinerent*. OVIDIVS *aures* ut *lite vacarent* et *abeſſent jurgia* feſtis diebus, praecipit, *Lib. I. Faſtor. vs.* 73. et *vs.* 165. *dies ſine litibus* vocat. conf. TVRNEB. ad *Cic. de Legg. l. c. c.* 8. ubi perperam tamen huc refert PLATONIS *locum* ex *Lib. XI. de Legg. pag.* 684. *jurgia* enim apud CICERONEM non *convicia* ſunt, ſed *cauſſae judiciales*, jurgia, quod in jure diſceptarentur, proprie ſic appellatae, unde ſolemni formula *litibus et jurgiis abſtinere* imperabatur; PLATONIS autem *locus* de injuria ſeu convicio agit, et prohibet, cuiquam in templo, in publico ſacrificio aut certamine, in foro rerum venalium aut in judicio injuriam conviciando fieri. Pulcre Scipio apud LIVIVM, *Lib.XXXIIX. cap.* 51. reus a Tribunis pl. citatus, ut judicium diſſolveret et adverſarios fruſtraretur, quaſi ad feſtum diem provocans, quo ſibi lis intendi nequiret: *hoc*, inquit, *die* — *cum Hanibale et Carthaginienſibus feliciter pugnavi*; *itaque*, *quum hodie litibus et jurgiis ſuperſederi aequum ſit*, *ego hinc extemplo in Capitolium* — *ibo*.

Summa dierum igitur apud Romanos diviſio, ex Numae inſtitutione, haec fuit, ut alii eſſent *feſti*, id eſt diis dicati, quibus ſacra celebrabantur, litibus atque opere humano erat abſtinendum; alii *profeſti*, hominum proprii, quibus tum publica tum privata quaelibet rite poterant pertractari negotia: feſti dies ſacrorum ſacrificiorumque cauſſa, tum publicae quietis ac laetitiae, erant *nefaſti*, profeſti contra origine ſua omnes

erant *fasti:* unde MANVTII, patris, SIBRANDI SICCAMA aliorumque, quotquot de dierum discrimine apud Romanos scripserunt recentiores Philologi, communis refutandus est error, dum illi, *festos profestosque* dies discriminantes, festorum quidem dierum nullos faciant *nefastos*, profestorum vero alios *fastos*, alios *nefastos;* male omnino et perperam: nam contrarium, non tantum ex ipsa horum dierum caussa et institutione, apparet, sed manifesto etiam docent vetustae, quae supersunt, *Fastorum Tabulae*, Numae Pompilii aetate licet sex integris saeculis posteriores; quippe festis diebus illic, vel per N. vel per NP. notatis, vel totos, vel parte aliqua nefastos fuisse, indicatur: qui vero praeter festos in *iisdem Tabulis* litera N. notantur, dies pro atris potius sunt habendi, qui jam isto tempore *Nefasti* quoque appellabantur, ut *infra* docebo accuratius. Non nihil tamen huic opinioni meae valide aut speciose poterit opponi, quod non est dissimulandum; uti, quod in memoratis *Tabulis* Kalendae Januariae, dies festus Jano sacratus, notantur litera F. unde colligas diem vere festum etiam *fastum* fuisse: atqui habeo, quod respondeam; nempe, dubium non videri, quin Kalendae etiam Januariae fuerint olim nefastae; ex quo autem tempore Magistratus Romae Kalendis ejus mensis honores et privati negotia solemniter auspicari coeperunt, pro *fasto* habitas fuisse, ut eximie declarat, hujus quoque rei caussam reddens, OVIDIVS *Fast. Lib. I. vs.* 165. *seqq.*

Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies: caussam percipe Janus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus, quam solitum testificatur opus.

Alia plura ex iisdem *Fastorum* Monumentis in contrarium proferri posse, scio et exempla allegari festorum dierum, qui tamen propterea *nefasti* non fuerint, et contra profestos illic memorari *nefastos;* sed unum illud, ne alia nunc tangam, animadverti velim, inde ab Numa Pompilio, ad quem nos potissimum sententiam nostram hic restringimus, ad Augusti tempora, quo *Tabulae* illae *Fastorum* pertinent, quanta acciderit in anni festorumque ordinatione mutatio, ut Nundinarum dies et alia haud pauca, suo loco, nobis monstrabunt.

Sum-

Summam vero, quam nos propofuimus, dierum divifionem, ab Numa inftitutam, egregie firmat MACROBIVS *Lib. I. Saturn. cap.* 16. *Numa ut in menfes annum, ita in dies menfem quemque diftribuit : diesque omnes aut feftos, aut profeftos, aut intercifos vocavit* (quod tertiam intercíforum fpeciem dierum addat, illi an ex Numae inftitutione profecti fint, vehementer dubito): paullo poft pergit: *feftis infunt facrificia, epulae, ludi, feriae; profeftis, fafti, comitiales, comperendini etc.* dein pluribus interpofitis de varia feftorum appellatione, adjungit: *haec de feftis, et qui inde nafcuntur, qui etiam nefafti vocantur:* et mox: *nunc de profeftis et, qui ex his procedunt, loquamur, id eft, faftis, comitialibus etc.* Quibus in rem clariffimis verbis noftram opinionem pleniffime comprobatum iri puto.

§. VI.

Perfpecta jam *Faftorum* origine, reftat, ut de appellatione dicamus. Non ftatim, quando Numa feftos profeftosque dies defcripferat, *faftorum nefaftorum*que appellationem cognitam quoque fuiffe, exiftimo, fed poftea demum per Pontifices, quibus jus competebat intercalandi et curfus annuos finiendi, in jus Civile, propriam Pontificum poffeffionem, introductam. Verbum *fari* proprium juris Pontificii et facri videtur, unde Augures κατ' ἐξοχὴν *fari* et *effari* dicebantur eorumque fententiae *effata:* vid. VARRO *Lib. V. de L. L. cap.* 4. SERVIVS ad *Virgil. Lib. II. Aen. vs.* 692. Atque ita Pontifices forte *fari* aut *non fari diem* dicti funt, quando diem agendi petentibus refponderent, judicio agi poffet, nec ne: ex quo Pontificum refponfo ipfe dies, quo jure agi liceret, *faftus*, quo non liceret, *nefaftus* appellari coepit, quafi *nefandus*, quo nempe die, fine piaculo, experiri nemo poffet. Ex jure facro verbum *fari* in jus quoque tranfiit privatum, ubi eximie *fari* dicebatur Praetor, tria verba folemnia, *do, dico, addico*, fine piaculo pronuncians: SVETONIVS *Lib. VIII. Praetor.* apud PRISCIAN. *Lib. XVIII. pag.* 1164. *fafti*, fcribit, *in quibus jus fatur, id eft dicitur, nefafti, in quibus non dicitur:* ubi vel paffiva forma veteri verbo ufus eft SVETONIVS, vel, quod ego malim, ita corrigendus: *Fafti, in quibus Praetor* (id enim vocabulum abforptum libri titulo compendifacto) *jus fatur, id eft dicit, nefafti, in quibus non dicit.* Refertur denique verbum ad teftes judiciales, unde *teftimonium fari* eft in judicio fo-

ſolemniter teſtimonium praebere, in *Fragm. LL. XII. Tabb.* apud GELLIVM *Lib. XV. N. A. c.* 13. conf. de appellatione *faſti* et *nefaſti dici* OVIDIVS *Faſtor. Lib. I. vs.* 47. *ſq.* et *vs.* 51. VARRO *de LL. Lib. V. cap.* 4. MACROB. *Saturn. Lib. I. c.* 16. FESTVS in *voc.* ita ſcribens: *faſtis diebus jucunda fari licebat, nefaſtis quaedam fari non licebat:* imo contra potius obtinuiſſe, dicendum eſt, ut nefaſtis diebus, qui feſti erant et hilaritati ac laetitiae conſecrati, *jucunda* fari licuerit: quid ſi *facunda* legamus pro *jucunda? facundus* enim, a verbo *fari* dictum, notat eum, qui facile et ornate fatur, ut in jure fieri oportebat, unde *facunda* forſan olim appellata, quae ornate atque ordine in jure dicebantur, dicta juridica: at notante SCALIGERO, in *vet. cod.* pro *jucunda* fuit *jura*, unde in *margine* reſcribit *juridica;* in *Animadverſ.* vero integrum locum ita legendum cenſuit conſtituendumque: *faſtis diebus jus fari licebat; nefaſtis non fari licebat.* Recte ſatis pro mente ſui Auctoris, ſed a vulgata lectione nimis recedens; multo faciliori remedio locus ſanari poteſt, ſi legamus: *faſtis diebus jura fari licebat; nefaſtis eadem fari non licebat:* loco τοῦ *quaedam* reſtitui *eadem*, quae duo ſaepiſſime a Librariis commutantur. Neque tantum Praetori nefaſto die jus dicere non licebat, ſed neque alia poterat ſui muneris parte rite perfungi, erant enim dies nefaſti ἄπρακτα. Vnde illuſtratur THEOPHILI Paraphraſtae locus *Inſtitution. Lib. I. Tit. V. §.* 2. ſcribentis, *omni tempore libertatem ſervis dari poſſe,* καὶ ἐν ἀπράκτῳ ἡμέρᾳ *etiam die nefaſto:* quod vel de aetate eſt intelligendum THEOPHILI, nam olim, libera re publica, manumiſſio, licet voluntariae juriſdictionis actus, nefaſto tamen die coram Praetore peragi non poterat, teſte VARRONE de *L. L. Lib. V. c.* 4. idemque ex FESTI reliquiis, miſere quamvis conturbatis, colligere eſt, in *voc. Nefaſti dies:* ubi cum docet, ſervos liberari quoque potuiſſe iis diebus, qui priore vel poſteriore ſui parte eſſent nefaſti, (quod idem procul dubio de *interciſis* quoque ſtatuendum) modo parte diei faſta manumiſſio perageretur, ſimul ſignificat, nefaſto die pleno, vel parte illa diei, qua nefas eſſet, eam impediri ac jure nullam fuiſſe: conſentit MACROBIVS *Saturn. L. I. c.* 16. ubi ex TREBATIO, ſcribente, Nundinis Magiſtratum poſſe manumittere, rectiſſime concludit, Nundinas fuiſſe *dies faſtos*, quibus nempe ſolis fieri poterat manumiſſio, et contra ſignificat, nefaſtis diebus manumitti apud Praetorem non potuiſſe: vel THEOPHILI locus ex VARRONE ita eſt accipiendus, ut ſtatuamus,

ma-

manumisſionem, imprudenter die nefaſto peractam, vitioſam quidem fuiſſe atque adeo ipſo jure nullam, ſed utilitatis tamen publicae cauſſa aut libertatis favore, cujus ergo plura in jure olim conſtituta, ſuſtineri ſolitam: conf. ill. MEERMANNVS, dum in vivis fuit, ſtudiorum meorum Maecenas et Patronus, ad *cit. Theoph. loc. edit.* REITZ. Cum vero ſine diſtinctione ulla, prudenter, an inprudenter peracta eſſet, manumisſionem, die nefaſto peractam, valere affirmet THEOPHILVS, magis eſt, ut cum utraque FABROTTI editione, illa καὶ ἐν ἀπράκτῳ ἡμέρᾳ, tanquam alterius manus gloſſema, ejiciamus, aut ſuo more bonum Paraphraſten minus diligenter conſuluiſſe antiquitatem, dicamus, vel denique tempora eſſe diſtinguenda, quod idem de *Emancipatione* videtur dicendum, quae olim die peracta nefaſto erat vitioſa, poſtea autem die feriato fieri potuit: vid. PAVLLI *Sentent. recept. Lib. II. Tit.* 26. et ibi CVIACIVS.

Caeterum, quid faſto die agere, quid nefaſto non agere licuerit, in ea re maxime tempora quoque diverſa obſervanda arbitror et diſtinguenda: ſi Numae reſpicias aetatem ſequentiumque Regum ac rei publicae Romanae primordia, faſtis diebus ſeu profeſtis, qui negotiis gerendis erant dicati, unde *negotioſos* vocat TACITVS et *ſacris* opponit *Ann. Lib. XIII. c.* 41. nihil vel publicae vel privatae rei prohibitum fuiſſe, dicendum erit; contra nefaſtis diebus, nihil omnino, niſi quod Deos et religionem ſpectaret, fieri licuiſſe, uno hoc excepto, *ſi quid praetermiſſum noceret*, ut SCAEVOLA olim conſultus ſapienter reſpondit apud MACROB. *Lib. I. Saturn. cap.* 16. unde plura huc poſſent transferri atque ex antiquitate uberius illuſtrari, niſi alio jam feſtinaremus.

CAPUT SECVNDVM

FASTORVM SACRORVM HISTORIAM INDE A TEMPORIBVS NVMAE AD DECEMVIROS ET A. V. C. CCCII. ENARRANS

§. I. *Varia Sacerdotum collegia ab Numa instituta. An et collegium Pontificale? Cl.* I. A. Bosii *et aliorum de uno tantum Pontifice, ab Numa creato, sententia examinatur et refellitur.* FLORVS *explicatur.* DIONYSII *et* PLVTARCHI *loca illustrata: huic etiam medicina facta. Ipse Numa Pontifex Max. non fuit.* §. 2. SVIDAS *defenditur.* LIVII *locus de Pontifice Max. corruptus examini subjectus.* Numa *an* praenomen *in rege Pompilio? Veteres Romani praenominibus non usi sunt. Quae praenomina vulgo habentur, olim* κοινὰ ὀνόματα *et* ἐπικλήσεις. DIONYSIVS *contra* Aemil. Portum *et* Sylburg. *defensus. Nominis gentilicii et cognominis transpositio frequens. Raro praenomen gentilicio postponitur. Marcius, Anci pater, an* Numa *appellatus. Inscriptio spuria de eo apud* Reinesium. TACITVS *ex emendatione* Merceri *expositus. Ipse Ancus, non pater ejus, Marcius, sub Tullo rege Praefectus Vrbi fuit. Praefectus Vrbi an a populo creatus?* TACITVS *ex* Merceri *conjectura contra* Ernestium *et* Spanhemium *vindicatur. Ill.* Spanhemii *non unus error ostenditur. Marciorum* Genealogicum Schema *pro* Fragmento *veteris Inscriptionis habitum.* Supplementum *recentioris aetatis pro ipsis veterum* Fastorum *verbis citatum. Marcius non* primus *fuit Praefectus Vrbi.* Romilius, *non* Romulius *ex analogia et veteri orthographia scribendum. Anci pater Marcius fuit ignobilis. Cl.* Perizonii *correctio* Liviana *contra* Dukerum *et* Drakenb. *adstruitur.* PLVTARCHI *auctoritas infringitur. Marcius, Anci regis pater, non avus, cum Tullo Hostilio de summa imperii contendit. Vegeta aetate viri olim ad imperium arcessebantur. Ex ea observatione Rom. regni Chronologia contra* Newtonum *vindicata. Cur Ancus Rex a patre describi noluerit?* LIVIVS *emendatur. X. et R. confunduntur. Vera lectio in* Fastis Cap. *contra* Piranesii ἔκδοσιν *restituta. Auctor de* Vir. Ill. LIVIVM *fere auctorem sequitur. Vetus lectio* LIVIO *restituta.* Pontifex sim-

simpliciter an pro Pontifice Max. *vocabulum* Pontifex *collective saepius pro* collegio Pontificali. *Primus Pontifex Max. non fuit regis Anci* pater, *sed* avus. *Pontifices ex quo ordine lecti olim?* §. 3. *Pontificibus ab Numa negotium datum, ut annum componerent et fastos nefastosque dies describerent.* Fastorum *Tabula publice proposita sub regno Numae. Sub Tullo Hostilio sacra et Fastorum cura neglecta. Ab Anco Marcio ex Commentariis Numae Fasti instaurati et iterum propositi. Sub Tarquinio Superbo aboliti. A C. Papirio sub primis Coss. restituti.* DIONYSIVS *et* POMPONIVS *Ictus illustrantur et exponuntur. Papirii quodnam praenomen? Variae Interpretum sententiae et conjecturae de Papirii praenomine examinantur.* Perizonianae *crisi respondetur.* POMPONIVS *unum, an plures libros scripserit.* Heineccius *notatur. Appellatione* Iuris Civ. *continebatur* Pontificium. POMPONIVS *quos laudat, quamvis prima vice, simplici appellat nomine. Praenomen, in aliqua gente hodie non obvium apud Auctores, non ostendit, plane id insitatum fuisse.* Perizonii *emendatio in* POMPONIO *instituta, examinatur. S. loco SP. an notet* Spurium? POMPONIVS *ex usu sui saeculi praenomina compendifacta non scribit.* C. Papirius *an idem, qui* Manius? *An ab Iurisconsulto Papirio diversus?* DIONYSII *locus contra virum cl. expositus. Verba apud* POMPONIVM: Superbus Damarati Corinthii filius, *examinantur.* Bynkershoekii *et aliorum de iis sententiae.* Filii filius *an Latine dicatur pro* nepote? *Error* POMPONII *agnoscendus et unde is fluxerit. Ejusdem ἀνιστορησία notatur. Ius* Papirianum. *Lex* Papiria. *Pontifex Max. quatenus legislatoria potestate praeditus? Ius* Aelianum *an recte Lex* Aelia *dicatur?* CICERO *emend. et exp. Alius ejusd. locus illustr. et nodus in eo solvitur.* Panvinius *notatur.* §. 4. *Coronidis loco* HORATIVS *contra Interpretes explicatur.* Superbos Tarquini fasces *pro* fascibus Tarquinii Superbi. Rich. Bentleji *et* Withofii *emendationes examinatae et rejectae.* Nobile letum *Catonis defenditur recte dictum* HORATIO. *Alter ejusdem* HORATII *locus in eadem* Ode *tangitur.* MANILIVS *inde expl. et defenditur contra* Bentlejum.

§. I.

Quae Numa Pompilius instituerat de sacris ritibus administrandaque Religione praecepta, ea cuncta, teste DIONYSIO HAL. *Lib. II. pag.* 124. *sqq.* octo libris complexus, totidem Sacerdotum colgiis seu classibus (ἱερῶν συμμορίαις) suam singulis adsignavit sacro.

crorum curandorum partem, Curionibus nempe, Flaminibus, Tribunis Celerum, Auguribus, Virginibus Veſtae, Saliis, Fetialibus, ac denique Pontificibus. Quorum omnium collegiorum ſummum fuit Sacerdotium Pontificale, prae reliquis maxima et ampliſſima praeditum poteſtate: unde idem DIONYSIVS *pag.* 132. ſummam Pontificum, qua valuere apud Romanos, auctoritatem exponens, Ἱεροδιδασκάλους eos appellat, Ἱερονόμους, Ἱεροφύλακας, cumque Athenienſium comparat Ἱεροφάνταις. Nempe Pontificum illud collegium in quaecumque ſacra ſacrorumque miniſtros ſummum exercebat jus, cunctaque publica et privata ſacra ejus collegii arbitrio ſcitisque erant ſubjecta.

Sed vero de Pontificalis collegii iſtius origine et inſtitutione res hactenus obſcuris paullo ac ſibi invicem, ut videbantur, repugnantibus Scriptorum veterum teſtimoniis incerta fuit et ab Interpretibus recentioris aevi in controverſiam revocata. LIVIVS enim *Lib. I. cap.* 20. cum de uno tantum Pontifice, *Numa Marcio*, *Marci filio*, *ex Patribus lecto*, faciat mentionem: DIONYSIVS autem *loc. cit.* et PLVTARCHVS in *Numa Tom. I. pag.* 124. non plures quidem a Numa Pontifices creatos aut collegium conſtitutum expreſſis verbis tradant, verum διάταξιν tantum modo et κατάστασιν dediſſe Numam, affirment, putavit cl. I. A. BOSIVS in erudita *Exercitatione Hiſtorica de Pontifice Max. cap.* 3. *pag.* 244. inſerta *Tom. V. Antiq. Rom. Theſaur. Graev.* aliique ante eum plures, iisdem moti rationibus et argumentis, nondum ſub ipſo Numa, ſed interjecto demum tempore poſt, collegium illud Romae exſtitiſſe. Verum tamen, ſi quid ego video, examinatis probe veterum Scriptorum locis, quae aliorum opinioni favere aut ſibi videbantur contraria, mox omnes facile diſpellentur nebulae, conſtabitque, re vera ſub ipſo Numa et collegium illud exſtitiſſe, et Pontificem quoque Maximum, collegii Praeſidem, ab eodem Rege creatum.

Diſerte LIVIVS *Lib. IV. c.* 4. in *Oratione Canuleji*, Tribuni plebis, Pontifices ab Numa creatos, memorat: FLORVS etiam *Lib. I. cap.* 2. *Pontifices*, *Augures*, *Salios caeterosque per Sacerdotia* ſacrorum miniſtros Numam deſcripſiſſe, teſtatur: ubi ultima illa: *caeterosque per Sacerdotia*, viri docti, ſenſum verborum non adſecuti, variis modis, ſed fruſtra, ſollicitarunt et emendare adgreſſi ſunt; nihil vult aliud Auctor, quam Regem Pompilium Pontifices, Augures, Salios reliquosque Sacerdotes et ſacrorum miniſtros *per Sacerdotia*, id eſt in *collegia* et *claſ-*

ſes,

ſcs, ſeu *συμμορίας*, diſtribuiſſe. Probat quoque noſtram de collegio Pontificum ſententiam DIONYSII *locus Lib. III. pag.* 178. Ancum Marcium, ſcribit ibi, convocaſſe *Pontifices:* quod cum ad ipſa regis Anci primordia imperii referendum omnino eſſe, pateat et ne quidem vero ſimile ſit, ſub Tullo Hoſtilio, quo regnante omnis fere Religio jacuit neglecta, novos Pontifices eſſe creatos, profecto ſequitur, ſub Numa jam illud exſtitiſſe collegium. Huc accedit, quod, cum ubique diligenter vetuſti ſcriptores adnotate ſoleant, quae quoquo tempore primum inſtituta ſint, qui novi Magiſtratus aut Sacerdotes creati adjectique, nusquam alibi hujus collegii Pontificum inſtituti mentionem injiciant, neque tamen plane praetermiſſuri fuiſſe videantur, id de eminenti prae aliis omnibus Sacerdotio nos monere, ſi demum poſtea ab alio Rege conſtitutum fuiſſet.

Neque video, cur BOSIVS Scriptores, ſupra laudatos, ubi diſertiſſimis verbis Pontifices a Numa creatos, ſcribunt, intelligendos tantum arbitretur de *ordine Pontificum*, ab Numa inſtituto, ſicut DIONYSIVS *διάταξιν* et *κατάστασιν* ab eo datam, aiat; aut quare SVIDAE auctoritatem, Pontifices ab Numa creatos, cum aliis teſtati, in *voc.* Νουμᾶς, exiguam putet ac rejiciendam, ut pote qui, et ipſe ſibi contrarius, *alibi* rurſum in *voc.* Ποντίφιξ, unum duntaxat Pontificem a Pompilio creatum, ſcripſerit.

Ipſa propius paullo DIONYSII et PLVTARCHI loca introſpiciamus: illi cum *διάταξιν* et *κατάστασιν* Pontificum dediſſe Numam, auctores ſint, non eo certe ſignificant, Regem ejus tantum collegii, poſtea conſtituendi, praeſcripſiſſe ordinationem et formulam; ſed aperte docent, ad collegium Pontificale, ab Numa inſtitutum, *διάταξιν* illam pertinuiſſe, quod, ut manifeſtius appareat, utriusque verba Scriptoris ſiſtere lubet, ſimul ut alteri eorum levem, ſed utilem, faciamus medicinam. Sic igitur DIONYSIVS *pag.* 132. *τελευταῖος δὲ ἦν τῆς Νουμᾶ παρατάξεως μερισμὸς ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, ὃν ἔλαχον οἱ τὴν μεγίστην παρὰ Ῥωμαίοις ἱερατείαν καὶ ἐξουσίαν ἔχοντες etc.* quae verba ſi conferas cum iis, quae *ſupr. pag.* 124. *ſqq.* de octo Sacerdotum claſſibus, quarum unam Pontifices conſtituerint, neceſſe eſt, ſcripſit, quarumque ſingulatim deinde exponit munia, dicendum certe erit, *poſteriore loco*, non de uno tantum agi Pontifice, ſed Numae *κατάστασιν* illam univerſum ſpectaſſe collegium,

ab

ab ipso illo Rege constitutum. Ita vero PLVTARCHVS: Νουμᾶ δὲ, inquit, καὶ τὴν τῶν Ἀρχιερέων, οὓς Ποντίφικας καλοῦσι, διάταξιν καὶ κατάστασιν ἀποδιδόασι· καὶ φασὶν, αὐτὸν ἕνα τούτων τὸν πρῶτον γεγονέναι· Quod si Numae *hic loci* non tantum tribuatur διάταξις et κατάστασις Pontificum, sed ipse inter illos dicatur primus seu Pontifex Max. fuisse, idem Auctor, collegium quoque illud sub Numa exstitisse, simul significat, imo palam profitetur: nam titulus πρώτου Ἀρχιερέως *Pontificis Max.* quem creatum ab Numa, scribit etiam Auctor *de V. Ill. c.* 3. maxime incongruus fuisset et huic tempori alienus, nisi alios simul in collegio, cui is praesideret, sub se habuisse Pontifices, statuas. Obiter animadvertendum *hoc loco* est, quod quorumdam refert Scriptorum testimonio PLVTARCHVS, καὶ φασὶν, αὐτὸν ἕνα τούτων τὸν πρῶτον γεγονέναι· *ipsum* (Numam) *Pontificem inter illos Max. fuisse*, ejus duntaxat solius, non aliorum, hodie superstitum, Scriptorum fide tradi, aut colligi: LIVIUS quidem *Lib. I. c.* 20. ipsum Regem plurima obiisse sacra, memoriae prodidit, maxime illa, quae ad Flaminem postea pertinuerint Dialem; ast in collegio Pontificum praesedisse, id vero nusquam aliunde apparet: quod si ita, ut nunc legitur, scripsisse statuas, illud ἕνα certe supervacaneum plane est vel languidum: quare equidem nullus dubito, quin locus in vitio cubet eique subveniendum sit, una voce αὐτὸν deleta, quae forte proxime sequenti vocabulo τούτων suam debet originem; ut scripserit Chaeronensis: καὶ φασὶν, ἕνα τούτων τὸν πρῶτον γεγονέναι· *et dicunt, unum illorum fuisse Pontificem Max.* Marcium nempe, quo de nunc accuratius dicetur.

§. II.

Cum PLVTARCHO, a nobis correcto, Auctor etiam de *Vir. Ill.* consentit *cap.* 3. *Numam Pontificem Max.* creavisse, scribens et SVIDAS in *voc.* Ποντίφιξ· ubi ὁ Μέγας Ποντίφιξ, inquit, παρὰ Ῥωμαίοις ἱερεὺς, ὃν Νουμᾶς, ὁ νομοθέτης, κατέστησαν· quo igitur loco cum peculiariter agat de *Pontifice Maximo*, a Numa lecto, *supra* autem in *voce* Νουμᾶς, universum respiciens collegium, Pontifices ab eodem rege creatos, dixerit, minime duobus his locis diffidere secum aut sibi invicem pugnantia scripsisse,

ſe, cenſendus eſt, neque, ut cl. BOSIVS volebat, cuncta, quae de Pontificibus in *voc.* Νουμᾶς traduntur, tanquam figmentum ſunt explodenda.

De Maximo Pontifice capiendum quoque exiſtimo ipſum LIVIVM *Lib. I. c.* 20. ubi inter alia de rege Pompilio ſcribit: *Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit.* Cujus cauſſa loci, nondum ſatis, ut puto, ſani aut rite ab Interpretibus expoſiti, paucula nobis lubet uberius et accuratius diſputare. Scripti codices, quorum diſcrepantias videre poſſis in *Notis editioni Drakenborch.* ſubjectis cumulatas, inter ſe miris variant modis. Pro *Numa*, ut olim nominandi caſu legebatur, CAR. SIGONIVS, ſolo adjutus ingenio, primus correxit *Numam:* eandemque lectionem, poſtea quibusdam manu exaratis libris confirmatam, cl. DRAKENBORCHIVS recepit ac vulgavit, alii quamvis numero plures neque pejoris notae codices *Numa*, nominativo caſu, ſervent. Nullam ego, ut fatear ingenue, video cauſſam, quare neceſſe ſit adeo, ut cum VV. DD. ſtatuamus τὸ *Numa*, hoc loco, ſuperfluum eſſe prorſus ac propterea in quartum caſum *Numam*, quaſi Pontificis praenomen Marcii ſit, cum SIGONIO convertendum: potuit vel ipſe LIVIVS, ſive de induſtria ſeu inconſulto, nominativum caſum *Numa* ex principio periodi, ſatis prolixae, hic repetiiſſe, vel a Librario potius, male ſedulo, τὸ *Numa*, declarandi cauſſa huc retractum videri et orationi inſertum. Marcio certe Pontifici *Numae* fuiſſe praenomen, haud facile mihi perſuaderi patior, quamquam eruditi fere omnes, alius alium ſecuti, id affirmare non dubitaverunt.

Multiplex et varia quaeſtio eſt de *Nominum ratione apud Romanos*, neque id argumentum pro rerum copia hactenus pertractatum ſatis aut exhauſtum: *infra Lib. ſeq.* ſingulari capite non nulla hanc in rem, aliis praetermiſſa aut perperam expoſita, diligentius notabimus: hic obiter animadvertendum, primis Romae temporibus longe diverſam obtinuiſſe nominandi rationem, quam qualis poſtea ſub finem regni et initio partae libertatis eſt introducta. Romanos veteres praenominibus plane caruiſſe, unoque nomine, more Graecorum aliarumque gentium, vixiſſe contentos, admodum videtur mihi vero ſimillimum, *Numa, Marcus, Tullus, Ancus, Voluſus, Agrippa, Denter*, ſimiliaque non praenomina fuere antiquitus, ut SIGONIVS, PANVINIVS, MARLIANVS et alii, qui de *antiquis Romanorum Nominibus* commentati ſunt, arbitrantur,

tur, sed vere nomina propria, id est, quae unicuique personae tribuuntur eum in finem, ut quaeque suo proprio ac certo vocabulo appelletur. Id autem nomen DIONYSIVS HAL. Antiquitatum Romanarum probe gnarus et accuratius, quam alii, priscos mores attendens, simpliciter et κατ᾽ ἐξοχὴν appellat ὄνομα, vel ὄνομα κοινὸν aut προσηγορικὸν, interdum quoque ἐπίκλησιν dicit. Cum autem ejusmodi nomina κοινὰ, id est qualia κοινῶς *communiter*, et vulgo singulis hominibus singula tribui solebant, imponerentur plerumque infantibus ab aliquo eventu, forma et habitu corporis exteriore aut aliunde, aliquando non poterat non fieri, ut idem προσηγορικὸν ὄνομα pluribus in eadem urbe competeret civibus: hinc, ne ex ea nominum parilitate diversi homines confunderentur, moris erat, a Graecis quoque repetiti, κοινῷ et προσηγορικῷ ὀνόματι addere alterum gentilicium, ὄνομα συγγενικὸν seu πατρωνυμικόν. Itaque in Rege secundo Romanorum nomen *Numa* proprie *praenomen* non fuit, cujusmodi postea fuerunt apud Romanos usitata, sed proprium nomen, vel ἐπίκλησις et cognomentum, ipsi, sive quod legum cultor esset observantissimus, in Sabinis adhuc degenti, seu postea demum, Romam profecto, quod saluberrimas civitati leges sancivisset, tributum: alterum vero nomen *Pompilius* gentilicium erat seu patronymicum, ab nomine paterno *Pompone*, vel *Pompo* potius, aut *Pompulo*, flexum, qualem etiam patronymicorum formam nominum Graecos veteres adhibuisse, alias dicemus. Uti *Numa*, sic pariter nomen *Ancus* in rege Marcio, non praenominis loco habendum est, sed pro cognomento potius et ἐπικλήσει, ipsi dato, quod brachium haberet *incurvum:* unde DIONYSIVS *pag.* 177. recte appellat Μάρκιον ἐπίκλησιν Ἄγκον· *Marcium cognomine Ancum:* ubi perperam AEMILIVS PORTVS, ignarus priscae hujus Romanorum consuetudinis, nominum transpositione scribendum putavit Ἄγκον ἐπίκλησιν Μάρκιον· at nemo sane τὸ *Marcius* in rege Anco cognomentum fuisse, dixerit facile, cum sit gentilicium et patronymicum, a patre vel avo *Marco* derivatum, quoque nihil notetur aliud, quam *Marci filium* fuisse aut *nepotem:* neque meliora, ut hunc sibi scrupulum eximeret, notavit cl. SYLBVRGIVS in *Notis ad pag.* 178. *vs.* 38. contra Latinorum consuetudinem ita scripsisse, DIONYSIVM, ratus. Quod DIONYSIVS in rege Anco Marcio nomen Ἄγκος ἐπίκλησιν

dicat

dicat fuiſſe et, ut nos vertimus, *cognomentum*, cum alias ejusmodi nomina κοινὰ ὀνόματα et προσηγορικὰ vocet, id quoque, ne minus accurate factum quis forſan exiſtimet, paucis obſervandum eſt: non adeo illa inter ſe differre, nam cognomina quidem, qualibus poſtea Romani nobiliores uſi fuerunt, ut plures ejusdem gentis diſtinguerentur familiae, nondum ulla hoc tempore erant cognita; ſed ἐπίκλησιν ſeu *cognomen* dixit, eam appellationem nominis, quae huic Marcio ab *incurvo brachio* erat impoſita, tanquam proprium ipſius nomen, quaque ἐπικλήσει et cognomento ab aliis gentis Marciae diſtingueretur: ita *alio loco* idem Auctor *pag.* 187. filium Aruntis Tarquinii poſtumum *Egerium*, propter egeſtatem *cognominatum*, ſcribit, ἐπωνομάσθη· quin Latini etiam Scriptores eodem ſenſu *cognomen* dixerunt, ut VIRGILIVS *Lib. I. Aen. vs.* 267.

> *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo,*
> *Ilus erat* ——

plura dabimus *alibi.* Cum vero ex ſuo, quod quisque proprium ſibi habebat, nomine et ἐπικλήσει illa cogniti magis eſſent ab aliisque in eadem gente, eodemque inſignitis nomine patronymico diſtinguerentur, id praecipue nomen uſu vulgari et quotidiano frequentari ſolebat: atque inde fit etiam, ut hiſtoriae non tantum Romanae Scriptores ſolo plerumque iſto cognomento, tanquam κυρίῳ ὀνόματι, Romanos vetuſtiſſimi aevi appellitare ſoleant, ſed in nummorum etiam epigraphis unica fere iſta ἐπίκλησις, absque nomine gentilicio, exprimatur: quod certiſſimo documento eſſe poteſt, *Numa*, *Tullus*, *Ancus*, *Servius*, ſimilesque appellationes, non praenomina, ſed vere nomina propria κοινὰ ὀνόματα, ſive cognomenta et ἐπικλήσεις fuiſſe, quem ad modum poſteriori aetate, *Cicero*, *Caeſar*, *Cato*, ſimiliaque cognomenta, in iis potiſſimum, quibus primum ea tribuebantur, ſaepe, nullo alio nomine addito, ponuntur. Si quis autem nihilo minus contenderit, *Numa*, *Ancus*, ſimilisque formae nomina recte *praenomina* dici, quatenus gentilicio nomini plerumque praeponuntur, equidem nihil veto; ex eo tamen ſitu atque ordine haud certo ſatis colligas velim, vera fuiſſe praenomina, cum eadem transpoſitione etiam cognomina ſaepe gentiliciis nominibus praeponantur,

tur, uti *Cicero Tullius*, *Caesar Julius*, *Crispus Sallustius*,[1] in quibus nomen, quod ordine praecedit, non propterea desinit esse cognomen. Saepe autem vetusta illa nomina ordine inverso etiam gentilicio postponuntur nomini, ut dicamus *Pompilius Numa*, *Marcius Ancus*, *Menenius Agrippa*, quod fieri non posset, si praenomina vere essent; ejusmodi enim nominum transpositio raro admodum nec, nisi vel distinctionis vel emphaseos caussa, in veris praenominibus, nomini gentilicio junctis, obtinet; non enim pro *Marco Tullio*, dixeris ubique *Tullium Marcum*, pro *Cajo Julio*, *Julium Cajum*, nisi duo forte aut plures ejusdem nominis atque cognominis fratres, simul eodem tempore et civitate clari, postposito praenomine ita distinguantur, uti *Manlius Cnaeus*, *Pompejus Sextus*, et apud LIVIVM *Lib. III. c. 1. hic erat Fabius Quinctus*, ubi ἐμφατικῶς praenomen postponitur nomini, quod nimirum ex ejus sententia is Fabius unus exstinctae apud Cremeram genti superfuisset: sed pergo.

Marcio, primo Pontifici Maximo, nomen *Numa* tributum quoque fuisse idque praenominis loco habuisse eum, cuncti fere Interpretes unanimi consensu adfirmant, quorum nunc examinabimus argumenta ac rationes. Provocant primo ad Inscriptionem, ex *Hortis*, ut ajunt, productam *Justinianeis*, apud REINESIVM *Class. V. N. 1.* NVMAE. MARCIO. M. F. PRINC. IVVEN. PRAEF. VRB. I. PONT. MAX. cui in inferiore parte subjicitur hoc morale effatum: *Felix nimium prior aetas omnis aetas de suo tempore conquesta est.* Cujus tituli partem priorem, admonitus quamvis a RVPERTO, non dubitavit vir cl. *pag.* 353. *sq.* ut probam et genuinam defendere: sed quocumque adspicias, plane spuria est et seria refutatione indigna, vid. cl. DRAKENBORCH. *ad Livium Lib. I. cap.* 20. atque in primis illustris Marchio SCIPIO MAFFEI in praeclaro eruditionis Thesauro, *Arte Critica Lapidaria Lib. III. cap. 4. Tom. I. Supplem. Nov. Thesaur. Murator. pag.* 408. Fortius pro *Numa* Marcio praesidium arcessitur ex TACITO *Lib. VI. Annal. cap.* 11. ubi ab Tullo Hostilio *Numam Marcium* Vrbi Praefectum impositum, scribit; quem etiam locum SIGONIVS, REINESIVS aliique eum in finem adducere non praetermiserunt, ut classici hoc Scriptoris testimonio Marcio praenomen *Numae* fuisse, apertissime docerent: verum tamen omnino probandam censeo eruditissimi IOS. MERCERI ad ea verba elegantissimam conjecturam, pro NVMAM MARCIVM legentis NVMAE N. MARCIVM,

CIVM, quam veriſſimam atque omni exceptione certiorem eſſe emendationem, inde potiſſimum apparet, quod non Anci regis pater, *Marcius*, ſed ipſe *Ancus*, Numae regis ex filia nepos, intelligitur, idque probabili maxime indicio et argumento colligere mihi videor; quoniam, ſi rite tempora dimetiamur, haud vero ſimile fiet, Tullum Hoſtilium, filio Marcii ejus, quem regni competitorem habuiſſet, quique ex moerore repulſae violentas ſibi ipſe intulerit manus, Praefecturam Vrbis conceſſiſſe: qua propter, ſi conjecturae, ut equidem arbitror, non omnino improbabili, locus detur, crediderim Ancum *Numae N. Marcium*, quem fere ad modum is, patris praetermiſſo nomine, appellari ſemper ſolet, ſub finem regni Hoſtiliani, quando nimirum ipſe Rex gravi cum morbo ac diutino colluctatus, rei ſupereſſe publicae non poſſet, vid. LIVIVS *Lib. I. c.* 31. ſive ab Senatu, ſeu ab ipſo populo Vrbi fuiſſe praepoſitum, qui regia interim munia obiret. Quod dixi, Ancum Marcium *ab Senatu* vel *populo* Praefectum Vrbi creatum, moram forte non nemini injicere poſſet, rato, hunc honorem ab ipſis Regibus, non a Senatu aut populo demandari ſolitum: pulcre novi, quae ex vetuſtis Auctoribus meae opinioni contraria proferri queant loca, unde pateſcat, Praefectos Vrbi ab ipſis Regibus olim fuiſſe conſtitutos, vid. DIONYS. HAL. *Lib. II. pag.* 85. LIVIVS *Lib. I. c.* 59. et TACITVS *loc. ſupr. cit.* neque provocabo ad *Tabulam* illam *Romuli Legum*, a MARLIANO in *Topogr. Vrb. Rom. Lib. II. c.* 8. editam; quippe quae perſpicue falſa et tota quanta fictitia eſt, ut optime praeter alios vidit oſtenditque egregius G. D'ARNAVD in *Var. Conject. Lib. I. c.* 3. *pag.* 21. *ſqq.* Verum tamen ex ipſa, quae ſub Regibus obtinuit, regiminis forma ſi conjecturam facere licet, dicendum forte erit, ipſos quidem Reges, ex inſtitutione Romuli, Vrbis Praefectum, qui velut Princeps eſſet in Senatu (Ἄριστος βουλευτῶν) eligere ſolitos, ita tamen, ut, quem illi hoc honore digniſſimum cenſuiſſent, populi deinde ſuffragiis et Senatus auctoritate fuerit confirmandus: in primis, quando, Praefectus ille, non tantum, propter abſentiam regis cum exercitu, ſicut a Romulo inſtitutum, civilium rerum in Vrbe curam haberet, verum etiam, ut hoc in caſu Marcii, ob incommodam atque inſuperabilem Regis valetudinem, ſummum domi foriſque imperium Praefecto Vrbi eſſet demandandum in eumque, dum Rex morbo laboraret, interregnum quaſi deferretur; id certe ſine populi juſſu et auctoritate Senatus fieri non potuiſſe, videri debet. Quin hac etiam Praefecturae

ur-

urbanae poteſtate abuſus, fractis ſimul Tulli regis cum corpore ferocioris ſpiritus viribus, Ancus, ut ego exiſtimo, regnum ſibi rapere, quam dubium exſpectare maluit, Regemque ſuperſtitionibus, relicta imperii cura, maximo opere obnoxium et ſacris velut abditum, flammis interemit; conf. DIONYS. *pag.* 176. et LIVIVS *Lib. I. c.* 31. Redeo ad TACITI locum.

Miror ſane, celeber. ERNESTIVM in *notis ad h. Taciti loc.* laudatam MERCERI correctionem repudiaſſe, idque auctoritate in primis, quam citat, ill. SPANHEMII *Tom. II. de V. et P. N. Diſſ. X. pag.* 19. *ſqq.* ubi, ut doceat, Marcium recte *Numam* praenomine appellari neque cum MERCERO, velut indictum univerſae hiſtoriae, hic loci expungendum eſſe, ad verba provocat tum veteris *Fragmenti* a CAR. SIGONIO in *notis ad Livium Lib. I. c.* 20. §. 5. adducti, tum praeterea ad *Faſtorum Capitolinorum Lapides:* verum, ut mitiſſime dicam, infeliciter profecto vir magnus, ſumma doctrinae praeditus ubertate, hic auctoritatem citat *Fragmenti veteris Sigoniani* et fidem *Marmorum Capitolinorum*, in utriſque miſere ſibi paſſus imponi: etenim, quod SPANHEMIVS *vetus* appellat *Fragmentum*, *Notis* SIGONII *Livianis* hoc modo inſertum:

M. Marcius Sabinus
a Numa rege in Senatum lectus
a Tullo Hoſtilio victus ſibi mortem
conſcivit
Numa Marcius
Numae regis gener, primus Pont. Max. ab eo factus,
a Tullo rege Vrbi praefectus.
Ancus Marcius rex IV
Numae regis ex filia nepos.

id *vetus* dico *Fragmentum*, quod neque ſtilum neque formam habet Lapidarem ullam, nihil prorſus eſt aliud, quam ſchema regis Anci gentilicium, ab ipſo SIGONIO, pro ſua opinione, incerta licet et falſa, ex LIVIO partim aliiſque, quos nominatim laudat, confectum Auctoribus, partim conjecturis atque ingenio concinnatum. Quod autem ad *Faſtos* attinet *Capitolinos*, omnium, ut ego exiſtimo, praeſtantiſſimum Romanae Antiquitatis Monumentum, ex iis, cum caeteroquin alii Scriptores

ea

ea de re fileant prorfus, Ancum non regis *Numae* folum *nepotem*, fed alterius etiam *Numae filium* fuiffe, probare adnititur SPANHEMIVS, in quibus nempe ad annum V. C. CXIIII. ita defcribatur rex Ancus Marcius:

ANCVS. MARCIVS. NVMAE. F. NVMAE. N

Ex quo uno titulo graviffima fententiae noftrae opponeretur auctoritas, fi quidem vere verba illa ex ipfo antiquo *Tabulae Cap. Fragmento* effent depromta: aft, quod alibi faepius accidit eidem SPANHEMIO aliisque compluribus viris doctiffimis, idem hic quoque eveniffe, certum eft, ut fcilicet, non diftinctis probe *Faftorum* reliquiis a PANVINII, aliorumque recentioris aevi doctorum *Supplementis* mifere hallucinatus fit vir ill. et *Ancum Marcium Numae F. Numae N.* quem fibi vifus erat ex ipfis *Capitolini Monumenti Tabulis* excepiffe, ex *Pigbianis* vel *Goltzianis Supplementis* (alii enim fupplent aliter) nobis produxerit. Reliqua, ad defendendam in TACITI *loco* vulgatam lectionem adftruendumque in Marcio *Numae* praenomen, argumenta, *ibidem* a SPANHEMIO prolata, vix operae pretium erit examinare aut operofius refellere; uti quod refert illuc, ab aliis Scriptoribus, qui de Anco agunt, haud utique filentio fuiffe praeteritum, fi is vere prius Praefectura Vrbi fuiffet functus, quam Rex declararetur: neque ipfum quoque TACITVM in hac rei memoria *Anci* nomen praetermiffurum fuiffe, fi de *Anco*, et non potius de *patre* ejus, *hoc loco* accipi vellet verba. Neutrum argumentum, profligatis prioribus, quidquam habet ponderis: in rebus enim antiquiffimi aevi atque in tanta Scriptorum penuria, nihil unquam certi ex quorumdam Scriptorum filentio definiri poteft; neque mirum accidere nobis debet, fi quae interdum levioris momenti, in tam obfcura rerum vetuftate, tacite praetermiffa videas a plerisque aut accurate minus notata in veterum *Annalibus*. Quod vero *Anci* nomen in contextu TACITI cum maxime non compareat, Marcio praepofitum, nullam habere debet difficultatem, cum vel Librariorum culpa excidiffe, vel, quod magis placet, ab ipfo praeteritum auctore, tanquam minus neceffarium, videri poffit; fiquidem unico *Marcii* nomine gentilicio, addito *Numae nepotem* fuiffe eum Marcium, haud difficulter a patre avoque Marciis dignofceretur: DIONYSIVS etiam *pag.* 176. Anci, nondum Regis, mentione injecta, fimplici nomine

 Mar-

Marcium nominat, dein *pag. sq. Marcium cognomine Ancum* dicit, porro alibi saepius vel *Marcium* vel *Ancum* unico nomine appellat. Caeterum plura sunt *eodem loco*, in quibus praestantissimus vir, sive rerum copia pressus, seu nimis confidens memoriae, quae etiam felicissimos saepe fallit, non leviter a veritatis tramite deflectit; uti, quod tradit, Marcium illum TACITO *primum Vrbi Praefectum* appellatum; cum ipso teste eodem in loco, ante Marcium *Denter Romulius* (seu, ut ego ex analogia aliorum similis formae nominum nec non *Fastorum Capitolinorum* orthographia, rectius id nomen scribendum arbitror, *Romilius*) Praefectura Vrbis sub Romulo fuerit functus; quem etiam errorem erravit ill. SPANHEMIVS, non auctore, quem citat, TACITO, nam is disertis verbis *primum* Praefectum sub Romulo *Romilium Dentrem* memorat, sed spuria deceptus *Inscriptione Reinesiana*, quam supra tetigi, ubi, quamvis contra Latinitatis Lapidariae genium, PRAEF. VRB. I. PONT. MAX. scribitur, unde numeralem notam SPANHEMIVS ad praecedens PRAEF. VRB. retulit, cum tituli fabricator videatur potius significare voluisse, eum Marcium *primum* fuisse *Pontificem Maximum*.

In veritate rerum antiquissimi aevi investiganda saepius Historiae series ac Chronologia amplius conferunt nobis et plura ac certiora producunt argumenta, quam ipsi vetusti Scriptores, rerum gestarum memoria saeculis aliquot posteriores: cujus rei in Marciorum gente illustre *hoc loco* exemplum proponere fert animus, quo historicae veritatis ratiocinio constet magis, vulgarem ac receptam de Marcio, Anci patre, primo Pontifice Maximo ab Numa creato eodemque sub rege Tullo Vrbis Praefecto, sententiam stare non posse, nullo certo argumento innixam. Et primo quidem, quo minus ego cum VV. DD. existimem, Marcium, Anci patrem, Praefectura Vrbis sub Hostilio Tullo functum, facit praeter alia, quod is Marcius privatus atque ignobilis vitam demissus in obscuro degisse videatur, nullo honore, nulla dignitate insignis: quam etiam ob caussam antiqui Scriptores Ancum Marcium regem, repetito semper avi nomine materni, *Numae nepotem* eum appellitantes, nunquam, more Romanorum, a patre describunt; quin adeo fuit obliteratum patris Marcii proprium nomen (κοινὸν ὄνομα), uti SENECA *Epist.* CVIII., auctore CICERONE, *nullum*, id est *ignobilem incognitumque* Anci patrem dicat: et LIVIVS *Lib.* I. *cap.* 34. *Ancum*, SABINO PATRE *ortum, nobilem una imagine Numae fuisse*, scripserit,

pserit, quem ad modum pro *Sabina matre* verissima emendatione corrigendum arbitror cum celeber. JAC. PERIZONIO in *Animadvers. Histor. cap.* III. *pag.* 157. conf. ejusdem *Epistola ad ill. Nic. Heinsium* in *Sylloge Burmanniana Tom. IV. pag.* 803. Quam indubitatam correctionem, quamvis hactenus nullo firmetur codice Msto, quo minus, in contextu receptam nondum videamus, obstitisse video cl. DVKERI dissensum et gravem auctoritatem in *Not. ad cit. Livii loc.* tum caussam se non videre professi, cur Anci pater *Sabinus* omnino dici debeat, quem, ex virorum doctorum sententia, LIVIVS quidem ab Numa rege *Pontificem*, TACITVS autem a Tullo *Praefectum* quoque *Vrbi* creatum et denique PLVTARCHVS, *patre* quidem *Sabino*, sed qui una cum rege Pompilio Numa Romam profectus ab eoque in senatum adlectus sit, procreatum, scribant: tum, quod omni nondum dubio careat, Pompiliam, Anci matrem, Romae natam fuisse; quod si enim Ancus, moriente avo Numa, teste eodem PLVTARCHO, quinque annorum fuerit infans, rationem temporis non repugnare, quo minus Numae filiam in Sabinis natam, statuamus, eaque anno regni Numae XXXVII. filium Ancum parere potuerit. Speciosa perquam, fateor, est viri eruditissimi argumentatio illa, tacito etiam, ut videtur, consensu a cl. DRAKENBORCHIO probata. Verum tamen in LIVII hoc loco, licet re vera aliunde constaret, Anci patrem Romae natum, matrem vero Sabinam fuisse, pro mente Tanaquilis, ex cujus persona illic est sermo, omnino requiritur, ut *Sabino* potius *patre* legamus: vid. quae egregie suo more hanc in rem doctissimus PERIZONIVS argumentatur. Praeterea ad utrumque illud, quod cl. DVKERVS in medium profert, correctioni Perizonianae oppositum, argumentum, haud adeo difficulter poterit responderi, si accuratius paullo ex rerum gestarum serie et Chronologia Marciorum historiam investigare velimus. Non enim, ut hactenus sibi persuaserunt communiter viri docti, Anci *pater*, sed *avus* Marcius ab Numa Pontifex creatus est: neque idem is Anci pater, sub Tullo Hostilio rege Praefectus Vrbi fuit, ut vulgo creditum, sed Ancus ipse; de Praefectura Vrbis modo disputavimus, mox etiam de Pontificatu avi Marcii agemus.

Omnis fere haec disputatio unius innixa est testimonio PLVTARCHI, cujus si in hac caussa, quod fieri posse existimo, auctoritatem fidemque infregerimus, caetera facile, inde potissimum depromta, corruet argumentatio. Quae Chaeronensis Polyistor de uxoribus regis Nu-

mae deque Marciis tribus avo, patre ac filio memoriae prodidit, si sub accuratius examen revocemus et justa Chronologiae trutina perpendamus, pleraque illa, videbimus, incerta esse atque incongrua, non nunquam sibi invicem pugnantia quoque. In *vita* igitur *Numae Tom. I. pag.* 132. scribit: Pompilium tanto tamque ingenti nomine et gloria viguisse (in Sabinis) uti Titus Tatius, imperii Romani cum Romulo consors, unicam ipsi filiam Tatiam suam nuptum dederit illamque Tatiam, per annos tredecim Numae matrimonio junctam, diem obiisse supremum: *pag.* deinceps 135. idem auctor est, Numam, cum annum ageret quadragesimum, ab Romanorum Legatis, jussu senatus, populique regnum offerentibus, Romam accitum. Cum autem rex Tatius, ex probabili maxime calculo, veterum testimoniis Auctorum confirmato, regnare cum Romulo coeperit anno V. C. VII. et post quinque annos, id est anno V. C. XII. fuerit interemptus; Numa vero anno V. C. XXXVIIII. regni curam susceperit, annos tum natus, ut vidimus, quadraginta: adeoque post regis Titi Tatii necem ad regni primordia Pompiliani relinquantur anni septem ac viginti; quibus deductis a quadraginta annis, quot natus erat, cum Romam arcesseretur, sequitur plane ex ipsius PLVTARCHI rationibus, Numam nuptias cum Tatia celebrasse, nondum majorem natu, annis tredecim, atque ea tamen juxta aetate, haud vulgari nominis laude, judicandi peritia consilioque suos inter Sabinos illustratum floruisse, adeo, ut his tantis meritis et fama impulsus rex Tatius ultro venerit, unicam gnatam suam cum dote regia uxorem ut ei daret. Mihi quidem hercle non fiunt haec vero similia! Illud etiam adde, quod si Numa ex Tatia sua filiam illam susceperit unicam, Marcio post in matrimonio collocatam, Tatia autem, per tredecim tantum modo annos Numae juncta, fatis decesserit, Pompilia nata fuerit, oportet, ante annum V. C. XXV. et, quod vix credere par est, feminam quinquagenaria majorem Marcio marito peperisse Ancum: quae singula si conferas invicem, non certe videbuntur suis temporibus apte satis divisa, sed pugnantia secum ac sibimet contraria; simulque patebit, rejecto Numae cum Tatia matrimonio missaque altera earum, quas refert PLVTARCHVS quorumdam auctoritate Scriptorum, sententia, statuentium, ex iis nuptiis prioribus Pompiliam Marcii susceptam, alteram aliorum auctorum multo veri similiorem esse opinionem, quam, velut in controversia positam, idem memorat *pag.* 160.

160. Lucretiam nempe, quam post susceptum jam regnum Romae duxerit Numa, Pompiliae fuisse matrem, Romae natam; atque inde, si alteruter Anci parens *Sabinus* fuerit, colligere quoque dabitur, patrem, Numae regis generum, Marcium recte *Sabinum* LIVIO appellari, quamvis id nullo certo aut idoneo, argumento probari posse satis existimet cl. DVKERVS.

Ad alterum cum primis pergo PLVTARCHI locum *pag.* 160. ubi, in medio relicta de uxoribus Numae liberisque controversia, in id quidem omnes, ait, consentire, Pompiliam Marcio nupsisse, ejus Marcii filio, qui regni suscipiendi Numae fuerit auctor, eundemque Marcium simul cum eo Romam commigrasse, ibi ab Rege honoris caussa in senatu adlectum, post obitum vero Numae cum Hostilio Tullo regni competitorem, ex moerore latae repulsae voluntariam sibi conscivisse mortem: ejus autem Marcii filium, addit, permansisse Romae ex Pompiliaque suscepisse Ancum, qui, moriente avo materno Numa, puer fuerit quinque natus annos. At enim vero vix ac ne vix quidem capere ego possum, quo modo idem ille Marcius, Numae Pompilii aequalis et propinquus, quem etiam Numa prius in consilium adhibuisse legitur, quam regni curam suscipere vellet, vid. PLVTARCH. *pag.* 136. quique adeo, moriente Numa, ejus coaetaneo, octogesimum circiter aetatis annum egerit, oportet, cum Tullo Hostilio de summa imperii in certamen congredi ausus sit aut dici queat, illis praesertim temporibus, quando apud Romanos, ubi nulla regni erat hereditaria possessio, aliasque orbis terrarum gentes ex virtute magis virium ac robore corporis, quam prudentia sola aut senectute veneranda annisque sapientia validis spectari solebat nobilitas, quae viam competitoribus ad imperii fasces obtinendos sterneret: cujus exempla rei plurima et ubique in priscis tum sacrae tum profanae Historiae Annalium libris quaerenti obvia erunt; quin omnium regum Romanorum aetate, qua quisque ad imperium accessit, idem egregie confirmatur. Ex qua simul observatione, ut obiter illud moneam, fides Historiae Romanae defendi etiam possit contra ISAACVM NEWTONVM, magnum et ingens Britanniae suae totiusque Philosophiae reformatae ornamentum, qui, dum in sua *Chronologia pag.* 128. originem urbis Romae centum circiter ac viginti quinque annis epocha Varroniana facit posteriorem septemque Romae Regibus non amplius, quam centum et undeviginti annorum spatium, praefinit, non videtur haec probe attendisse. Certe si vegetam

tam illam ac florentibus annis aetatem, qua singuli Romae reges creati sunt, si salubria, ipso illo rudi adhuc et luxu nondum corrupto saeculo, corpora consideres, non video, quin certa satis sit regni Romani Chronologia; quae et aliunde pluribus argumentis stabiliri posset, sententiae Newtonianae opponendis, si id nunc praeter institutum agere luberet.

Cum itaque illud de regno certamen, quod Marcio cum Hostilio Tullo intercessisse legimus, multo magis valido et acris ingenii adolescenti, quam exactae aetatis seni decrepito conveniat, equidem ego Marcium, Tulli competitorem, non ipsum illum Numae aequalem, sed potius filium ejus, patrem regis Anci, intelligo, florenti aetate virum, cuique, quod regis Numae unicam filiam haberet in matrimonio, prae aliis quodam videbatur modo regnum jure deberi; atque adeo de hoc etiam Marcio accipere malim, quae Chaeroneus ad patrem Marcium refert, quod nimirum is, in Sabinis natus, una cum parente Numaque Romam profectus in senatuque postea adlectus Hostilii competitor fuerit, a quo victus et factioni adversariorum cedere coactus mortem sibi intulerit violentam. Imo eadem quoque res in caussa fuisse potest, quare, sive damnata ejus Marcii memoria, seu ob facti indignitatem, Ancus rex, hujus Marcii filius, nunquam a parentis nomine describi voluerit, alioquin paterno genere, quamquam *Sabinus* is fuerat, haud adeo ignobilis, ut patris ipsum pudere, nullo ortum parente, unaque Numae illustratum imagine, dici fuerit necesse: cum et alii Reges Romanorum peregrini, uti ipse Numa, *Pomponis* (seu *Pompi*, *Pompii* aut *Pompili*) filius, et Priscus Tarquinius, *Damarati Corinthii* filius, a patribus tamen suis more Romanorum Graecorumque, nominari soleant.

Redeo tandem ad LIVII *locum*, quem Librariorum vitio diximus corruptum neque ab Interpretibus intellectum satis. Pro *Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit*, ductu ac vestigiis quorumdam codicum, arbitror corrigendum: *Pontificem deinde Max. Marcium, Marci filium, ex Patribus legit.* Nomen *Numa*, quod alii quarto casu conversum dederunt *Numam*, expunxi, ex praecedenti oratione ab imperitis Librariis repetitum. *Maximi* autem vocabulum vel simplici M. vel scripturae compendio MAX. olim exaratum, absorpsit facile M. sequens initiale vocis MARCII vel syllaba ejusdem nominis prima MAR. — X. enim et R. facile, ut in Monumentis

tis Lapidariis, sic in codicibus quoque Romano literarum charactere manu exaratis, ob formae similitudinem permutantur; ut infra notabimus, inde veram lectionem restituturi *Fragmentis Capitolinis*, ubi FVXIVS, tanquam vere ita incisum esset *Marmori*, pro FVRIVS, in splendidissima sua editione *Fastorum* dederat J. B. PIRANESIVS.

Firmat nostram in LIVII *loco* emendationem, quod Auctor de *Viris illustrib. cap.* 3. Numam *Pontificem Maximum* creavisse, scribit, nulla, quem ad modum et LIVIVS aliorum Pontificum vel collegii Pontificalis mentione facta: ejus autem libri de *viris ill.* scriptor anonymus, quod nondum observatum aliis, obiter hic monendum est, LIVII praesertim *Annales* videtur secutus ejusque verba saepe misisse in compendium, ut ex pluribus utriusque locis inter se collatis mihi apparuit et *alibi*, occasione oblata commodiore, ostendam. Sicut igitur *hoc* LIVII *loco* recte, ni fallor, *Pontificem Max. Marcium* legendum docuimus, ita apud eundem *hoc eodem Lib. cap.* 32. §. 2. ubi dicitur Ancus rex omnia ex *Commentariis* NVMAE *Pontificem*, in album relata, proponere in publico jussisse, retinendum quoque existimo, quod priores habuerunt editiones *Pontificem M.* licet alii quidam codices ibi literam solitariam M. omittant, absorptam praecedentis vocabuli litera finali proxima: et quamvis probe sciam, *Pontificem* κατ' ἐξοχὴν pro *Maximo Pontifice* non nunquam poni, vid. VV. DD. ad *h. loc.* et ad *Lib.* XXVIII. *c.* 11. §. 6. nollem tamen, spreta reliquorum codicum scriptorum impressorumque typis auctoritate, hic sine ulla satis idonea ratione esset contextu eliminatum: sin autem alicui simpliciter hoc posteriore loco, abjecto M. legere placeat *Pontificem*, non equidem cum JAC. GRONOVIO aliisque expungendum putaverim, quod LIVIVS non ante *Lib.* III. *cap.* 54. *Maximi* vocem adjiciat, quasi tum demum, constituto Pontificum collegio, primus inter eos et collegii praeses *Maximus Pontifex* dici coeperit, aut cum DVKERO et DRAKENBORCHIO hoc aliisque locis *Pontificem* simpliciter pro *Maximo Pontifice* positum accipere; sed collective potius singularem numerum interpretari de *universo Pontificum collegio:* cui conjecturae favet in primis DIONYSIVS *pag.* 178, ubi eundem hunc in finem, scribit, regem Ancum *Pontifices* convocasse, id est, cum Pontifice Max. totum collegium; sic et aliis in locis, ubi numero singulari LIVIVS voce *Pontificis* utitur, commodo sensu rectius accipies pro *collegio Pontificali*, quam

κατ'

κατ' ἐξοχὴν pro *Pontifice Max.* uti, quod *hoc Lib. c.* 20. §. 6. scribit, Numam *omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subjecisse*, id explicandum quoque esse, scitis, non Pontificis Maximi, sed totius collegii, clarissime patet ex DIONYSIO *pag.* 132. *sq.* et quod LIVIVS *Lib.* II. *cap.* 2. Sacerdotium Regis sacrificuli *Pontifici* subjectum, tradit, manifestum est, id non peculiariter ita accipiendum, quasi uni Maximo Pontifici fuerit subjectus Rex sacrorum, sed universo collegio, a quibus etiam creatus, vid. DIONYS. *pag.* 278. Locus autem LIVII *Lib.* II. *cap.* 27. §. 5. quem GRONOVIVS *ad Liv. Lib.* I. *c.*32. citat, plane huc non pertinet, ubi, cum scribit, *solemnia pro Pontifice jussit suscipere*, intelligitur neque Pontifex Max. neque collegium, sed *pro Pontifice* ibi est *loco* seu *vice* sacerdotis ex collegio Pontificali, ut recte exposuit contra NEAPOLIM celeberr. BVRMANNVS ad OVIDII *Fastor. Lib. V. vs.* 669. Vnum addam FESTI locum, huc etiam a DVKERO adductum, ut probet *Pontificem* pro *Pontifice Max.* dici: ita scribit in *voc. ignis Vestae si quando interstinctus esset, Virgines verberibus afficiebantur a Pontifice; quibus mos erat &c.* nempe non unus Pontifex Max. sed adhibito in consilium reliquorum Pontificum collegio, cognoscebat de Vestalium delictis, eoque sensu collective apud FESTVM *a Pontifice* explicandum est *a Pontificibus* seu *Pontificum collegio*, ut patet quoque ex relativo pronomine *quibus*, quod adjungitur. Cum vero summae auctoritatis in collegio Pontifex Max. esset, inde fit, ut ab Scriptoribus illi tantum uni tribuantur interdum, quae juris erant totius collegii; ut cum apud LIVIVM *Lib.* XXVIII. *cap.* II. §. 6. propter ignem in aede Vestae exstinctum, flagris caesa dicitur jussu P. Licinii, qui tum Pontifex Max. erat; ubi quod jussu Pontificis Max. factum memorat, ex FESTI loco apparet atque aliunde, toti collegio esse tribuendum. Hinc refelli facile potest error tum aliorum, tum BOSII in *Lib.* de *Pontif. Max. cap.* 4. ubi pleraque omnia, quae tanquam propria ad Pontificem Max. refert, debentur ei tantum velut communia cum reliquo Pontificum collegio, cui praesidebat.

Postremo hic animadvertendum restat, primum sub rege Numa Pontificem Max. non Anci regis fuisse patrem ut pro indubitato hactenus crediderunt omnes, fictitiis decepti Inscriptionibus, nulla cujusquam Auctoris fide firmatis, sed eundem multo potius videri, qui Numae Pompilio suscipiendi imperii memoratur fuisse auctor, avus Anci regis; cujus

jus opinionis haec potiſſimum habeo documenta. Quod Numa Pompilius ipſo regni initio ſacra et Sacerdotum collegia inſtituiſſe videatur; uti ex rerum, quae traduntur, ſerie apud LIVIVM, DIONYSIVM aliosque colligere eſt: namque ſacrorum cura ac religionis reformatio unicum erat remedium, quo inde ab regni exordio feroces animorum ſpiritus Romanorum a belli ſtudio ad pacem excolendam revocavit Rex et continuit. Neque obſtat, quod DIONYSIVS *pag.* 132. collegium illud Pontificium τελευταῖον τῆς Νουμᾶ παρατάξεως μερισμὸν dicat, cum eo nihil aliud indicetur, quam ex octo collegiis Sacerdotalibus Regem poſtremo omnium loco deſcripſiſſe collegium Pontificale. Cum vero tanta eſſet Pontificis Max. dignitas et amplitudo apud Romanos, ut Religionis *Exegetae ac Prophetae vel Hierophantae inſtar eſſet*, vid. PLVTARCH. *in Num. Tom. I. pag.* 124. aliisque honorum elogiis ſummi faſtigii ornetur, haud potuit ſane Numa rex cuiquam magis digno honorem ſummi Sacerdotii tribuere, quam Marcio patri, comiti ſuo, propinquo et aequali, quique praeterea religionis, quam Numa novam introduxerat, prae aliis omnibus haberi debebat ſcientiſſimus; cujus filius tum temporis juvenili adhuc aetate, neque is adeo erat, qui huic Pontificum collegio praeſideret, ſacris ritibus ac Religioni moderaretur univerſae. Huc accedit, quod LIVIVS *Pontificem Max. Marcium ex Patribus* lectum, tradit, cum de patre Marcio, non item de filio ſatis conſtet, Senatorem fuiſſe; eo certe tempore, quo haec ab Numa ordinata ſunt Sacerdotum collegia, Marcium filium dignitate ſenatoria jam functum, nemini, ſi aetatem attendat, fiet probabile. Quin etiam ipſe LIVIVS haud obſcure indicat, Pontificem Max. Marcium eum ipſum fuiſſe, qui cum rege Numa Romam venerit, ſiquidem *Marci filium* nominat; qua nominis appellatione, non Anci patrem, ſed avum certiſſimo ſatis indicio deſignavit; *Marcium* ſcilicet eum, cujus pater in Sabinis, more ejus regionis temporumque, unico inſignitus nomine κοινῷ ὀνόματι *Marcus* videtur appellatus, unde filio πατρωνυμικῶς *Marcii* nomen adhaeſit gentique Marciae nomen datum eſt.

Vnum hoc quaeri adhuc poterit, cur addat LIVIVS *e Patribus lectum* Pontificem Max.? an, quod alii Pontifices promiſcue ex Patriciis plebejisque fuerint, uno duntaxat, qui reliquos auctoritate dignitateque ſuperemineret omnes, ex Senatoribus ab ipſo Rege lecto ac toti

collegio praeposito ? ita crediderim fere; tum, quod ipsa LIVII id innuant verba, tum etiam, quod, quam diu Romae fuit regnatum, aequale magis jus inter omnes cives obtinuit. Dissentit GVTHERIVS *Lib. I. Vet. Jur. Pont. c.* 4. aliique, et Pontifici Maximo tres additos ab initio Pontifices affirmant, *omnes Patricios*, quod nullius tamen testimonio Scriptoris antiqui probatur, aut probabili conjectura vel argumento. Quod si autem in ejusmodi rerum antiquitate id, quod maxime vero simile videtur, conjecturare licet, non tantum sub insequentibus Regibus obtinuisse, crediderim, ut ex utroque ordine possent in collegium novi Pontifices cooptari, sed ipsum quoque Pontificem Max. plebejum creari tum potuisse, suspicor; conf. quae mox *seq.* §. dicam de *C. Papirio*, Pontifice Max. Postea vero, quam Servius Tullius aliam longe rei publicae formam praescripsisset, ex Censu et ratione habita cujusque civis facultatum, institutis Comitiis Centuriatis, in quibus Patricii, plebe ditiores, plurimum valerent, paullatim ejus ordinis potentia crevit, plebis opes imminutae sunt: primis praesertim liberae civitatis temporibus, quando regiminis forma vere obtinuit Aristocratica, ex Patriciis tantum solis collegium id Pontificale coepit constitui, iique id sibi Sacerdotium retinuerunt ad annum V. C. CDLIII. quo anno lege Ogulnia, a Q. et Cn. Ogulniis, pl. Tribunis (non tamen in eodem Magistratu, ut quidam putant, fratribus) de augendo Pontificum numero lata communicandoque eo Sacerdotio cum plebe, vid. LIVIVS *Lib. X. c. 6. sqq.* novi Pontifices quatuor ex plebejis adlecti sunt.

§. 3.

Vt vero post longiorem excursum tandem illuc redeam, quod hujus potissimum est loci; satis constat, ex institutione regis Numae huic Pontificum collegio amplissimam in omnia sacra potestatem fuisse concessam; quaeque singula singulis Sacerdotum collegiis fuerint praescripta sacrorum jura, ea cuncta simul exscripta exsignataque Pontificis scitis subjecta sunt. Inter alia autem plura variaque munia Pontificum collegio negotium quoque datum, ut, intercalandi ratione eorum permissa arbitrio, civilem annum componerent, ita ordinatum descriptumque, sacrorum potissimum caussa, ut quibus hostiis, quibus diebus

bus et ad quae templa fleri facra deberent, ex *Tabulis*, publico loco propofitis, intelligeretur: conf. LIVIVS *Lib. I. c.* 20. et CICERO *de Legg. loc. fupr. expofito cap.* 1. §. 4. *pag.* 23. Neque igitur dubium eft, quin, regnante Pompilio, *Fafti* quotannis fuerint a Pontificum collegio vulgati, cum nulla tum temporis adhuc vel occultandi cauffa fuerit Pontificibus, propriae poteftatis augendae gratia, vel corrumpendi Faftos negligendaeque curae intercalationis aliorum odio aut favore, ut poftea liberae rei publicae initiis factum, videbimus. Sub Tullo autem Hoftilio, cujus imperium non tantum proximi Regis disfimile, fed regno etiam Romuli ferocius fuit, tefte LIVIO *Lib. I. cap.* 22. cum facra pleraque effent neglecta annique minus diligenter ad folis curfum ordinati, nulla forfan intercalatione facta, neque Faftis ex more propofitis, poft ejus obitum mox Ancus Marcius rex, convocato Pontificum collegio poftulavit, ut, quos Numa de facris perfcripfiffet, *Commentarios* fibi traderent eosque denuo querneis incifos Tabulis publice in foro legendos populo proponi juffit, vid. DIONYS. *Lib. III. pag.* 178. LIVIVS *Lib. I. c.* 32. quibus iisdem Commentariis feu Tabulis feftorum etiam profeftorumque dierum jura fimul expofita defcriptaque fuiffe atque iterum ab Anco rege propofita, nemo erit, opinor, qui in dubium revocaverit.

Deinceps vero, five vetuftate tandem fuerint abolitae (quippe querneae) ut DIONYSIVS vult *loc. cit.* feu, quod mihi magis fit vero fimile, rato, quotannis, fub Prifco Tarquinio et Servio Tullio, ordinatum a Pontificibus intercalatione annum vulgari folitum, una cum aliis legum Regiarum monumentis hanc etiam *Faftorum Tabulam* foro fummoveri atque aboleri jufferit Tarquinius alter, conf. idem DIONYS. *Lib. IV. pag.* 245. poft exactos ftatim Vrbe Reges, ipfis liberae rei publicae incunabulis, ex iisdem rurfus Numae *Commentariis* facrorum rituum Faftorumque Tabulas reftitutas loco publico propofuit C. PAPIRIVS, Pontifex Max. de quo cum maxime, tum de jure etiam *Papiriano*, ita ex ejus nomine appellato, disputaturi, duo praecipue Scriptorum veterum loca, alterum DIONYSII *Lib. III. pag.* 178. alterum POMPONII, Iuris Confulti, fub accuratius examen revocabimus, eaque occafione obiter quoque aliis Auctorum quorumdam locis non nihil lucis affundere conabimur.

Scribit DIONYSIVS, regem Ancum, convocato ad fe Pontificali colle-

legio: καὶ τὰς περὶ τῶν ἱερῶν Συγγραφὰς, ἃς Πομπίλιος συνεστήσατο, παρ' αὐτῶν λαβὼν ἀνέγραψεν εἰς Δέλτους καὶ προύθηκε ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν *sumtosque ab iis Commentarios, quos Pompilius de sacris ritibus perscripserat, Tabulis ligneis incisos in foro proposuisse, omnibus ut esset cognoscendi spectandique copia:* quas Tabulas, ubi dixit, vetustate tandem abolitas (quando quidem, ut obiter hic observat, χαλκέαι στῆλαι *columnae aereae* nondum essent in usu, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο Σανίσιν οὔτε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν Διαγραφαί· *sed querneis Tabulis inciderentur tam leges quam Commentarii de sacris*) addit continuo: μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων εἰς ἀναστροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς Ἱεροφάντου Γαΐου Παπιρίου, τῶν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος· *post ejectos Reges in publicos rursum usus revocatas a Pontifice Max. C. Papirio, omnium, quae ad sacra pertinerent, principatum obtinente.* Plura quae occasione hujus loci de *querneis Tabulis* deque *columnis aereis* possent notari, alibi commodius referenda, nunc praetereo: id unum tamen monendum est, frustra *Papirii* nomen *hoc loco* suspectum fuisse GLAREANO, nihil habere se professo, quod ejus loco substitueret: neque pro ἱερῶν ἡγεμονίαν cum SYLBVRGIO esse legendum ἱερέων, eadem enim Pontificis Max. periphrasis est, ἡγεμονίαν τῶν ἁπάντων ἱερῶν, vel Ἱερέων, ἔχειν.

Dabo etiam POMPONII verba. *Et ita,* inquit, *leges quasdam et ipse* (Romulus) *Curiatas ad populum tulit. Tulerunt et sequentes Reges, quae omnes conscriptae exstant in Libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Damarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur Jus Civile Papirianum, non quia Papirius de suo quidquam ibi adjecit, sed quod leges, sine ordine latas, in unum composuit.* Vnus ille ICti POMPONII locus multorum ingenia Interpretum vehementer exercuit: plura commenti sunt et animadverterunt VV. DD. uti vel culpam Librariorum incuriae, quod plerisque magis placet, vel ipsius, ut alii volunt, POMPONII inscitiae atque errori imponant. Singula nos et ordine examinabimus accuratius. In praenomine Papirii refingendo, cum idem in *hac lege* a POMPONIO priori loco *Sextus,* post vero deinde §. 36. *Publius* appelletur, jam inde a renata Jurisprudentia ad hanc nostram aetatem, plures non infimi nomi-

minis juris Romani Doctores fuerunt occupati. IAC. CVIACIVS, qui fere nihil in iis, quae ad hoc studium pertinent, praetermisit intactum, in scripto codice, quo usus est, pro *in libro sexti Papirii*, numerali nota exaratum invenit, *in libro VI. Papirii*, indeque corrigendum ratus hoc priori loco *in libro sexto*, putabat, verum Papirii praenomen, uti §. 36. memoratur, *Publium* fuisse: hujus postea emendationem amplexi sunt, tum alii, qui *L.* 2. *Pomponii de O. I.* commentario vel notis illustrarunt, tum etiam. CHR. ADAM. RVPERTVS in *not. ad Enchirid. Pomponii* et ill. Supremae in Hollandia Curiae Praeses, CORN. BYNKERSHOEKIVS in *Praetermiss. ad l.* 2. *de O. I.* Aliam paullo ingressus viam celeberr. HEINECCIVS in *Hist. Iur. Lib. I.* §. 16. utrumque Papirii praenomen proscribit, et in §. quidem 2. CVIACII aliorumque secutus conjecturam, *in Libro sexto* legit, §. autem 36. pro verbis: *fuit autem in primis peritus Publius Papirius*, reponendum censet: *peritus* PVBLICI IVRIS *Papirius*, aut pro *P. Papirio* illic loci rescribendum *C. Papirium*, ut adeo cum DIONYSIO, qui Γαΐου praenomen illi dat, conspiret probe noster POMPONIVS: conf. ejusdem *Observat. Hist. de Iur. Papir.* §. 10. in *Opusc. minor. pag.* 11. at vid. quae contra argumentatus est ill. RITTERVS in erudita observatione *ad Heinecc. Hist. Iur. Lib. I.* §. 17. His juris interpretibus succedat IAC. PERIZONIVS, tum utriusque Linguae tum disciplinae cujusque Romanorum peritissimus, in *Animadvers. Historic. cap.* 2. *pag.* 89. *sq.* ubi duo potissimum RVPERTO opponit argumenta, quorum prius, non plures conscripsisse libros videri PAPIRIVM, sed dispersas tantum modo Regum leges in unum collegisse librum: alterum, non solere POMPONIVM, homines, quorum prima vice facit mentionem, unico tantum nomine appellare; atque adeo hinc colligit vir cl. praenomen Papirii in §. 2. minime oportuisse eliminari, restituta ejus loco nnmerali nota, quae librum PAPIRII indigitet *sextum*. Cum vero neque *Publii* neque *Sexti* praenomina inveniantur in Papiriis patriciis, sed *Spurii*, *Lucii*, *Gaji*, *Marci* et *Manii*, Pomponianum, ut ita dicam, Papirium istum *Spurii* praenomine usum, arbitratur. In PERIZONII nuper sententiam descendit eamque denuo firmavit vir celeberrimus HERM. CANNEGIETERVS, studiorum meorum, quondam in Academia Frisiaca degentis, optimus Dux et Auspex, nunc vero etiam, quod publice profiteor et honori duco, Amicus multo aestimatissimus, in *Observationibus Iur. Rom.* doctis Hercle ac laboriosis nec minus tersis ac elegantibus, *Lib. I. cap.* 15. *pag.* 96

96. *ſqq*. Equidem vero, quamvis minime ſubſcribam RVPERTI', HEINECCII aliorumve, ſupra memoratorum, opinioni, fateor ingenue ac, pace et venia, in re momenti levioris diſſentiendi a viro cl. petita, dixerim, nondum adeo certa et indubitata nobis videri haec PERIZONII argumenta, quin contra non nihil, ad aliorum probandam et ſtabiliendam opinionem infringendaque argumenta oppoſita, reponi commode atque in medium proferri poſſit. Quod etenim primo obſervat, Romanos, iſtis Papirii temporibus, non adeo multos libros ſcribere ſolitos neque PAPIRIVM plures uno ſcripſiſſe videri, nil niſi mera eſt conjectura, aliorum minime ſubvertens ſententiam: ſi enim concedas unum ſcripſiſſe librum, poteſt ſane et jus ſuum in plures libros diſtribuiſſe ſeu partes, ita ut ſingulis ſingulorum leges Regum collegerit, jus quoque ſacrum praeterea ſingulari libro complexus. Neque obſtat huic cogitationi a viro cl. Perizonianae ſententiae additum novum argumentum, ipſum aperte ſatis indicare POMPONIVM, unicum duntaxat a PAPIRIO librum fuiſſe compoſitum, ſiquidem aiat, IS LIBER *appellatur jus civile Papirianum:* rectiſſime enim, ut puto, Iuris Conſultus *librum* hic loci, numero ſingulari, dixit, dicere ſaltem rectiſſime potuit, de *Opere univerſo Papiriano*, in plures quamvis aliquot libros ſeu partes diſtributo. Aliter doctiſſ. HEINECCIVS in *Obſ. Hiſt. de Iur. Papir. l. c.* eadem hac difficultate praeſenſa, expedire ſe conatus eſt; nempe verba: IS LIBER *appellatur*, ſpeciatim ad *ſextum* illum referens librum, quo *jus Civile* PAPIRII contineretur, quum reliqui ſcilicet libri jus potius complexi ſint *Pontificium* ac *Sacrum:* aſt illa mox corruet viri docti obſervatio, ſi, quod paullo inferius contra POMPONIVM oſtendam, hic obiter notemus, Iure Papiriano ſacras tantum modo Regum leges, Numae praeſertim Pompilii, conſcriptas collectasque fuiſſe, et nihilo tamen minus nomine *Iuris Civilis* recte appellatum.

Quod autem animadvertit deinde cl. PERIZONIVS, non ſolere POMPONIVM illos, quorum prima vice in hac lege mentionem facit, unico et ſimplici nomine indigitare, in eo certe fallitur egregie: namque parili modo, praenomine praetermiſſo, mox eodem hoc §. Tarquinium, regem ultimum, ſolo cognomine *Superbum* dixit, et dein §. 34. *Virginium*, §. 37. *Sempronium*, §. 39. *Brutum* et *Manilium*, §. 45. *Trebatium* alioſque in *ſqq*. §§. plures, primum licet illic a POMPONIO memoratos, uno nomine deſcriptos videmus gentilicio vel ſolo cognomi-

mine; ita profecto nobis reliquit Pomponiani Enchiridii Fragmentum Triboniani vel alius compilitaris manus; caeterum, quid in exarandis praenominibus ab ipso praestitum sit aut observatum Iuris Consulto POMPONIO juxta omnes ignoramus cum clarissimo *Animadversionum Hist.* Auctore.

Addit denique idem PERIZONIVS, ut probet utroque hujus legis §. culpa et negligentia Librariorum erratum esse, neque *Publii*, quod §. 36. est, neque *Sexti*, quod §. 2. habetur, praenomina in Papiriorum gente patricia inveniri, sed *Spurios*, *Lucios*, *Gajos*, *Marcos*, et *Manios* obvios esse; unde hunc nostrum *Spurium* dictum arbitratur: fateor lubens, olim apud Romanos sua cuique genti certa quaedam et prae aliis maxime usitata fuisse praenomina, ex eaque observatione, scio, pulcre saepius Criticos veterum Historicorum loca medicatos, neutrum, etiam concedo, vel *Sexti*, vel *Publii* praenomen in gente Papiria patricia apud Scriptores, hodie nobis superstites, obvium reperiri; illud tamen argumentum non ubique semper procedit, quin saepe in corrigendis mutandisque, vetustiorum praecipue Romanorum, praenominibus fallax est ac maxime incertum: nisi enim constiterit, certa de caussa praenomen aliquod in hac vel illa gente damnatum vel vitatum, non video, qua probabili satis ratione nos hodie Literatores ejus modi praenomina, semel in aliqua gente apud Auctores antiquos tantum obvia, nullius etiam adjuti codicum Mstorum auctoritate, temere exstirpare debeamus aut mutare; siquidem non omnia omnium gentium familiarumque Romanarum praenomina in *Annalibus* tradita sint, neque cunctorum patriciorum genealogiae compertae satis: *Manium* verbi gratia Papirium, ut ex magna copia uno defungar exemplo, primum Regem sacrificulum, memorat DIONYSIVS *pag.* 278. at enim vero illud *Manii* praenomen in gente Papiria, tam patricia quam plebeja, nusquam hodie, praeterquam in uno hoc, alibi recurrit obvium: itane propterea id praenomen in ea gente prorsus inusitatum fuisse, ejusque loco usitatissimum *Marci* reponendum, arbitrabimur? minime credo; quamvis etiam facile ac saepius ea duo a Librariis confundantur, notis enim, alterum M. alterum lineola vel unco superne adjecto M'. exarata parum aut nihil fere distant: conf. quae *infra* de usu Praenominum plura dicam, ubi et inter alia de inusitatissimo et hactenus, ni fallor, incognito plane incompertoque praenomine Ro-

Romanorum veteri *Ailo*, five *Aelo*, unde gens *Ailia* feu *Aelia* appellata eft, disputabimus.

Cauffas memoravi hactenus, quibus potiffimum inducti VV. DD. medicam POMPONIO manum admovere inftituerunt: cum maxime et ipfam propius examinabimus Medicinam. Putat cl. PERIZONIVS loco *Spurii*, quod pro vero habet Papirii Pomponiani praenomine, in §. 2. *Sexti* praenomen ortum effe ex perverfa interpretatione literae S. five ea fola notatum fuerit *Spurii* praenomen, uti factum aliquando in *Lapidibus* et *Nummis*, recte monet; unum conf. praeter alios, doctiff. MATT. AEGYPTIVM *ad S. C. de Bacchanalib. pag.* 144. five, quoniam id praenomen plerumque duabus literis SP. fignari foleat, P. interciderit propter eandem proxime fequentis vocabuli primam: eademque etiam ratione accidiffe, ut pofteriore loco §. 36. fublata litera S. quod eadem poftrema item effet praecedentis vocabuli, remanferit P. unde Librariorum incuria procuderit nobis *Publium*, ut priore loco ex litera S *Sextum*. Facilis et perquam, fateor, commoda eft haec medendi ratio, eaque faepiffime Auctoribus vetuftis, Scribarum vitio, ob Notas ejus modi vel Siglas, male intellectas vel perperam exceptas, depravatis, felici cum fucceffu adhibita eft: attamen vereor, ne non ubique procedat utiliter, certe POMPONIO noftro, rectae valetudini reftituendo, haud apte fatis, credo, poterit applicari. Non ingrediar hic late patentem de *Siglis*, *Notis* aliisque fcripturae compendiis dicendi campum, ne ejus rei disputatio, cum paucis verbis abfolvi non poffit, longius ab inftituto nos abftrahat, nonnulla in *Additamento*, poft *Coronidem* huic capiti adjungendo, obfervabimus, unde forfan lucis aliquid tum POMPONII tum aliorum locis Scriptorum poterit conferri; illud unum velim tamen animadverti, cauffam, quare ego exiftimem, viri cl. conjecturam, licet fpeciofam et primo adfpectu valde probabilem, non hic tamen admitti debere, in primis hanc effe gravem, quod Librarii in *Iuris Iuftinianei* codicibus exarandis raro admodum vel nusquam praenomina Siglis Notisque vel alio modo compendifacta exhibuerunt, in hoc praefertim fedulo ac religiofe Imperatoris conftitutionem obfervantes, ne qua propria Prudentum aliorumque virorum nomina fingulariis literis compendiisque contracta perfcriberent: quin imo ufitatiffima etiam *Cnaeus*, *Cajus*, *Marcus*, *Publius* caeteraque cuncta, quae in *hac lege* POMPONII plura obvia

obvia ſunt, praenomina plene et per literarum conſequentias exarata ſemper invenimus; ut vel hinc et quae *infra* ſuo loco uberius diſputabimus, abunde conſtare posſit, quam immerito in his faba ſaepe cudatur in Librariorum innoxium caput, quamque illi hujusce rei cauſſa non jure vapulent a Criticis noſtri ſaeculi. Quod ſi autem ex ſcripturae compendio error hic natus eſt, non equidem Scribis, caeterum imperito ſatis rudique hominum generi, ſed juris compilatori potius TRIBONIANO, ſaepiuscule in Notis exponendis lapſo*, imputandum cenſuerim: imo ipſi forſan auctori POMPONIO, dum, qui *Cajus* fuit Papirius, variato praenomine, primo *Sextum*, poſt deinde, ſui oblitus, *Publium* appellat, voce ſine ullo ſcripturae compendio exarata: nempe nova illa praenominum integre exarandorum orthographia, mutata ſub Imperatoribus priſca nominandi ratione, cum, quae olim cognomina fuerant, praenominum non raro vice fungerentur, neceſſitate quadam primum introducta, POMPONII aetate (floruit is ſub Divis Fratribus) uſu paullatim et vulgo recepta videtur, ut egregie Lapides quidam inſcripti et Codicum Membranae, ejusdem circiter aetatis, probant, conf. cl. GIOVANEZZIVS in *Scholiis ad Livii Fragmentum* ἀνέκδοτον, *pag.* 33. *ſq. edit Lipſ.*

Porro disquirendum *hoc loco* eſt, quis fuerit Papirius ille, POMPONIO memoratus; ſententiarum divortiis diſtracti ſunt literati Interpretes. *Cajum* Papirium, DIONYSIO HAL. celebratum, qui Pontifex Maximus fuit, nonnulli eundem arbitrantur, atque *Manium*, primum Regem ſacrorum, mox, Tarquinio civitate pulſo, anno partae libertatis primo, creatum. At vero hos diverſos ſane fuiſſe, non tantum, ob utriusque praenomen diverſum, nullus dubito, ſed dignitas utriusque Sacerdotalis diverſa perſpicue oſtendit, dum hic, *Manius* praenomine, Rex fuit Sacrificulus, *Cajus* autem Pontifex Max. neque enim utraque dignitas Pontificis Maximi Regisque ſacrorum eodem ſimul tempore in eandem potuit conferri perſonam, uti ex LIVIO *Lib. II. c.* 2. colligere eſt, ubi ſcribit, Romanos id Sacerdotium (Regis Sacrorum) Pontifici Maximo ſubjeciſſe, ne additus nomini honos libertati, recens partae, noceret; unde ſi Cajum Maniumque Papirios pro uno eodemque habeas, dicas quoque neceſſe eſt, Papirium, Regem ſacrorum, ſibi ipſum Papirio, Pontifici Max. ſubjectum fuiſſe, quo nihil dici aut fingi poteſt ineptius. Alii rurſum, ut FR. HOTOMANNVS in *Deſcript. ICtor. addit. ejusd. Commentar. verbor. Iuris, pag.* 438.

Papirium Iuris Confultum a *Cajo* quidem Papirio, Pontifice Max. diftinguunt, verum cum *Manio* Papirio, Rege primo Sacrorum eundem faciunt; fed et illa incerta plane ac minime probabilis eft opinio, cui refutandae vix operae pretium eft, ut inhaerefcamus. Denique cl. PERIZONIVS *loc. cit. pag.* 90. utrum *Cajum* illum Papirium eundem faciat cum *Manio*, an vero cum *Iuris Confulto*; incertum arbitratur; quoniam DIONYSIVS tantum *poft exactos Reges* Cajum Papirium *facrorum Tabulas* in ufum revocaffe memoret, non vero etiam addat, quo anno id factum fit: fi tamen ad prima illa Confulum tempora referendus fit, ipfum a ICto POMPONII haud diverfum ratus, quando quidem Pontifices olim praecipui fuerint juris divini atque humani auctores et cuftodes. Quam viri cl. fententiam, veritati maxime confentaneam, mox accuratius examinatam adftruemus, ubi prius dubia non nulla, quae in contrarium proferuntur, removerimus. Quatuor funt argumenta, quibus vir fummus in *Obf. Iur. Rom. loc. fupr. cit.* evincere adnititur, diverfos fuiffe Papirios, *Iuris Confultum* POMPONIO, et *Pontificem Max.* DIONYSIO memoratos. Primo ob diverfum utriusque praenomen; de quo fupra vidimus; at vero ipfa POMPONII inconftantia, modo Papirium praenomine *Sexti*, modo *Publii* appellantis, praeter alia arguit fatis, illic in praenomine fuiffe erratum. Secundo ob diverfum utriusque Papirii opus, alterum enim, *Pomponianum* Papirium, *Regum omnium leges* in unum collectas compofuiffe, alterum vero *Cajum*, tefte DIONYSIO, *folius Numae*, non tantum *leges*, fed *facrorum* etiam *rituum Commentarios*, τὰς περὶ τῶν ἱερῶν Συγγραφάς· quos facrorum *Commentarios* fedulo DIONYSIVS diftinxerit a *legibus*, fcribens: οὔτε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν Διαγραφαί: Verum tamen POMPONIVS, dum Papirium fuum *omnium Regum leges* contuliffe in unum fcribit, infignem mihi videtur commififfe ἀνιστορησίαν, quam brevi poft tangemus: DIONYSIVS autem, quamvis *leges* diftinguat ibi et *Commentarios de facris*, quos utrosque obiter memorat, querneis olim Tabulis apud Romanos, cum aereae nondum columnae esfent in ufu, incidi folitos; minime tamen, ut vir cl. videtur arbitratus, Papirium, praeter facrorum rituum *Commentarios* Numae, ejusdem etiam Regis *leges* collectas edidiffe, fignificat: verba enim εἰς ἀναστροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν· *in ufum rurfus publicum reduxit*, referenda tantum modo funt ad verba, τὰς περὶ τῶν ἱερῶν Συγγραφάς.

ad

ad *Numae Commentarios de ſacris*, non vero etiam ad τοὺς νόμους, *leges juris privati* vel *publici*, quas memorat. Hoc vel inde poteſt colligi, quod, quantum ad leges Numae et jus privatum ac publicum, a jure ſacro diverſum, Pontifici Maximo vi Sacerdotii ſummi nulla prorſus competeret poteſtas, id abolitum vel uſu aut conſuetudine abrogatum, renovandi, ſed ex rogatione majoris Magiſtratus, id eſt, Conſulis, ea res erat totius populi: atque ita intelligendum puto, quod primi dicantur Conſules, *in uſum revocaſſe*, ἀνενεώσαντο, *leges Servii Tullii de Contractibus*, vid. DIONYS. *pag.* 278. idque factum arbitror, jubente in Comitiis Centuriatis populo et auctoritate Senatus. Ne quem igitur poſthac moretur DIONYSII hic locus aut agat transverſum, velim, intermedia illa ſignis Parentheſeos cancellari, quo facto cuncta mox ſatis erunt perſpicua: nimirum poſtea quam de Anco Marcio dixiſſet Auctor, illum Numae Pompilii *Commentarios de ſacris*, τὰς περὶ τῶν ἱερῶν Συγγραφὰς, in foro publice propoſuiſſe easque vetuſtate tandem abolitas evanuiſſe, ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τῷ χρόνῳ· reddita ejus rei ratione his verbis, Parentheſi includendis; χαλκέαι γὰρ Στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ᾽ ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο Σανίσιν οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν Διαγραφαί· *nondum enim tum temporis in uſu fuerunt aereae columnae; ſed in querneis Tabulis tam Leges, quam Pontificum Commentarii de ſacris incidebantur*; pergit, μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν, etc. ubi intermiſſam Parentheſi narrationis telam reſumens, eosdem Numae Commentarios ſacros, ab Anco Rege olim propoſitos, poſtea vero lapſu temporis abolitos, tradit, ejectis Vrbe Regibus, rurſum a C. Papirio, Pontifice Maximo, in uſum publicum revocatos eſſe.

Tertium, quod opponitur argumentum, ex diverſo utriusque Papiriani operis inſtituto deſumtum, hoc eſt: Pomponianum iſtum Papirium privato conſilio leges Regias in uſum privatum in libros retuliſſe; Cajum vero, DIONYSIO memoratum, conſilio publico et in uſum populi, atque ut videtur, querneis Tabulis deſcriptas (Leges Numae et Commentarios) in foro propoſuiſſe: de eo, quid ſentiam, patebit, ubi mox POMPONII notabimus ἀνιστορησίαν, quae nondum animadverſa ſatis a VV. DD. tantos motus excitavit hoc loco, ut, quamvis ſaepius in certamen congreſſi Interpretes et varia commen-

ti ſint, quibus reum defendant, hactenus tamen de cauſſa nihil certi fuerit pronunciatum.

Procedo ad quartum ac poſtremum argumentum, de quo ipſe vir celeberr. ingenue ac ſolito animi candore fatetur, exili ductum ſuſpicione id adeo ſe nolle urgere: nempe ſuſpicatur, POMPONII Papirium floruiſſe Tarquinio Priſco aut Superbo regnante, atque adeo anteriorem fuiſſe Papirio Dionyſiano, qui vixerit μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων, *poſt Reges exactos.* Ipſa prius examinabimus verba POMPONII, quae maxime in diſceptationem veniunt: ſcribit ille, fuiſſe *Papirium illis temporibus, quibus Superbus, Damarati Corinthii filius, ex principalibus viris.* Variae ſunt doctorum hominum contentiones ac ſententiae, quas ſingulatim nobis recenſere, multo minus refellere lubet: falluntur ſane, ut optime ill. BYNKERSHOEK, animadvertit, qui vel *Priſcum* Tarquinium *hic* cognomine *Superbi* venire, ſibi perſuadent, vel *filii* vocabulo *nepotem* intelligendum exiſtimant, ceu vero ex *l.* 84. aliisque de *Verb. Sign.* ubi *filiorum appellatione omnes liberos intelligi*, adeoque et *nepotes*, ſcribit Iuris Conſultus, ingens huic opinioni robur accederet: verum, ut pulcre obſervat ampliſſ. Praeſes, in rebus hiſtoricis, nusquam nomine *filii* ſignificatur *nepos:* addo, neque ipſos ICtos veteres, haud vulgari linguae cognitione imbutos, ſed verborum proprietatis perquam ſtudioſos, ita conſueviſſe loqui numero ſingulari, ut *Caji* v. g. *filium* dicerent, qui eſſet *nepos:* imo accuratius etiam, quam alii Scriptores ſolent, formulas obſervaſſe Juris Peritos, plurimis indiciis patet; hinc, quamvis in *dd. ll.* uti obtinet in favorabilibus, interpretatione vocis extenſiva, *filiorum* appellatione *nepotes* contineri affirment, contra tamen in materia de *Tutelis* nomine *filiorum* liberos, tantum modo primi gradus intelligi voluerunt: cujus ratio diverſitatis quaerenda eſt in *l.* 220. *eod.* neque exiſtimandum eſt, leges *Digeſtorum* de *verborum juris ſignificatione* pariter ubique valere, ſed potius, quem ad modum et *Regulae juris*, ſuis quaeque materiis propriis plerumque ſunt applicandae.

Alteram opinionem, qua alii, atque inter eos CVIACIVS etiam, contendunt, *Priſcum* et *Superbum* Tarquinios, mutato cognomine, in veterum aliquando *Annalibus* confundi, difficulter, credo, cuiquam ſerio probatum iri, niſi claſſicis fide dignorum ſcriptorum teſtimoniis, quae deſideramus hactenus, adſtruatur: mirum tamen, ni huc referant

quo-

quoque HORATII locum ex *Lib. II. Od.* 12. ubi *superbos Tarquini fasces*, id est, *fasces Tarquini Superbi*, quos memorat Poëta, Interpretes plerique de imperio capiunt *Prisci* Tarquinii: verum de *hoc loco* cum paullo plura dicenda sint ejusque occasione et alia, huc non spectantia, tangere libeat obiter, ne longiori excursu rerum hic perturbetur series, *infr.* §. *seq.* dicam.

Ipse ill. BYNKERSHOEKIVS, acerrimus sui POMPONII Patronus et Vindex, ne cum aliis πρῶτον ψεῦδος seu ἀνιστορησίαν hic cogatur agnoscere, errorem in scriptura, quam in Auctore, quaerere maluit, legens: *Superbus Damarati Corinthii* FILIus, idque ex regula *Geminationis*, ingenti illo Criticorum, in Iurisprudentia praesertim Romana, arcano! interpretatur: *Superbus Damarati Corinthii filii filius*, formulam *filii filius* accipiens pro *nepote*; quod idem ante BYNKERSHOEKIVM in mentem venisse ANT. BARTHOLINO *Castigationib. in Leges Tom. I. Fac. Crit. pag.* 716. monet cl. CANNEGIETERVS, *pag.* 98. Caeterum emendationi atque explicationi Bynkershoekianae non dubitaverunt album calculum addere viri literatissimi DVKERVS *ad Flor. Lib. I. c.* 7. scribens, hujus loci, qui valde torserit Interpretes, nodum solvisse ampliss. BYNKERSHOEKIVM, per Geminationem literarum, in *Pandectis* usitatam, sed hic non animadversam: et cl. DRAKENBORCH *ad Livium Lib. IV. cap.* 15. *ingeniosam* vocans *conjecturam.* Cum vero in re publica Literaria aequale jus summis ac principibus viris infimisque pariter constitutum sit eaque regnet felicitas, ut libere, quae velis sentire, quaeque sentias, proferre liceat, nondum vi veritatis victus, horum sententiam trium virorum in dubium revocare nihil vereor. Non movebo quaestionem de Tarquinio Superbo, an recte *Damarati nepos* adeoque Prisci Tarquinii *filius* appelletur: variant hac parte veterum etiam Scriptorum sententiae, quas in *Commentario* nostro *ad Fastos Capitolin.* examinabimus: interim cum viro illustri sequutus LIVII testimonium, atque in primis indubitatam *Monumenti Cap.* fidem, plurimis auctoritatibus Superbum filium *Prisci Tarquinii* crediderim: ast illud quaero, an recte *filii filius* dicatur pro *nepote*, tum etiam, an commode satis *hoc loco* usus sit ampliss. Praeses arcano *Geminationis*? quod ad prius, affirmat BYNKERSHOEKIVS, et alii videntur taciti consentire, in *libris Digestorum* similes *nepotum* appellationes et circumscriptiones reperiri; at vero ne unum quidem profertur ejus formulae exemplum, quod in re admodum dubia fieri tamen oportuerat, ut certo judicari possit, an recte,

an ex usu aliorum Auctorum, an ex linguae genio Latinae ita loquutus fuerit POMPONIVS, nec ne? Equidem Romanos in rebus Historicis, ubi solemni more a patre avoque fit denominatio, haud credo, usquam hac formula usos: huc accedit, si vel maxime largiamur, quamvis non adeo ex usu et sermonis Romani indole, ejus modi tamen circumscriptione usum fuisse Iuris Consultum, quod nulla sit caussa, quare Superbus ab *avo* potius *Damarato* describatur, homine peregrino et exsule, quam a *Tarquinio Prisco patre*, Rege Romanorum, cum, nisi caussa praeteritionis justa adsit, ut *supra* de *Anco* rege observavimus, in ejus modi verborum formula non soleat avi nomen memorari, patris praetermitti; de S. C. veteri Romano, Graece exarato, quod exstat apud GRVTERVM, *pag.* DIII. ubi Marcus Aemilius, Consul, Μάρκου υἱωνὸς, *Marci nepos* dicitur, praetermisso patris nomine, quod factum conjicit vir cl. quia pater ejus fuerit obscurus atque ignotus, dicam alibi. Ipsa vero emendandi ratio, arte *Geminationis*, ut viri docti appellitant, instituta, huic loco maxime est aliena et ipsis arcani regulis, quas vulgo jactant, contraria incongruaque, vid. quae *infra* in *Additamento Capitis* occasione *Notarum* de hac etiam re pluribus exponemus.

Restat nunc, ut breviter ac summatim superius disputata colligendo doceamus, quid de POMPONII loco sentiendum sit. Amplissimus Curiae Supremae Praeses in *Praefatione Praetermissorum ad Pomponium* maxime invehitur in eos, qui ubi ad POMPONII libellum accedant, nihil fere crepent aliud, quam istius ICti παροράματα, ἀνιστορησίας atque ἀναχρονισμούς· his obviam procedere et caussam POMPONII agere in *hoc Opusculo* decreverat vir ill. quod an ubique ex voto ipsi cesserit, an secus aliquando, haud facile dixerim: non equidem nomen inter illos profiteor meum, qui nimis acerbi Censores POMPONIVM in *hac lege* nusquam fere, nisi tristi notatum animadversione, dimittunt; idem vero, quod pace functorum Manium viri summi fiat, contendere ausim, hos paragraphos 2. et 36. ubi de *Papirio* agit, nihil prorsus sani, nihil veri habere, sed fere singulas verborum sententias, ἀνιστορησίαις aliisque repletos esse erroribus.

Primo, *Papirium* §. 2. *Sextum*, deinde §. 36. *Publium* praenomine appellans, inconstantiae atque erroris absolvi non potest: frustra enim VV. DD. dum alio modo defendi nequit, encheiresi POMPONIO

Me-

Medicinam facere inſtituerunt. De PERIZONII emendatione cum *ſupra* abunde dictum ſit, probatumque, nullo prorſus modo admittendam eſſe, illic disputata non repeto. Quae vero prima ſpecie multis adblandiebatur, Cujaciani codicis lectio, ab HEINECCIO aliisque defenſa, *in libro VI. (ſexto) Papirii*, nemini, re penitius introſpecta, placere ſatis poteſt: nulla enim auctoritate, nulla probabili conjectura innititur, quod fingunt Papirium, non unum, verum ſex libros conſcripſiſſe, quorum quinque prioribus *jus ſacrum*, ſexto *leges* potiſſimum *civiles* fuerit complexus, ut exiſtimat HEINECCIVS in *Hiſtor. Iur.* et *Obſerv. Hiſt. de Iur. Papiriano ll. cc.* Etenim haud vero ſimile eſt, ex numerali nota *VI.* Librarios feciſſe praenomen *Sextus*, vid. quae *infra* in *Additamento* dicam: neque facit etiam ad defendendam lectionem codicis Cujaciani, quod ſcribit POMPONIVS *is liber appellatur jus Civile Papirianum:* quae verba ita exponit cl. HEINECCIVS, ut *is liber* ſpecialiter ad *ſextum* referat librum, quo *jus Civile* contineretur, cum priores quinque libri jus haberent *Pontificium* ſeu *ſacrum:* aſt illa, me judice, obſervatio nullius eſt momenti, imo plane falſa: non enim *jus Civile* cum dicat POMPONIVS, intelligit neceſſario *leges Civiles*, proprie et κατ᾽ ἐξοχὴν ſic appellatas, ſed rite iſthoc nomine ipſum jus *Pontificium* ac ſacrum intelligi poteſt, cum et jus divinum in civitatem receptum quoque ſit jurisque civilis adeo univerſi partem conſtituat primariam: accedit, quod per ea tempora ipſum proprie ita dictum *jus Civile* inter ſacra cerimoniasque abditum, ſolis duntaxat notum fuit Pontificibus, vid. VALERIVS MAX. *Lib. II. c. 5. Ex. 2.* et Cn. Flavius, de quo *cap. ſq.* plura notabimus, *jus Civile* legitur ex Pontificum penetralibus evulgaſſe, teſte LIVIO *Lib. IX. c. 46.* licet nihil tamen, praeter *Faſtos* et *Actiones*, ediderit, quae juris erant Pontificii. Praeterea, ſi jam priori loco fide unius codicis recipias, in *libro* SEXTO *Papirii* pro *in libro* SEXTI *Papirii*, alter remanet nodus, ferro ſecandus, in §. 36. ut cum HEINECCIO, loco *fuit autem in primis peritus* PVBLIVS *Papirius*, legas *peritus* PVBLICI IVRIS *Papirius*, quae etiam conjectura ſtare non poteſt. Quare et ex his et quae *ſupra* contra PERIZONIVM disputavimus, in praenomine Papirii errorem manifeſtum a POMPONIO commiſſum agnoſcamus, oportet, nullo modo excuſabilem.

Alterum POMPONII ψεῦδος eſt, quod ſcribit, leges, quas et ipſe Ro-

Romulus ac ſequentes Reges Curiatas ad populum tulerunt, omnes conſcriptas exſtare in *Libro Papirii*, cumque librum *jus civile Papirianum* appellatum. Quando ICtus leges *Curiatas* Romuli aliorumque Regum a Papirio collectas dicit, certiſſime leges intelligat *civiles* in Comitiis latas, non jus *ſacrum*, quod prius ab Numa conſtitutum, nullo in Comitiis accedente populi juſſu, deinceps Pontifici Max. collegioque Pontificali ſubjectum fuit, vid. LIVIVS *Lib. I. c.* 20. conf. quae mox de *Legislatoria* Pontificis Max. *poteſtate* monebimus. Haec autem obſervatio, unde colligas, Pomponianum Papirium *leges Curiatas* ſuo libro complexum, dum, DIONYSIO teſte, C. Papirius jus *ſacrum* propoſuit, maxime primo adſpectu adſtruere videtur celeberrimi CANNEGIETERI ſententiam, diſtinguentis duo Papirios, ac rati POMPONII Papirium omnium leges Regum in unum contuliſſe: verum tamen, dum nimis favent viri docti POMPONIO, inſigne ejus hoc loco παρόραμα non animadverterunt. Etenim quem tandem in finem, aut quo conſilio Papirium Regum omnium leges collegiſſe atque evulgaſſe, exiſtimabimus? non certe publica auctoritate uſus ſub Tarquinio Prisco, vel filio ejus aut nepote Superbo: cum dubitari nequeat, id temporis ante Tarquinium Superbum leges civiles, Tabulis inciſas querneis, loco Vrbis honeſtiſſimo et clariſſimo fuiſſe omnium conſpectui expoſitas: an vero conſilio privato? minime; nullius enim res futura fuiſſet utilitatis, leges, quae publice proſtarent, collectas in vulgus edere, niſi additus foret Papirii *Commentarius*, quo jura Regum exponerentur: id autem negat POMPONIVS, ſcribens nihil quidquam Papirium adjeciſſe: ſed in unum compoſuiſſe tantum Regum leges, *ſine ordine latas*, quo quid velit neſcio: crediderim fere, ſcripſiſſe *ſuo ordine*, id eſt Papirium eo ordine collegiſſe leges, quo fuerint a Regibus latae: ſic CORNELIVS NEPOS in *Attico c. XVIII.* de ATTICI quodam *volumine*, in quo Magiſtratus ordinaverit, *nulla*, inquit, *lex*, *neque pax*, *neque bellum*, *neque res illuſtris eſt populi Romani*, *quae* non *in eo* SVO TEMPORE *ſit notata:* memini, virum cl. aliquando monere me, legendum videri *in eo ſuo opere:* verum, ſi mecum exponas *in eo (volumine) ſuo tempore*, id eſt *anno*, quo lex lata, pax inita, bellum fuerit coeptum et res illuſtris acciderit, ſit notata, nulla indigebimus correctione. Sub Tarquinio autem Superbo, qui, dum tyrannidem affectaret, bene ac ſapienter ordinatam a Servio Tul-

Tullio imperii formam evertit omnino ac foro leges fummoveri juffit, haud credere par eft, Papirium, fivepublice, feu privatim, leges priorum Regum in unum compofuiffe, cum illud non inutile tantum, fed ne tolerari quidem potuiffe, videri debeat. An denique poft expulfos Reges Papirium dicemus leges collegiffe ? non quidem auctoritate publica atque in publicos fori ufus: fiquidem, ipfo tefte POMPONIO §. 3. exactis Regibus leges exoleverint, quamquam neque illud fenfu adeo generali de omnibus omnium Regum legibus accipiendum arbitror, multis initio libertatis priorum Regum, in primis Servii Tullii, inftitutis in ufum reductis. An vero tandem privato confilio inque fuos ufus cum cl. CANNEGIETERO credemus Papirium leges Regias collegiffe? non ipfe permittit POMPONIVS, librum Papirii *jus Papirianum* appellatum fcribens, quo nomine, non eft dubitandi locus, quin fignificetur jus, publicam in civitate Romana auctoritatem obtinens, uti mox ex fimili appellatione *juris Flaviani*, atque *Aeliani* nobis patebit: interim uno ictu, quae POMPONIVS eumque errantem temere fequuti VV. DD. fcribunt, Papirium *Curiatas*, id eft *civiles*, Regum leges collegiffe, concidunt, ubi obfervaveris, ex fragminibus, quae juris Papiriani fuperfunt hodie, certo conftare, non jus publicum privatumve, aft facrum potius et Pontificium a Papirio collectum compofitumque fuiffe; vid. MACROB. *Saturn. Lib. III. c.* 11. ubi, quae Auctor verba *juri Papiriano* abfcribit, rectius obfervante P. WESSELINGIO, viro fummo, *Obf. Lib. I. c.* 4. tribuenda funt *Commentario* GRANII FLACCI *ad jus Papirianum*; conf. PAVLLVS in *l.* 144. *D. de V.* 5. vid. et HEINECCIVS *Obf. Hift. de jure Papir.* §. 8. *pag.* 9. Manifeftum igitur eft ICti παρόραμα, cum Papirium publica auctoritate civiles in unum compofuiffe leges fcribit.

Tertio in verbis POMPONII fequentibus infignis notanda eft ἀναχρονισμός, dum Papirium floruiffe fcribit iisdem temporibus, quibus *Superbus, Damarati Corinthii filius:* tum, quod Papirium aetate Tarquinii Superbi fuiffe, notat, cum tamen ipfe *hoc eodem* §. fcripferit, Papirium collegiffe omnium Regum leges, adeoque et Superbi Tarquinii; adeo ut fi accurate aetatem Papirii notare voluiffet, non temporibus Tarquinii, fed initio libertatis, ex principalibus viris fuiffe eum, fcribere oportuiffet: tum, quod Superbum Tarquinium *Damarati Corinthii filium* nominat, qui certe nepos ejus fuit. Is error POMPONII, nullo fin-

cerae Criticae remedio tollendus, ut ſupra vidimus, conf. cl. BACHIVS in *Hiſt. Iurispr. Rom. Lib. I. c.* 1. *§. 6.* originem forte habuit, quod vel ipſe, vel alius, quem ſequitur, Tarquinii Superbi nomen, rectiſſime in vetuſtioribus *Faſtis*, ſive *Capitolinis* ſeu aliis, hoc modo exaratum

L. TARQVINIVS. L. F. DAMARATI. N. SVPERBVS

qualia nunc etiam in *Triumphalibus Faſtorum Tabulis* ſuperſunt veſtigia, inconſiderate inde fuerint excepta poſtrema illa SVPERBVS DAMARATI F. addito dein ex Annalibus *Corinthii* patriae Damarati nomine: cujusmodi in noſtro *ad Faſtos Cap. Commentario* ſuis locis plures notabimus errores, ex male inſpectis deſcriptisque minus accurate *Faſtorum Tabulis* natos.

Exploſis igitur atque rejectis, quae POMPONIVS in *Enchiridio* de *Papirio* ac *jure Papiriano* notavit, cum primis, quaſi in orbitam rediens ad DIONYSII locum, paucis docebo, quid veri aut ſimile vero in hac re ſtatuendum ſit. C. Papirius (de cujus praenomine minus dubitandum, quoniam more, in Graecis plerumque codicibus ac Monumentis vetuſtioribus uſitato, integre ΓΑΙΟΣ exaratum eſt) Pontifex Max poſt exactos Reges, id eſt, anno libertatis primo, publica auctoritate et jure Pontificatus ſummi, in uſum reduxit *Commentarios Numae de ſacris*, ubi, quae pars divini juris erant, *Faſti* et *legis Actiones* continebantur, idque jus Pontificium primum *Tabulis* inciſum et loco publico propoſitum ac poſtea inde exceptum in libroque deſcriptum, nomine *Iuris Papiriani* uſum publicum obtinuit. Μετὰ τὴν ἐκβολὴν βασιλέων *poſt ejectos Reges*, cum ſcribit DIONYSIVS, Papirium Pontificem Numae Commentarios rurſum propoſuiſſe, intelligit annum Conſularis imperii primum: licet enim ipſum annum non exprimat, plurimis tamen indiciis colligas facile, non ad remotiora tempora, verum ad libertatis primordia referendum eſſe; ſiquidem a primis Conſulibus haud pauca, quae ad ſtatum pertinebant Civilem et formam novi imperii Ariſtocratici ordinandum ex *Commentariis* Servii Tullii reſtituta ſunt ejusdemque Regis leges de contractibus renovatae, vid. DIONYSIVS *Lib. V. pag.* 278. cumque Romani ſummam in primis Deorum immortalium curam habuerint, non defuiſſe videri poteſt Pontifex Max. C. Papirius, quin

quin mox in nova re publica civitatem quasi de integro jure divino conderet, cerimonias et neglectos sub Tarquinio ritus sacros ex Numae *Commentariis* depromptos instaurando: conf. DIONYS. *l. c.* et *Lib. IV. p.* 274. testatur, Brutum, Tribunum Celerum ac dein Consulem cum collega sacrorum maxime curam habuisse et LIVIVS *Lib. II. c.* 2. ipso anno primo Consulatus, mox post constitutum rei publicae regimen, scribit, rerum quoque divinarum curam habitam.

Quod dixi, Papirium in revocandis legibus sacris publico consilio usum, nemo dubitabit, idque vel ex ipso nomine *juris Papiriani* apparet; ejus modi enim appellatione jus notatur, quod usum obtinet publicum, unde et *jus Flavianum* atque *Aelianum* dicimus, quod illa jura usu fori publica gauderent auctoritate: sensu parumper diverso *jus Pegasianum* a Iuris Consulto *Pegaso* appellatur, cujus exstat mentio in veteri Scholiasta IVVENALIS *ad Satyr. IV. vs.* 77. quem locum misere corruptum ingeniose atque eleganti conjectura restituit vir eximius H. CANNEGIETERVS *Lib. III. c.* 7. *Obs. Iur. Rom. pag.* 273. *sq.*

Ius vero illud *Papirianum*, ex *Commentariis* Numae in usus publicos reductum propositumque in *Tabulis* vel quo alio modo evulgatum, SERVIO *ad Virgilii Aeneid. Lib. XII. vs.* 836. vocatur *lex Papiria*, scribenti, Auctorem in verbis:

> —— —— *Moremque ritusque sacrorum*
> *Adjiciam*

ipso *titulo legis Papiriae* usum, quam sciret *de ritu sacrorum* publicatam. Locum SERVII, aliis, qui de *Papirii* et *jure Papiriano* ad POMPONII *locum* commentati sunt, praetermissum, primus opportune adduxit, modo laudatus CANNEGIETERVS *Obs. Iur. pag.* 101. existimans, nomine *legis Papiriae* intelligi *Tabulas* illas C. Papirii, τὰς περὶ τῶν ἱερῶν Συγγραφάς, simulque inde, tum ex DIONYSIO *Lib. II. pag.* 132. observat, Pontificem Max. apud Romanos legislatoria potestate gavisum fuisse, quod negaverat olim cl. HEINECCIVS in *Observ. Hist. de Iure Papir.* §. 7. neque adeo Papirium alio pacto in usum revocare quivisse leges, quam colligendo easque ab interitu vindicando: verum tamen in hac quaestione rite dijudicanda, omni-

no distinctione opus est: non enim collegio Pontificum aut Maximo Pontifici jus datum, leges ad populum in comitiis ferendi, eoque sensu recte vir cl. censuit, Pontificem Max. legislatoria potestate caruisse, sed quem ad modum Magistratus, ita Pontifices quoque vi ac potestate muneris sui ac Sacerdotii de rebus sacris edicta proponere potuisse, non est inficiandum; conf. HEINECCIVS *Hist. Iur. Rom. Lib. I. §. 61.* et quae *ibid.* notavit cl. RITTERVS: neque alia profecto tribuenda est Pontifici Max. potestas, quam per edicta jura condendi de rebus sacris, unde DIONYSIVS etiam *loc. cit.* non in genere quarumlibet legum constituendarum facultatem collegio Pontificum competiisse scribit, sed sacrorum tantum rituum, καὶ νομοθετοῦσιν, inquit, ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα (si quae nempe in *Commentariis* Numae perscripta nondum essent, id est, nova jura de ritibus sacris) καὶ ἀνέθιστα. Edicta autem illa Pontificia cum juris ac legis vim in civitate Romana obtinerent, quamvis in Comitiis populi non scita, *juris* tamen ac *legis* nomine recte appellantur, atque adeo, quod alii Auctores *jus* vulgo *Papirianum*, SERVIVS *legem* appellavit *Papiriam*, quae proprie fuit legum συναγωγὴ, αἱ περὶ τῶν ἱερῶν Συγγραφαί, uti et Praetorum non modo Edicta *leges* saepe dicuntur, sed Censorum quoque *leges Censoriae*, licet illi, amplissima praediti potestate Magistratus, leges tamen in Comitiis ferendi potestate non gauderent.

Commode hac occasione quaeri potest, an, quem ad modum *jus Papirianum* nomine *legis Papiriae* a SERVIO appellatur, sic pariter pro *jure Flaviano* et *Aeliano* recte dicamus *Legem Flaviam* et *Aeliam*? equidem vix crediderim; nempe Actiones, seu verborum formulae, quibus in judicio litigantes experirentur, a Flavio et dein ab Aelio Sexto vulgatae, cum in foro usum obtinerent publicum, *jus Flavianum* atque *Aelianum* recte appellantur; cum vero illi, ut alii Magistratus ac Sacerdotes vi muneris publici, vel civilis vel sacri, non videantur has Actiones per edicta proposuisse, *legis* nomen utrique huic juri non competiisse, arbitror, aut tributum: hinc corrigendus CICERONIS locus in *Topicis cap. 2. cum lex Aelia Sentia assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti: locuples enim assiduus, ut ait* AELIVS *appellatus.* Eminentiss. NORISIVS *Diss. III. ad Cenotaph. Pisan. pag. 423.* expuncta voce *Sentia*, quam a Librarii manu esse, putat, *legem Aeliam* interpretatur *jus Aelianum*, probante HEINECCIO *Hist. Iur.*

Iur. Rom. Lib. I. §. 49. *in adnot.* At vero huic obstat explicationi tum, quod jus illud *Aelianum* haud recte videatur posse appellari *Lex Aelia*, tum maxime adversatur, quod illa verba non ex *jure Aeliano*, sed ex ipsis XII *Tabularum legibus* sint depromta. Celeberr. CANNEGIETERVS *Lib. I. Observ. Iur. Rom. c.* 2. *pag.* 10. corrigit: *cum lex Aelio S. auctore assiduo vindicem etc.* vocabulo *Legis* κατ' ἐξοχὴν jus intelligens *Decemvirale*, quod Sex. Aelius interpretatus est, adeoque CICERONEM recte tradidisse, ratus, *auctore*, seu teste, *Aelio Sexto* in lege XII. *Tabb.* assiduo vindicem assiduum dandum. Magis tamen, ut verum fatear, arridet ANT. GOVEANI conjectura in *Commentar. ad Topica h. l. pag.* 460. *col.* 2. *editione Oper.* a nobis procurata, ubi verba *Aelia Sentia* inducenda esse existimat, auctoritate codicis AEMARI RANCONETI: quam ego correctionem, nullus dubito, verissimam pronunciare; quoniam, si cum viro cl. *Aelio S. auctore* legas, non nihil difficultatis verba habent: obstat enim, quod praenomen *Sextus* non simplici *S.* sed tribus literis *Sex* scribi soleat, hic autem integre *Aelio Sexto* scribendum erat; quoties enim praenomen nomini postponitur, non compendifacte, sed plene, exaratur: tum etiam vocabulum *auctore*, cujus nullum in scriptis editisque libris vestigium, est infarciendum; denique nihil opus erat CICERONI auctoritate AELII SEXTI, ut verba *legis* XII. *Tabb.* proferret, siquidem *Leges Decemvirales* tempore Ciceronis ex ipsis *Tabulis* satis erant cognitae. Errori et corrumpendo CICERONIS loco caussam, credo, dedit nomen *Aelii*, mox commate sequenti subjectum, unde sciolus quidam, cum simpliciter *lex* positum a CICERONE videret commate priore, ejus legis auctores ratus Aelium Sentiumque, adscripsit nomen *Aelia Sentia*, cujus nempe legis de *servorum Libertatibus* plurimam in jure Civili mentionem fieri noverat; conf. cl. ERNESTI in *Clav. Ciceron. Indic. Legg. h. v.*

Prius vero, quam C. Papirium missum faciam, unus de *gente Papiria* CICERONIS locus, in quo difficillimum constrinxisse nodum visus est VV. DD. restat nobis illustrandus: *Lib. IX. Epist.* 21. *ad Famil.* Papirios scribit, fuisse *Patricios minorum gentium*, quorum *princeps L. Papirius Mugillanus* fuerit, Censor cum L. Sempronio Atratino, cum antea Consul cum eodem fuisset, annis post R. C. CCCXII. In quibus verbis PERIZONIVS *A. H. pag.* 88. observat, fugisse aliquid

 ipsum

ipſum CICERONEM et cl. CANNEGIETERVS in ſaepius *cit. Obſ. Iur. pag.* 101. difficilem arbitratur nodum; multo enim antiquiores fuiſſe et honoratiſſimos gentis Papiriae viros, qui floruerint et ſub ipſis Regibus et libertatis initio, ut nihil poſſe reſponderi videatur, niſi, non ſubiiſſe CICERONI, quando haec ſcriberet, C. atque M'. Papiriorum nomen et honores, neque id mirum, cum eadem Paetum quoque fugerint, ex Papiriis ortum. Videor tamen mihi non unam aut ſimplicem hujus nodi, ſine ulla ſectione ſolvendi, reperiſſe rationem, ſatis, ni fallor, probabilem: fateor, difficillimum fuit, familiarum origines ſubtexere, at CICERONI non ſubiiſſe, aut ignoratos fuiſſe vetuſtiores illos Papirios, vix credere par eſt, cum Cajus Pontifex Max. de jure ſacro optime, ſi quisquam alius, meritus nomen poſteritati transmiſerit immortale, Manius autem, primus Rex Sacrificulus in obſcuro etiam latere haud potuerit. Primo obſervandum eſt, nondum certo liquere, C. Papirium, Pontificem Max. Patriciae Papiriorum fuiſſe gentis; cumque Papirii alii fuerint Patricii minorum gentium, alii vero plebeji, nihil video, quid obſtet, quare Cajum Pontificem non potius plebejum credamus ac propterea CICERONI in ſtemmate Papiriorum Patriciorum ſubtexendo non memoratum: neque enim, quod Pontifex fuerit Maximus, inde ſequitur mox, Patricium quoque fuiſſe: quamquam vero, ut *ſupra* vidimus, Numa Pontificem Max. ex Patribus legit Marcium, non video, cur fieri poſtea non potuerit, vel ſub populari imperio Servii Tullii, vel ſub Tarquinio praeſertim Superbo, qui, ut tyrannidem invaderet ſibique firmaret, Senatorum praecipue imminuit numerum nullosque in Senatum legere ſtatuit, quo contemtior is ordo eſſet, vid. LIVIVS *Lib. I. c.* 49. §. 6. ſub ejus modi, dico, regiminis forma, haud video, cur fieri non potuerit, uti ex ordine plebejo Pontifex Max. crearetur, in primis cum illud vero fiat ſimile magis inde, quod in collegio Pontificum, ex quo Maximum Pontificem creari moris erat, promiſcue tam plebeji, quam Patricii fuerint. Aſt nolo hanc conjecturam adeo urgere, quoniam vel ita defendi ſatis CICERO non poteſt, cum M'. Papirius, primus Rex ſacrorum, Patricius certe fuerit, ſi DIONYSIO *Lib. V. pag.* 278. fides, ἐκ Πατρικίων ἀνὴρ, isque ſexaginta prope annis Papirium praeceſſerit Mugillanum, Principem Patriciae gentis Papiriorum CICERONI appellatum. Quare commodiore uſus ſolvendi nodi ratione,

ob-

obſervari velim, ideo gentis Papiriae Principem videri appellatum Mugillanum Papirium, non quod primus fuerit, nam proprie qui ſub Tarquinio Priſco in Senatum primus allectus eſt Papirius, is primus et princeps Patriciae gentis Papiriorum dicendus foret, ſed quod primus poſt exactos Reges Mugillanus ſummis perfunctus Magiſtratibus Curulibus gentem Papiriam Patriciam maxime illuſtraverit, non enim Conſul tantum et Cenſor, ut CICERO notat, ſed et iterum Conſul fuit creatus, tum etiam Tribunus Mil. Conſ. poteſt. atque Interrex. Curulium autem Magiſtratuum reſpectu Mugillanum gentis ſuae *principem* a Tullio appellari, inde quoque colligas, quod poſt hunc tredecim fuiſſe memoret Papirios, ſella Curuli ante L. Papirium Craſſum inſignes. Tandem poſtremo, ut noſtram explicationem exemplo probemus, quem ad modum a CICERONE Papirium Mugillanum *gentis principem* nominatum dixi, quod primus gentem, Sellae Curulis honoribus geſtis, illuſtraverit, ſic pariter Atta (vel *Actius*, poſtea *Appius*) Claudius, qui gentis Claudiae *princeps* dicitur SVETONIO in *Tiber. c.* I. Conſul fuit anno V. C. CCLVIII. P. Valerius Poplicola LIVIO *Lib. III. c.* 17. §. 8. familiae ſuae *princeps* nominatur, Conſul nempe fuerat anno libertatis primo: fuerunt tamen hoc Valerio multo vetuſtiores; Voleſus Valerius, dubium non eſt, quin inter Patricios et principales Vrbis viros tempore Romuli jam fuerit, quippe cujus potiſſimum opera pax Romanos inter ac Sabinos inita et foedus percuſſum eſt, vid. PLVTARCH. in *Poplicola Tom. I. pag.* 213. eundemque DIONYSIVS *Lib. II. pag.* III. ἄνδρα διαφανέστατον vocat, ſcribens, eum honores, quos Romae acceperit, poſteris ſuis fruendos reliquiſſe, conf. idem *Lib. IV. pag.* 264. ubi Valerium Poplicolam Conſulem, ejus Valerii, qui cum Tatio Romam venerit, ἀπόγονον dicit, qua voce illic, ut ſaepius apud Hiſtoricos, non ſtricto ſenſu *pronepos* ſignificatur, quo modo accepit PANVINIVS in *Comm. ad Faſt.* ſed aliquis ex poſteris; unde recte PLVTARCHVS *loc. cit.* ſcribit τούτῳ (Voleſo Valerio) κατὰ γένος προσήκων Οὐαλέριος (Poplicola). Et LIVIVS *Lib. I. cap.* 24. M. Valerium ſub Tullo Hoſtilio memorat *Fetialem*, qui ratione temporis habita, Voleſi videtur fuiſſe nepos.

§. 4.

§. 4.

Superiore Paragrapho *pag.* 61. de cognomine Tarquinii regis *Superbo*, quod illi, in exsilium ejecto, datum est agens contendensque, duo Tarquinios variato cognomine, ut quidam arbitrati sunt, nunquam inter se confundi, obiter feci mentionem *loci cujusdam Horatiani* eumque pollicitus sum pro *Coronide Capitis* accuratius a nobis explicatum iri: fidem illic datam nunc liberare juvat. Is locus HORATII habetur *Lib. I. Ode* XII. *vs.* 33. *sqq.*

> *Romulum post hos prius, an quietum*
> *Pompili regnum memorem, an superbos*
> *Tarquini fasces, dubito, an Catonis*
> *Nobile letum?*
> *Regulum et Scauros animaeque magnae*
> *Prodigum Paullum, superante Poeno,*
> *Gratus insigni referam Camena*
> *Fabriciumque:*
> *Hunc et incomtis Curium capillis*
> *Vtilem bello tulit et Camillum*
> *Saeva paupertas et avitus apto*
> *Cum lare fundus.*

Quae elegantissimi Poëtae verba sensum nobis effundere videntur minime dubium aut obscurum: cum tamen ad Interpretes accesseris majorum minorumque gentium et medioximos, non dubito, quin, ut mihi evenit, incertior multo discedas, quam dudum. Veteres Scholiastae, *superbos Tarquini fasces* exponunt, *nobiles*, *magnificos* et ad Tarquinium referunt *Priscum*, quippe rati, Superbum regem indignum prorsus, cujus inter Deos Heroasque et Principes Romanorum viros memoria celebraretur. Horum auctoritatem Scholiastarum sequuti TORRENTIVS, BENTLEIVS, aliique magni nominis Interpretes aptissime existimant, Poëtam fasces Tarquinii Prisci *superbos* dixisse, siquidem ille Tarquinius inter Romani conditores imperii celebrandus quoque veniat, eo nomine, quod Tuscis subactis, fasces aliaque regni decora et insignia inde Romam primus transtulerit. MATT. vero BONFINIS fasces

ces *fuperbos* Tarquinii explicat de *Confulatu Iunii Bruti*, quod is Tarquinio fasces ademerit: hujus rurfum, ut videtur, impulfus rationibus ALEX. CVNINGAMVS in *Animadverf. ad Horat edit. Bentlej. pag.* 126. loco *Tarquini* corrigit *Iunii fasces.* Quae fi varia Criticorum commenta legeris et emendandi rationem, non miraberis GLAREANVM *fasces Tarquini fuperbos* explicantem de *imperio Tarquinii Collatini*, Bruti Iunii in Confulatu collegae, at fimul ridebis mecum, fat fcio, animum inducere illum potuiffe, ut credat ferio, HORATIVM, quafi de induftria ac confulto, amare talia quaedam ponere, ubi aut rixentur Grammatici, aut ingenia ftudioforum exerceantur. Equidem vero, licet probe fciam, Venufinum, tefte QVINCTILIANO *Inft. Orat. Lib. X. c.* 1. *pag. edit. Burm.* 911. variis verbis ac figuris feliciffime audacem effe, praefertim in *Lyricis* fuis, contra tamen exiftimo, nusquam captaffe eum aut obfcuritatem aut verborum perplexitatem, cujus rei animadverfionem hic loci, fi *fuperbos* fasces ad Tarquinium *Prifcum* aut alio referas cum VV. DD., effugere non poteft; fed, dum locum, faniffimum et perfpicuum fatis, emendationibus vel longe nimis quaefitis explicationibus tentant vexantque Interpretes, videntur mihi nodum in fcirpo quaefiviffe. Nihil enim video cauffae, cur *hoc loco* apte fatis mentio fieri non potuerit *Tarquinii Superbi*, aut cur *Superbos Tarquini fafces*, ufitata Poëtis loquendi formula, minus recte accipiamus pro *fascibus* atque imperio *Tarquinii Superbi?* ita namque pulcre HORATIVS placido et *quieto Pompili regno* opponit crudele Tarquini imperium, tum etiam fignificat, fe fimul ea *Carminis* feu *Hymni* parte, occafione fumta ex Tarquinii tyrannide, fummis ornaturum laudibus Iunium Brutum, cujus ope auxilioque Regibus civitate pulfis, Romani libertate potiti effent. Illud etiam quaero, ecquid tandem meruerit Prifcus Tarquinius, quo prae aliis Regibus Romae, Tullo Hoftilio, Anco Marcio ac Servio in primis Tullio, inter Romani conditores imperii celebraretur? an quod fasces invenerit, ut volunt VV. DD.? verum neque illud adeo magnum aut laudabile, neque certum adeo; funt enim, qui Tullo Hoftilio id tribuant, inter alios etiam MACROBIVS *Saturn. Lib. I. cap.* 6. et EVSEBIVS MCCCXLV. fed quorum loca nunc examinanda mihi non fumo.

Alia funt plura in eadem hac *Ode Horatiana* quae doctorum ingenia exercuerunt, quaeque nondum fatis illuftrata aut intellecta Lectoribus crucem figunt. Putant Interpretes, non minimis difficultatibus preffum

fum

ſum laborare etiam HORATIVM *vs.* 35. *ſq.* ob mentionem *Catonis Vticenſis* ejusque *nobilis leti.* Acutiſſimus Criticus, ſed nimis atque infeliciter ſaepe audax RICH. BENTLEIVS miratur, Poëtam, poſt, Remulum, Numam et Tarquinium Priſcum (imo *Superbum*) continuo ingerere Catonem multis demum poſt illos ſaeculis natum, ac deinde rurſum ad vetuſtiores reverti Regulum, Scauros, Paullum caeterosque: tum prudentiam quoque HORATII ait, ſe deſiderare, quod in *Carmine*, honori domus Auguſtae conſecrato, honorificam adeo ac glorioſam atrociſſimi Caeſarianorum hoſtis mentionem faciat, ſimulque in eodem *Carmine* et Iulium Caeſarem ad coelum tollere, et letum Catonis nobilitare voluerit: quod cum vero ſimile non fiat, utramque hanc ob cauſſam, ratus, FLACCVM neque temporis neglexiſſe rationem, neque Auguſtum Imperatorem, decantando Catonis laudes, inprudenter laedere voluiſſe, non ab HORATIO illud facinus profectum, ſed Librariorum imputandum culpae arbitratur, qui Catonis mortem, declamationibus adeo decantatam, vel obtorto huc collo traxerint, vero nomine ejecto: mox autem inveſtigatum illud pro *an Catonis* corrigendum pronunciat *anne Curti:* qui *M. Curtius* re vera nobiliſſimum ſibi letum pro patria conſciverit. His iisdem fere rationibus adductus cl. WITHOFIVS (qui ſaepius BENTLEII emendandi rationes arripiens ipſo audaciores conjecturas proponit) in *Diſſertat. de vero Dionyſii Catonis Diſtichor. Auctore*, inſerta *editioni Catonis* a doctiſſimo OTT. ARNTZENIO procuratae, *pag.* 516. loco *an Catonis* vel *anne Curti*, legendum praecipit *anne cantans*, idque cum ſequentibus verbis *Regulum* etc. connectendum ratus, exponit: *an* vero *referam* Attilium *Regulum*, ejus *nobile letum* videlicet *cantans.*

Vtraque, ut verum fatear, conjectura mihi diſplicuit nec quidquam habere viſa eſt, quo ſe poſſit commendare: BENTLEII, quod nimium recedat a vulgata lectione, tribus etiam Scholiaſtis probata, tum propterea, ut recte WITHOFIVS obſervat, admittenda non eſt, quod mors adoleſcentis Curtii, ab LIVIO etiam in dubium revocata, non talis fuerit, ut hoc merito inter ſumma rei publicae decora videatur ab HORATIO celebrari meruiſſe. In WITHOFII autem emendatione, praeterquam quod et ipſa a literis receptae lectionis abit nimium, nihil ſani prorſus video, nihil quod Venuſinum deceat alitem.

Difficultatibus, quas VV. DD. obmoverunt, facile reſpondebitur: argumentum prius, ex pugnanti temporum ratione depromptum, quod Ca-

Catonis fiat mentio ante Regulum, Scauros aliosque, aetate priores, neminem ſpero anxium adeo habebit: ecquis enim in Poëta accuratam exegerit Chronologiam? quin et ſuae HORATIO conſtare potuerunt rationes, quare *hoc loco* Catonem aliis praemiſerit, ipſo licet antiquioribus. Alterum vero argumentum, quod Criticis longe viſum fuit palmarium, ampliorem aliquanto reſponſionem poſtulat: cum tamen illud ex intellectu totius Odes, ubi plurima adhuc diſputanda ſuperſunt, dependeat, cum maxime anguſtiori temporis ſpatio intercluſus, paucula breviter tantum modo animadvertam: prudentiam Poëtae in eo maxime deſiderant, quod in hoc *Carmine* domui Auguſtae ſacro, tam intempeſtivam Catonis, cujus vel nomen Auguſti aures offendere debuerit, mentionem faciat honorificam ejusque letum velut nobile et glorioſum auſus ſit concelebrare. Verum tamen, cum FLACCVS *nobile Catonis letum* dicit, ſe *Carmine* ſuo memoraturum, non inde continuo colligere eſt cum VV. DD. ut glorioſam, ut laude dignam Catonis mortem ab HORATIO deſcriptum iri; cum et *nobile letum*, uſu vocis mediae ſignificationis, ut loquuntur Grammatici, in malam accipere partem potuerit et interpretari mortem Catonis *famoſam*, ut *nobile facinus*, *nobile ſcortum* atque id generis alia dicuntur, vel Lexicographis notiſſima: ſed nihil in cauſſa aequiſſima concedendum puto adverſariis atque adeo in meliorem partem dixiſſe, arbitror, Poëtam *nobile letum* de morte Catonis *laudabili*, quam, ut fortunae victor, voluntariam pro libertate deperdita, ſibi intulerit, odio Caeſaris Tyranni et amore patriae properatam; quem ad modum et CICERO et alii de Catonis interitu bene ſemper ſenſerunt, caeteros rati, Pompejum, Lentulum, Scipionem, Afranium *foede*, at Catonem *praeclare* periiſſe. Alibi quoque idem HORATIVS Catonem Vticenſem impenſe laudat, nihil Auguſti offenſionem veritus, dum cuncta terrarum prius ſubacta ſcribit, quam atrocem animum Catonis *Lib. II. Od.* I. *vs.* 23. *ſq.* imo, ut intelligas plane, nullo modo Catonis laude vel memoria Auguſtum laedi potuiſſe, facit, quod ipſe Imperator egregius fuit Catonis laudator: veniſſe aliquando eum, memorat MACROBIVS *Lib. II. Saturn. c.* 4. in domum Strabonis, olim a Catone inhabitatam, ibique Straboni, ut Imperatori os oblineret, de Catonis pervicacia male exiſtimanti, reſpondiſſe vultu ad ſeveritatem compoſito: quisquis praeſentem civitatis ſtatum immutari noluerit, *et civem et virum bonum eſſe.* Quem igitur ipſe Auguſtus laudavit, quid gravaretur HORATIVS, Bruti Pompejanisque partibus ad-

addictus et Iulii Caesaris adversarius, *Carmine* celebrare, in primis cum haec *Ode* scripta sit illo tempore, quo, satis jam confirmato in uno Principe imperio, graves inimicitiae et partium studia animis cessissent, omnesque, si unum Labeonem insanum excipias, cives et viri boni,

Expectorantes pristinas injurias,

Augusti imperio et principatui faverent.

Restat, uti ex hac *Ode Horatiana* MANILIO contra BENTLEIVM suppetias feram: *Astronom. Lib. I. vs.* 775. et *sqq.* ubi plura alia deprehendo, in quibus videtur ille hanc HORATII *Oden* ob oculos habuisse, ut alibi ostendam, *vs.* 785. *Fabricium* et *Curium* ut pares conjungit:

Fabricius CVRIVSQVE *pares*.

Quae consensu codicum omnium, nisi quod alii *parens* habeant, hactenus servata lectio, genuina, ut, puto, et sincera, a BENTLEIO mutatur, dum reponit *Fabricius* CVRIIQVE *pares* et par fratrum Curiorum vult intelligi: ast vereor sane, ut vir cl. probare unquam possit, dixisse veteres *pares* plurali numero pro *fratrum pari*, aut plures uno Curios fuisse Dentatos, ejusdem participis laudis abstinentiae et frugalitatis. Plura sunt veterum Scriptorum loca, quae sinceram in MANILIO lectionem contra BENTLEII crisin egregie vindicant et tuentur, M'. enim *Curius Dentatus* et *C. Fabricius Luscinus* ubique, ut pares celebrantur in *Annalibus*, non tantum aetate et quod triplici Consulatu ac triumphi honore uterque fuit insignis, sed censu quoque et ingenii praesertim habitu: ob frugalitatem maxime laudantur et abstinentiam: unde, quem ad modum MANILIVS, Curium Fabriciumque alii etiam Scriptores junctim celebrant, vid. IVVENALIS *Satyr. II. vs.* 153, CICERO *pro Sext. c.* 68. alii. Ex qua ingeniorum parilitate factum quoque arbitror, ut quae de Curii coena ad forum rapisque IVVENALIS *Satyr. IX. vs.* 78. CICERO *in Catone cap.* 16. aliique plures retulerunt, eadem SENECA in *Libr. de Provident. cap.* 3. Fabricio tribuat.

MO-

MONITVM LECTORI.

Prius quam ad novum adgressi caput Historiam Fastorum persequamur, postularet hic locus, ut de usu *Notarum* et *Siglarum* veterum, tum etiam de *Arcano* **Ἀναδιπλώσεως** seu *Geminationis* in Arte Critica, cujus utriusque rei superiore *Capite* §. 3. *pag.* 56. et 62. mentionem obiter feci, accuratius paullo pertractarem caussasque exponerem, cur a plerorumque doctorum hominum sententiis diversus hac parte et in alia longe abeam: dum vero, ut illud agerem, attentius, quae veteres quaeque recentioris aevi Interpretes ea de re scripserunt, evolvo atque sub examen revoco, tanta mox enata nobis est in campo minime sterili Observationum seges, ut haud apte satis hoc loco, ubi *Fastorum Historiam* ordine temporum observato enarrandam nobis sumsimus, brevi *Additamento* vel Capite intercalari, ut ita dicam, absolvi possit Tractatio, sed materies vel justae Disquisitioni sufficiat, consilium mutavi; neque fidem tamen, quam supra dedi, omnino fallam, infra *Capite*, huic rei peculiariter destinato, singula pertractaturus copiosius, quo Benevolum Lectorem ablegamus.

CAPVT TERTIVM.

FASTORVM SACRORVM HISTORIAM EXPONENS INDE A DECEMVIRORVM TEMPORIBVS AD AN. V. C. CDXLIX. QVO FASTI ET ACTIONES A CN. FLAVIO VVLGATI.

§. I. *Quamdiu Fasti manserint in aperto? An Fasti etiam* XII. *Tabb. Legg. inclusi?* CICERONIS *ea de re locus examinatus et tentatus. Tabula Fastorum non fuit comprehensa* XII. *Tabulis legum Decemviralium.* CICERONIS *locus quo modo explicandus?* §. 2. *Fastorum Tabula quo anno* V. C. *occultata et qua occasione?* LIVIUS *exponitur. Fasti, illic memorati, intelligendi sunt* sacri *dierum: refutantur* Panvinius, Augustinus, *et* Siccama. *Commentarii Pontificum non sunt* Annales, *sed formulas Actionum complectebantur.* Gutherius *notatur. Auctor de O. G. R. et* LIVIUS *explicantur.* Dodwellus *notatus.* Fastos *et* Commentarios *jungit* LIVIUS, *ut alii* Fastos *et* Actiones: CICERO *Pontificum* libros *appellat. Idem* LIVII *locus corrigitur. Alter ejusdem locus exponitur.* §. 3. *Quamdiu Fasti et Actiones occultati?* POMPONIUS *ICtus explicatur.* Privatis praeesse *et* diebus *aut* Fastis praeesse. Privati, *homines de plebe. Etymon vocis* privatus. *Non opponitur semper Magistratui* privatus *et ei, qui cum imperio est. Pontifex Max. an* privatus *dici possit.* CICERO *explicatus.* ICti POMPONII *locus examinatus emendatur. Particula* fere *aut* circiter *numero annorum addita, paullo plures vel pauciores indicat, ultra numerum decennarium non extenditur.* Prope *paullo minus notat, quam numero exprimitur.* CICERO, LIVIUS *expositi.* POMPONII *ἀναχρονισμός.*

§. I.

Superiore *Capite* Fastorum Historiam perduximus ad prima liberae rei publicae tempora, quando ex Numae Commentariis rursum descripti digestique a C. Papirio, Pontifice Maximo, publice propositi sunt ibique per sexaginta circiter annos

nos conſpicuo Vrbis loco ſalvi manſerunt, donec tandem a Patriciis occultati ſunt; quos annis fere centum et quinquaginta poſt, Cn. Flavius, Scriba, de poſſeſſione ſua deturbavit, Faſtos rurſum et Actiones producens in publicum.

Prius vero, quam de anno et cauſſa occultandorum Faſtorum dicam, inquirendum hic loci eſt, an et Legum Decemviralium Tabulis ſacrorum jura faſtorumque ac nefaſtorum dierum diſcrimina ſimul fuerint comprehenſa quoque ac propoſita. ONVPHRIVS PANVINIVS *Lib. I. Commentar. in Faſtos pag.* 4. exiſtimat, in altera duarum Tabularum, quas ut totum juris Romani corpus abſolveretur, Ap. Claudius Decemvir ex Senatus Conſulto caeteris adjeciſſe memoratur, faſtos et nefaſtos dies incluſos fuiſſe: eandem fovet ſententiam ANT. AVGVSTINVS in *Lib. de Legg. Tom. II. Theſ. Antiq. Rom. pag.* 1308. *ſq.* et FRANC. FERN. *de* CORDOVA in *Didaſcalia Multipl. cap.* 35. *pag.* 299. ex Faſtorum nempe Tabula deſumtum arbitrantur viri docti, quod MACROBIVS *Saturn. Lib. I. c.* 3. in XII. Tabulis fuiſſe refert: SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Ac ſane cum jus Decemvirale trifariam fuerit diſtributum, in *ſacrum*, *publicum* et *privatum* ſecundum illud AVSONII *Eidyll.* XI.

> *Ius triplex, Tabulae quod ter ſanxere quaternae,*
> *Sacrum, privatum, populi commune quod usquam eſt.*

cumque ſacri procul dubio juris partem conſtituerint intercalandi ſcientia et feſtorum profeſtorumque dierum cognitio, non poterit non admodum fieri vero ſimile, in univerſi juris Romani Quiritium Corpore iſto, unam quoque relatam fuiſſe Tabulam, quae faſtos ac feriarum dies doceret, tum etiam, ut ex iisdem Tabulis, unde jura cognoſcerentur, ſimul peterent dies, vel cum populo agendi in Comitiis, aut judicio experiundi apud Praetorem. Quo vero magis iſta opinio adſtruatur, provocant auctoritatem CICERONIS, cujus exſtat locus *Lib. VI. Epiſt. I. ad Attic. pag. edit. Graev.* 575. *unum*, ſcribit ille, ἱστορικὸν *requiris de Cn. Flavio, M. F. ille vero ante Decemviros non fuit, quippe qui Aedilis Curulis fuerit, qui Magiſtratus multis annis poſt Decemviros inſtitutus eſt: quid ergo profecit, quod protulit Faſtos? occultatam putant quodam tempore iſtam Tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci ſunt Auctores, Cn. Flavium, Scri-*

bam,

bam, Fastos protulisse Actionesque composuisse: ne me hoc, vel potius Africanum (is enim loquitur) commentum putes. Ac deinde aliis multis interpositis in *ead. Epist. pag.* 588. hoc addit: *illud de Flavio et Fastis si secus est, commune erratum est, et tu belle ἠπόρησας, et nos publicam prope opinionem sequuti sumus, ut multa apud Graecos.* Difficiliora paullo sunt haec CICERONIS verba, tum quod libris ejus de *Re publica*, ubi suam de *Flavio* ac *Fastis* protulerat TVLLIVS opinionem, caremus, tum etiam, quod ATTICI *epistola*, ad quam hic respondetur, non exstat amplius. Nemo tamen, quod scio, Interpretum explicavit aut conjectura adsequutus videtur, qua tandem de re et cur Atticus dubitaverit? Verba ipsa satis videntur sana, ut de lectione suspicio nulla sit; loco *quodam tempore* GROTIVS *de vitis ICtor. pag.* 9. citat *quondam tempore*, nescio, utrum ex emendatione, an vero Typographi vitio: sed vulgata lectio proba est: quas autem Flavium dicit CICERO, *composuisse* Actiones, cum produxerit potius atque evulgaverit, a Pontificibus ante compositas, de eo *infra* dicam, ubi de *Flavio* agemus: sub finem vero loco τοῦ *prope*, legendum forte rectius *probe*; quod ad Flavium, inquit, et Fastos, tu quidem *belle* ἠπόρησας, id est recte eam rem in dubium revocasti, nos autem *probe*, id est non minus recte opinionem, publica firmatam Annalium auctoritate, amplexi sumus. An vero ex hoc loco rite cum VV. DD. colligere sit, Fastorum Tabulam, CICERONI memoratam, earum alteram fuisse, quas Ap. Claudium, Decemvirum, prioribus decem adjecisse, novimus, et Fragmentum illud de *sole occaso*, quod MACROBIVS atque alii etiam multi citant, inde desumtum videatur, equidem vehementer dubito: imo contra inducor maxime, ut credam, Fastos Decemvirorum legibus inclusos nunquam fuisse: etenim vero simile admodum est, nihil de intercalatione aut dierum juribus curasse Decemviros, sed eorum jus penes Pontifices ex Numae constitutione semper permansisse: quod enim OVIDIVS *Lib. II. Fastor. vs.* 53. *sq.* scribit, unus hujus rei testis, Decemviros anni ordinem mutavisse, id rectius Pontificum collegio mecum facile tribues, cum Poëta Decemviros nominet tantum, ut, quo factum illud sit tempore, significet, aut quod ex auctoritate collegii et in consilium prius adhibitis Pontificibus ita Decemviri constituerint: quo modo etiam explicandus MACROBIVS *Saturn. Lib. I. cap.* 13. ubi ex TVDITANO et CASSIO HEMINA scribit, Decemviros de *intercalando* populum rogasse,

se, factum id esse auctoritate collegii Pontificalis: nihil enim, nisi consultis prius Pontificibus, a Senatu vel Magistratu circa haec sacra constitui poterat, quem ad modum infra, ubi de atrorum seu religiosorum dierum institutione dicemus, patebit: tum deinde vix credi potest, si Fasti & Actiones, partem juris sacri constituentes, initio fuissent in Tabulis Decemviralibus propositae, potuisse facile a Pontificibus obscurari aut unam ex Tabulis duodecim tolli, sine summa plebis ac totius populi offensa; certe fieri illud non potuisse, tribus vel quatuor annis post leges illas perlatas, tum enim Fastorum Tabulam occultatam jam fuisse, mox videbimus §. *sq.* Quare, cum ipso non tantum Ciceronis tempore, sed diu etiam post, Cypriani aetate, qui saeculo post C. N. vixit tertio, Tabulae Decemvirales, numero duodecim fuerint adhuc in aere superstites, veritati magis consentaneum mihi videtur, ad tempora usque Decemvirorum, peculiarem et a reliquis XII. legum Tabulis separatam exstitisse Tabulam, sacros dierum ritus, Fastos et Actionum formulas complexam, eandem forte, quam, expulsis Vrbe Regibus, proposuisse supra diximus C. Papirium. Verus, si quid video, loci Ciceroniani sensus hic est: in *Libris de Re publica*, communem sequutus opinionem, scripserat, Cn. Flavium Fastos primum protulisse in lucem et Actiones; qua de re dubium illi movens ATTICVS per epistolam quaesiverat, qui tandem fieri potuerit, ut Flavius dicatur primum evulgasse Fastos et Actiones, cum tempore jam Decemvirorum et antea dies et formulae agendi publice fuerint propositae ac vulgo cognitae, et tamen Flavius ille ante Decemviros certe non vixerit, quippe Aedilis Curulis, qui Magistratus multis demum post annis institutus? quare, si jam temporibus Decemvirorum cognitae fuerint Actiones, si Fasti quoque tum editi et palam propositi, unum illud ἱστορικὸν problema requisiverat ATTICVS, quid tandem ille Flavius profecerit, quod Fastos et Actiones, quae neminem latere possent, protulerit in lucem? ad ea respondet TVLLIVS: illam Fastorum Tabulam ante Decemviros exstitisse quidem, sed a Pontificibus quodam tempore occultatam, ut dies agendi necesse esset ab iis petere; conf. *Orat. pro Muraena cap.* II. atque adeo, pergit, non paucos Auctores, quos et ipse sequutus sit, affirmare, Cn. Flavium primum Fastos proposuisse in publicum; ut si erratum illud sit, quod minime tamen vi victus argumentorum videtur concessisse, commune multorum sit erratum; ac propterea, quod belle et non sine ve-

ri specie Atticus in dubium revocaverit, se probe, publicam opinionem amplexum, defendisse videri.

§. 2.

Quod modo dixi, Fastorum Tabulam, cujus meminit CICERO, inde a tertio quartove, post perlatas a Decemviris leges, anno absconditam esse, nunc, ut verbis sit fides, conjectura, ni fallor, in re, multa Antiquitatis caligine involuta, admodum probabili, monstratum ibo. Primum omnium satis constat, cum inde ab initio libertatis Patricii Pontificesque in regimine Aristocratico plurimum valerent, quo magis suam Nobiliumque potentiam firmarent in re publica, id operam in primis dedisse, ut omnis legum interpretatio penes se esset; praesertim vero post publicatas XII. Tabularum leges, cum haud aequo animo ferre possent, jura summis infimisque in civitate exaequata, uti amissam Iurisprudentiae possessionem quodam recuperarent modo, novas Actiones legis, seu formulas verborum solemnes, quibus inter se homines in jure disceptarent, juri Decemvirali, tum nuper proposito, accommodatas, composuerunt: etenim ante Decemvirorum tempora, sub ipsis Regibus ac deinceps, nata primum Libertate, Romanos ejus modi quoque usos verborum formulis, vix est, quod dubitemus; sed tum temporis Actiones nondum adeo multas numero et vulgo cognitas fuisse, crediderim, cum Fastis, ut vero simile est, una propositas: cum vero jus novum a Decemviris perlatum esset, novaque appareret Iurisprudentiae Romanae facies, ea usi occasione Patricii, antiquatis vetustiorum legum Actionibus, eo praetextu, ut novas agendi formulas concinnarent, Fastorum veterumque formularum Tabulam, loco publico amotam, suis occultavisse videntur penetralibus.

Ad tempus vero illud ipsumque annum ejus rei accuratius definiendum, insignis, sed difficilis juxta explicatu, spectat LIVII locus ex *Lib. IV. cap.* 3. ubi C. Canulejus, Tribunus plebis, anno, post abrogatum Decemviris imperium, quarto alia multa adversus Consules Patriciosque in Senatu questus, §. 9. haec etiam addit: *obsecro vos, si non ad Fastos, non ad Commentarios Pontificum admittimur, ne ea quidem scimus, quae omnes peregrini etiam sciunt.* Quibus nempe verbis

bis dolet Tribunus atque exagitat Patricios, quod Fastorum Tabulae et Pontificum Commentarii tum recens plebi essent erepti Pontificumque penetralibus occultati: *si non admittimur ad Fastos*, inquit, id est, si non, ut ante hac, inspiciendorum Fastorum nobis datur copia, ut intelligamus, quibus diebus lege possit agi, quibus autem contra vetitum sit ob sacra solemnia aliisve de caussis judicio experiri: *si* quoque *non ad Commentarios Pontificum admittimur*; si nobis non licet amplius ex Pontificum Commentariis, qui, ut ante, loco publico nunc etiam proponi rursum debuerant, conceptas nuper a Pontificibus novas Actionum formulas, juri Decemvirali accommodatas, legere atque excipere, sed utraque illa a Pontificibus, ea occultantibus, in posterum nobis necesse est petere, *ne ea quidem scimus*, *quae omnes peregrini etiam sciunt*. Difficilior profecto est hic locus, quam qui silentio ab doctis Interpretibus, quos Patavinus Scriptor et plures et praeclaros nactus est, fuerat praetereundus, nisi forte, quae sibi satis intelligere videbantur viri docti, continuo Lectoribus etiam satis plana et perspecta crediderint. Singula juvat paullo accuratius examinare. *Fastos*, hic loci memoratos, intelligunt PANVINIVS *in Commentar. Fastor. Lib. I. pag.* 5. et SIGCAMA in *Commentar. ad Fast. Kalendar. Rom. cap.* I. *in Thesaur. Antiq. Rom. Graev. Tom. VIII. col.* 37. *Civiles Magistratuum* seu *Consulares* et *Triumphales*: mihi autem contra videtur LIVIVS hoc loco, nisi de *sacris festorum profestorumque dierum Fastis* intelligi non posse: neque enim id petit Canulejus sibi plebejisque concedi, uti ad *Fastos admittantur Consulares*, id est, sua etiam plebejorumque Magistratuum nomina in iis rite perscribi: huic enim sensui nihil prorsus responderent ultima illa, *ne ea quidem scimus etc.* neque excogitari quoque poterit caussa, quare, si ita accipias, dictionem *ad Fastos admitti*, tanto opere doleat Tribunus, plebi non licere ad Fastos Magistratuum legendos accedere, cum nihil in iis Politices arcani, quod adeo absconditum cuperent Pontifices Patricii, contineretur cumque illi Fasti ex quo tempore digeri coepti sunt, nunquam latuerint in obscuro, sed omnium semper conspectui civium expositi fuerint: quin imo, quod obiter hic observari velim, nondum hoc tempore, anno V. C. CCCVIII. Consulares Fasti Romae fuerunt concinnati aut propositi palam, quos, quam diu solemnis ille ac vetus mos obtinuit, annos Vrbis conditae per clavos figendos computandi, cujus rei plura et in *Tabulis Capitolinis* et in LIVIO exempla habemus,

 lon-

longe hoc anno posteriora, et Magistratuum nomina libris linteis consignarentur, in usu apud Romanos non fuisse, *sequenti Libro*, ubi de *Fastis Civilibus* agendum, docebimus. Per *Commentarios* autem *Pontificum* idem SICCAMA *loc. cit.* intelligendos arbitratur *Annales Pontificis Maximi:* verum tamen quaero, qui tandem Canulejus conqueri possit aut eo nomine invehi acerbius in Patricios, quod plebs ad *Annales* illos Maximi Pontificis legendos non admitterentur, cum quotannis in dealbato pariete illos proponi moris esset in domo Pontificis publica, ut eo accedendi cuique civium ac legendi cognoscendique rerum gestarum memoriam daretur facultas: quibus etiam in Annalibus nihil adeo videntur consignasse Pontifices, praeter nudam rerum gestarum memoriam, quam cur plebi celare voluissent, nihil equidem expiscari possum caussae. Accedit, quod *Annales* illi Pontificum, ita appellati, quia variorum acta annorum digesta complecterentur, nunquam vel raro admodum *Commentariorum Pontificum* nomine veniant obvii, quamvis GVTHERIVS *Lib. I. de vet. Iur. Pontific. c.* 22. in *Thesaur. Graev. Tom. V. pag.* 42. affirmare non dubitet, illos *Annales Pontificum* etiam *Libros* et *Commentarios* Scriptoribus veteribus nominatos fuisse, citans auctoritatem AVRELII VICTORIS de *Origin. Gent. Rom. initio*, et LIVII *Lib. VI. cap.* 1.; sed prioris quidem Scriptoris loco *Libri Pontificum*, opinor, intelliguntur, non ipsi *Annales* Pontificum Max. sed libri potius, quos octoginta numero ex variis variorum annorum Annalibus Pontificiis confectos scribit SERVIVS *ad Virgil. Aeneid. Lib. I. vs.* 373. quos eosdem GELLIVS quoque ad partes citat *Lib. IV. c.* 5. *Noct. Attic.* nomine *Annalium Maximorum*, privata, ut mihi videntur, Scriptoris cujusdam opera et auctoritate ex publicis Pontificum Annalibus compositos et concinnatos: LIVIVS autem cum memoret, plerosque Pontificum *Commentarios*, incensa Vrbe, periisse flammis absumtos, non *Annales* tantum Maximorum Pontificum, quos tamen voce latiori sumta significatu simul intelligere quoque potuit, sed etiam, et praecipue quidem, fignificat, *Commentarios sacros* de Religionis ritu cerimoniisque, tum quae ad jus pertinerent Civile et in quibus Actionum formulae essent conscriptae; unde ibidem brevi post narrat, Vrbe liberata Gallorum obsidione, foedera in primis ac leges conquiri coepta, ex iisque, quae comparuissent, alia edita etiam in vulgus, quae vero ad sacra pertinerent, a Pontificibus maxime suppressa. Doctiss. BOSIVS in

in *Exercitatione Historic. de Pontif. Max. Tom. V. Thesaur. Ant. Rom. pag.* 254. recte monet quidem, *Annales* Pontificum Max. diversos fuisse a Pontificum *Commentariis*, caeterum non accurate satis haec interpretatus LIVII loca haud distinxit probe *Fastos* inter atque *Commentarios;* quo etiam notandus nomine cl. H. DODWELLVS in *Append. Praelect. Camden. pag.* 658. ubi pro fictitiis *Actorum Diurnorum* Fragmentis disputans, multa sed confusa eruditione et plura perperam de veteri more, apud Romanos, res gestas memoriae consignandi, disseruit, quae hujus loci non est singula confutare; male omnino apud LIVIVM *h. l. Fastos Commentariosque* pro iisdem accipiens explicavit Pontificum *Annales.* Equidem *Commentariis Pontificum*, cum dierum *Fastis*, ut hoc loco, junguntur, non video, quid potius intelligamus aliud, quam ejus modi *Commentarios*, in quibus formulae Actionum erant a Pontificibus conscriptae, atque adeo LIVIVM *Fastos* hic et *Commentarios* Pontificum jungere puto, prorsus, ut alii Auctores *Fastos* et *Actiones* junctim memorant. Eodem plane sensu, quo LIVIVS *Commentarios*, CICERO *Pontificum Libros* appellavit, quibus Actionum formulae continebantur *Lib. I. de Orat. cap.* 43. *sive quem*, inquit, *aliena studia delectant, plurima est et in omni jure Civili, et in* PONTIFICVM LIBRIS, *et in* XII. *Tabulis Antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et* ACTIONVM *genera quaedam --- declarant:* ubi quae *in Pontificum libris* declarata scribit *Actionum genera*, intelligo *formulas*, in *Commentariis Pontificum* obvias, quibus in jure experiri solebant litigantes.

Quae sequuntur apud LIVIVM verba; *ne ea quidem scimus, quae omnes etiam peregrini sciunt:* a nemine hactenus Interpretum explicata, neque, credo, intellecta satis, mihi, quod dissimulare nolo, crucem quoque fixerunt ac plurimum injecerunt morae. Qui enim vero cohaerebit illa Canuleji oratio; si nos plebeji ad Fastos non admittimur, ut legitimos cognoscamus dies, qui fasti quique nefasti sint, si et Pontificum Commentarios nobis adire non licet, si, quoties lege apud Magistratum populi Romani agendum est, a vobis et diem et Actionis formulam petere necesse habemus, tum *ne ea quidem scimus, quae omnes etiam peregrini sciunt?* Quid? an igitur vult Orator Tribunus, peregrinos, Romae habitantes, Fastos et legis Actiones novisse, quas, studiose adeo Pontifices penetralibus suis reconditas, celarent plebi, civibus tamen Romanis? haud alio sane intellectu verba illa, uti nunc jacent, capere possis: verum nimia et insolens foret αὔξησις, si ita scripsisse credamus,

mus LIVIVM aut ex persona Canuleji loquutum. Videntur quidem ANT. PERIZONIVS et DRAKENBORCHIVS ulcus quodam modo olfecisse, cum vero mederi non possent, auxiliatrices abstinuerunt manus: priore periodi membro PERIZONIVS particulam *si* mutaverat in *etsi*, vel eo certe significatu accipiendam *hoc loco* arbitrabatur; DRAKENBORCHIVS vero per *siquidem* vel *quoniam* explicat, quo utroque interdum modo exponi posse, non ignoro; nihil tamen valet ea particulae *si* in priore commate interpretatio, ad posterius membrum periodi, quo de hic agitur, rite intelligendum, eadem in verbis manente difficultate. Quare cum nihil restet, nisi ut ope auxilioque sanioris Critices veram tentemus lectionem restituere, pro vulgatis: *ne ea quidem scimus*, *quae omnes etiam peregrini sciunt*, corrigendum arbitror: *nil* vel *nihil praeterea quidem scimus*, *quam quae omnes etiam peregrini sciunt*; vel *nihil praeter* (id est *supra*) *ea quidem scimus*, *quae o. e. p. s.* sensu, ni fallor, perspicuo et manifesto: si, inquit Canulejus, ad Fastos ad Commentariosque Pontificum non admittimur post hac, si illud quoque jus ereptum itur plebi a Patriciis, eo res jam est deducta, ut nos cives Romani nihil sciamus amplius, quam quae omnes etiam sciunt peregrini, ac nullo vix jure prae iis gaudeamus in civitate. Quae autem correxi vitia damnatae lectionis, ex scripturae compendiis, in codicibus usitatis, et Librariorum inscitia male acceptis, facile oriri potuisse, nemo negabit.

Prius vero quam hunc LIVII locum mittam, unum restat nobis animadvertendum, quod non nihil videri possit habere difficultatis: nimirum, cum hic aperte LIVIVS significet, Fastos Commentariosque Pontificum tempore Canuleji, sive anno P. R. C. CCCVIII. fuisse jam occultatos, dein *Lib. VI. c.* I. §. 10. anno post captam a Gallis Vrbem proximo tradit: *quae ad sacra pertinerent*, *a Pontificibus*, *maxime*, *ut Religione obstrictos haberent multitudinis animos*, *suppressa esse*: quod non accipiendum, quasi anno demum v. c. CCCLXIIII. Fastorum Tabula et Commentarii fuerint populo erepti, qua eadem de re, annis quinquaginta et amplius ante, questus jam fuerat in Senatu Canulejus: sed ita censeo explicandum, Patricios Pontificesque propter intercalandi potestatem, quae semper penes illos fuit, et juris Civilis scientiam, quae velut propria eorum habebatur possessio, post perlatas XII. Tabularum leges, mox quidem Fastos occultavisse et formulas Actionum, deinde vero anno v. c. CCCLXIIII. quando pleraque Vrbis incendio monumenta flammis absumta essent, ea quoque utendum sibi ra-

ratos occasione, plebem fraudandi, quo magis obnoxios sibi redderent multitudinis animos, caetera jura, quae de sacris ritibus deque Religione perscripta et vulgo hactenus cognita fuissent, etiam abscondidisse.

§. 3.

Inde igitur a Decemvirorum temporibus ad Cn. usque Flavium per annos fere centum et quinquaginta insigni atque invidenda plebi potentia viguerunt Patricii et Pontifices, praesertim in jure Civili; namque Fastorum Tabula et Actionum Commentariis intimo penetrali occlusis, *posset lege agi, nec ne, pauci sciebant, Fastos enim vulgo non habebant, erant in magna potentia, qui consulebantur, a quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis petebantur.* Verba sunt CICERONIS *pro Muraen. cap.* 11. conf. idem *de Orator. Lib. I. c.* 41. *ad Attic. Epist. cit.* et LIVIVS *Lib. IX. cap.* 46. Recte etiam POMPONIVS ICtus in *l.* 2. *D.* §. 6. *de O. I. Deinde*, scribit, *ex his legibus* (XII. Tabularum) *eodem fere tempore* (annis tribus vel quatuor post) *Actiones* (*novae* nimirum, legibus Decemviralibus accommodatae) *compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas Actiones, ne populus, pro ut vellet, institueret, certas solemnesque esse voluerunt. — et ita eodem paene tempore, tria haec jura nata sunt: leges* XII. *Tabularum; ex his fluere coepit jus Civile; ex iisdem legis Actiones compositae sunt: omnium tamen horum* (ita legendum omnino cum ill. Praeside BYNKERSHOEKIO) *et interpretandi scientia et Actiones apud collegium Pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoquo anno praeesset privatis. Et fere populus annis prope centum hac consuetudine usus est.* Quod dicit Iuris Consultus, aliquem ex collegio Pontificum quotannis constitutum, qui *privatis praeesset*, id nemo alius, praeter unum POMPONIVM prodidit memoriae: moris fuisse videtur, ut in collegio Pontificum sua quisque Pontifex specialia obiret munia; quem igitur ad modum, notante MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 15. ante, quam Fasti a Flavio essent vulgati, provincia Minori solebat delegari Pontifici, primum novae Lunae adspectum observare, ita pariter intelligendus forte POMPONIVS, aliquem ex collegio Pontificum quotannis creatum, qui petentibus diem indicaret, fastus esset, an nefastus, quique idem, sive alius, Pontifex forsan Maximus, intercalationis ope annum componeret, unde is apud CICERONEM *Lib. II. de Legg. cap.* 12. *anni compositor* appellatur, conf. *supr. cap.* 1. §. 4. *pag.* 24. MACROBIVS

ta-

tamen *Lib. I. Saturn. c.* 13. intercalandi poteſtatem toti collegio tribuit, aut pluribus certe, quam uni, iique apud illum *diebus praeeſſe* et paullo poſt, *Faſtis praeeſſe* dicuntur: quo ex loco conjectabam, in *l. cit. de O. I.* pro *praeeſſet privatis* corrigi forte poſſe *praeeſſet Faſtis.* An vero *privatis praeeſſe* explicabimus potius de eo Pontifice, qui ex collegio quotannis eum conſtituebatur in finem, uti hominibus privatis, judicio apud Praetorem experiri cupientibus, ſignificaret dierum jura faſtorum nefaſtorumque? ut *privatos* intelligere ICtus videatur *homines de plebe*, oppoſitos Patriciis et in primis Pontificibus: ſequiori aevo homines plebeji dicebantur *privati*, eoque diſtincti erant appellatione a viris honoratis, dignitate vel poteſtate illuſtribus, unde et in CYRILLI *Gloſſis:* ἰδιώτης, ὁ κοινός· *privatus*, *paganus*, *plebejus.* De vero vocis apud vetuſtiores Scriptores etymo et ſignificatu id obiter monendi ſumus, vocabulum eſſe ἐκ τῶν πρός τι, ſemper enim reſpectum habet ad alterum quid, cui vel expreſſe vel tacite opponitur, et notat illum, qui, qua alter inſignis eſt dignitate, poteſtate, qualitate aut munere, *privatus*, id eſt, non praeditus eſt: conf. FRANC. HOTOMANNI *Commentar. de verb. Iur. in voc.* Atque ita reſpectu Pontificum omnes, quicumque Pontifices non erant, dicebantur recte *privati:* neque igitur, ut putant VV. DD. *privatus* ſemper opponitur ei, qui cum imperio eſt, vel ut alii volunt, Magiſtratibus, quod vel unus evincit LIVII locus *Lib. V. c.* 52. ubi *privatus* opponitur *Sacerdotibus* et *Flaminibus*, qui tamen neque Magiſtratus erant, neque habebant imperium; ſed ubi Sacerdotum habebatur ratio, omnes, quicumque non erant Sacerdotes, eorum habebantur reſpectu privati: ſic pariter in *l.* 4. *Cod. Iuſtin. et Theodoſ. de Naufrag. privati* opponuntur *Senatoribus*, in aliis legibus *privati* et *milites:* LIVIVS *Lib. XXXVIII. c.* 50. in contentione Senatus de Triumphi honore, Cn. Manlio decernendo, ſcribit, Seniorum valuiſſe auctoritatem, negantium, exemplum memoriae proditum eſſe, ut Imperator, qui, perduellibus devictis, confecta provincia, exercitum reportaſſet, ſine curru et laurea *privatus inhonoratusque* Vrbem iniret: ubi cl. DVKERVS notat, qui triumpharent, *privatos* non fuiſſe, quia ad populum ferri oportuerit, ut quo die Triumphans Vrbem iniret, ei eſſet imperium; quod ultimum, ut ad populum ferretur, ſemper et omnino neceſſarium non fuit; ſi qui enim ſui Magiſtratus anno triumphabant, iis ſpeciali lege, ut die Triumphi cum imperio eſſet, non

non opus erat, vid. GRVCHII *ad posterior. C. Sigonii Disputat. Refutatio*, *cap.* 20. *T. I. Thesaur. Graev. p.* 792. neque adeo *privatus* opponitur in LIVII *loco* ei, qui *cum imperio* est, sed respectum habet ad intellectum vocabulum *Triumphans*, ut in Imperatore contraria sint *Triumphans* Vrbem inire et *privatus* inire, quamquam vero Magistratus, cui imperium esset, eo nomine aliorum respectu hominum minime erat privatus, is tamen *privatus* ingredi Vrbem dicebatur, si, ut ipse LIVIVS vocem *privatus* exponit, *sine curru*, *sine laurea inhonoratus* iniret. Alia sciens praeteribo loca plura, quae ex hac observatione facile illustrari possunt, si unum addidero CICERONIS *Orat.* I. *Catilin. cap.* I. *An vero*, inquit, *vir amplissimus P. Scipio*, *Pontifex Max. Tib. Gracchum* ——— ——— *privatus interfecit : Catilinam vero* —— *nos Consules perferemus?* eundem Scipionem et *Pontificem Max.* et simul *privatum* a TVLLIO appellari, ingenia plerorumque Interpretum exercuit: MVRETVS repugnantiam tolli, arbitratur, si *privatos* opponas *Magistratibus*, quorum cum in numero Pontifex Max. non esset, recte Scipionem et *Pontificem Max.* et *privatum* nominari; conf. ERNESTI in *Clav. Cic. voc. privatus.* Sed vero longe diversam hujus explicandi loci solvendique nodi rationem iniit vir ampliss. G. CVPERVS in *Notis ad Lactant. de Mort. persec. cap.* 18. *p.* 173. ratus, nunquam CICERONI in mentem venisse, Pontificem Max. dicere *privatum :* verum hoc tantum modo significare voluisse, eum P. Scipionem, qui postea Pontifex Max. factus sit, cum privatus adhuc esset, seditionem Gracchanam compescuisse : et profecto saepius hoc modo in *Annalium* libris et vetustis *Inscriptionibus* Consulatus aliive supremi honoris tituli memorantur per prolepsin temporis, quamvis res gesta, ibidem notata, annis aliquot ante eum Magistratum acciderit; conf. PERIZONIVS *A. II. pag.* 306. Vt autem ampliss. CVPERVS probet, re vera Scipionem, quando Gracchum occidit, *privatum*, id est nondum Pontificem Max. fuisse, APPIANO *L. I. de Bel. Civ. pag.* 359. scribenti, ducem Romanis hac in re fuisse Scipionem, *Pontificem Maximum*, haec opponit. Primo, CICERONEM *Lib. I. de Offic.* 22. illud significare: *nec plus Africanus*, *singularis et vir et Imperator*, *in exscindenda Numantia rei publicae profuit*, *quam eodem tempore P. Nasica* PRIVATVS, *cum Ti. Gracchum interemit.* Secundo auctoritatem VELLEII PATERCVLI *Lib. II. cap.* 3. §. I. qui disertis verbis testatum reliquerit, Scipionem Nasicam *privatum et togatum* haec fecisse, *atque ob eas virtutes primum omnium absentem Pontifi-*

 cem

cem Max. esse factum. Tertio, P. Licinium Crassum *Divitem* (malo *Mucianum* appellare) Pontificem Max. bello, contra Aristonicum gesto, periisse an. v. c. DCXXIII. nullo igitur modo Scipionem potuisse anno DCXX. vel sequenti, quo alterutro Gracchanam seditionem represserit, Pontificatum gerere: occiso autem Licinio, hunc demum honorem summi Sacerdotii oblatum putat Scipioni et quidem absenti, quippe, ut invidiae subtraheretur, per speciem legationis in Asiam tum ablegato, teste AVR. VICTORE *de Vir. Ill. cap.* 64. Atque adeo his motus argumentis existimavit vir celeberr. Scipionem, nondum Pontificem Max. creatum, Gracchanam compescuisse seditionem ac propter illud tam egregium facinus, dum specie legationis, at caussa invidiae declinandae in Asia abesset, Pontificatus honorem adeptum esse; quia tamen, paullo post occisum Gracchum, dignitatem eam acceperit, Auctores, non rite satis distinguentes tempora, scripsisse, Gracchum a Scipione interemtum, cum jam Pontifex Max. foret. Speciosa haec sunt primo suo adspectu, sed accuratius paullo examinata nemo facile pro veris agnoscet: etenim ex ipsa rerum gestarum serie, veterum Scriptorum auctoritate comprobata, haud erit difficile nobis, plane contrarium ostendere, nempe, Scipionem non Licinio Crasso in Pontificatum successisse, at contra hunc in Scipionis locum suffectum; tum deinde, Scipionem ante aliquanto, quam Gracchum interfecit, jam Pontificem fuisse creatum atque adeo in ipso Pontificatu seditionem Gracchi esse exstinctam. Excitata est Gracchana seditio eodemque repressa anno v. c. DCXX. a Scipione Nasica, ut manifesto Annalium consensu certum est: mox, sub finem ejusdem anni vel insequentis initio, Scipio, totius negotii dux et auspex, ut invidiae plebis se subtraheret, per speciem legationis secessit in Asiam; vid. AVR. VICTOR *loc. cit.* ibique Pergami, quod vitae superfuit, sine ullo ingratae patriae desiderio peregit diemque obiit supremum; vid. VALERIVS MAX. *Lib. V. cap.* 3. et CICERO *pro Flacc. cap.* 31. Cum itaque, ut constat, in patriam non fuerit redux Nasica, sed ad finem usque vitae in voluntario quasi exsilio Pergami degerit, haud sane fieri potest probabile, illum absentem, ut ex male intellecto VELLEII loco colligebat vir ill. tribus vel quatuor demum annis post occisum Gracchum, in locum Crassi Pontificem fuisse creatum, quo tempore ne quidem in vivis superfuisse eum, mox videbimus. Vnum dabo PLVTARCHI locum, qui rem totam in apertissima collocabit luce: is in *Tib. Graccho Tom. IV. pag.* 380. narrat, acerbam populo fuisse Tib. Grac-

chi

chi caedem - - - judicia Scipioni intentata, neque obscure homines significasse indignationem suam, ubicumque obvius sibi daretur, nefarium et tyrannum Scipionem appellitantes, quod caede Sacrosancti Tribuni plebis religiosissimum templum polluisset: quare, nulla urgente necessitate ab Senatu legatione in Asiam ipsi decreta, Nasicam Italia cessisse, καίπερ, addit, ἐνδεδεμένον ταῖς μεγίσταις ἱερουργίαις· ἦν γὰρ ὁ Μέγιστος καὶ πρῶτος Ἱερέων· *quamvis maximorum sacrorum cura, Pontifex quippe Max. devinctus retineretur:* peregre autem vagantem huc illuc atque oberrantem, οὐ μετὰ πολὺν χρόνον, *haud ita multo tempore post*, apud Pergamum vitam cum morte commutasse. Fuit itaque Pontifex Max. Scipio prius, quam Italiam relinqueret. Videamus nunc, an probari quoque possit, ipsum ante aliquanto Pontificatum esse adeptum, quam Ti. Gracchum interemit. PANVINIVS in *Catalogo Pontificum Max.* quem *Fastis* inseruit *pag.* 94. et BOSIVS in *Exercit. de Pont. Max. Tom. I. Thes. Graev. p.* 267. hujus Scipionis Pontificatum referunt ad an. v. c. DCXX. non, credo, quod contendere velint, isto primum anno creatum, sed quia fide et auctoritate veterum Scriptorum nullum esset dubium, jam tum Pontificem Max. fuisse, ut pote qui in Pontificatu Gracchum occiderit eo anno. P. Scipioni Nasicae ei, qui vir optimus a Senatu judicatus est, in Pontificatum successit noster P. Scipio Nasica Serapio: nullus certe, qui hos inter duo Scipiones, avum et nepotem, medius Pontificatum gesserit, memoratur usquam. Neque obstat, quo minus avo nepotem successisse dicamus, quod duo ejusdem familiae simul in eodem collegio eodem Sacerdotio fungi nequiverint: si quidem avo Scipione defuncto, tum primum Scipio nepos et Pontifex in collegium cooptatus et mox anno sequenti in locum avi Pontifex quoque Max. suffectus esse potuerit, quamvis res sit rarioris exempli ac propterea notanda. Cum vero Scipio avus anno v. c. DCIII. jam tum valde senex, quippe an. DLXII. Consulatu functus, successerit Pontifex Maximus M. Aemilio Lepido, ut ex CICERONE colligitur in *Caton. Maj. cap.* 14. non videatur ad an. v. c. DCXX. superfuisse, ut tum demum successerit illi nepos, sed jam aliquot annis ante mortuus: cui sententiae favebit ipse VELLEIVS, rite expositus, *tum*, inquit, *P. Scipio Nasica --- privatus et togatus, cum esset consobrinus Ti. Gracchi, patriam cognationi praeferens et, quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans (ob eas virtutes primus omnium absens Pontifex Max. factus est) circumdata laevo brachio togae lacinia - - - hortatus est, qui salvam*

 vel.

vellent rem publicam, se sequerentur. Verba *ob eas virtutes* etc. parenthesi necessario includenda, quae fraudi fuerunt ampliss. CVPERO, minime docent nos, Scipionem, ob Ti. Gracchum interemtum, primum omnium absentem Pontificem Max. esse factum, ut videtur accepisse etiam POPMA, neque referenda sunt stricte ad tempus seditionis Gracchanae; sed *ob eas virtutes* expono ejusmodi virtutes, eum animi habitum, quem Scipio et tum et alias saepe ostenderit ante, ut, quidquid salutare non esset publice, privatim alienum existimaret: ob eas virtutes Scipio, non tum primum, sed jam aliquanto ante, absens Pontifex Max. factus erat. Cum vero Scipionem *absentem* Pontificem Max. declaratum scribit Auctor, neque absentia ejus intelligi potest, ut supra vidimus, quando evitandae plebis invidiae caussa Italia cessit, neque ejus absentia ipso anno Gracchanae seditionis ullo modo fingi potest aut cogitari, sequitur profecto, absentem illum, et quidem, ut puto, rei publicae caussa, ante hunc annum DCXX. Pontificem jam creatum fuisse: imo forte Pontifex jam fuit ante quam Consul factus est an. V. C. DCXV. cum enim collegae Scipionis D. Bruto provincia obvenerit eo anno Hispania Vlterior et M. Popillio Consulari in Citeriore Hispania imperium prorogatum sit, de Scipionis autem provincia res plane sit incomperta, is quidem videri potest in Vrbe et Italia mansisse, sacrorum Sacerdotii sui caussa retentus. Caeterum occiso Ti. Graccho in Asiam ablegatus Scipio Pontifex Max. brevi post diem obiit, ut ex PLVTARCHO observavimus, idemque constat ex eo, quod anno jam proximo vel posteriore successit ei P. Licinius Crassus *Mucianus*, ita enim appellare malo, non tantum ut eo cognomine ab altero P. Licinio Crasso *Divite*, qui et ipse Pontifex Max. fuit anno circiter V. C. DXL. distinguatur, sed etiam, quia Crassus Mucianus cognomine *Divitis* usus plane non videtur, certe *Fasti Capitolini* illud non agnoscunt: neque obstat, quod CICERO de *Orat. Lib. I. cap.* 37. et *de Off. Lib. II. cap.* 16. Crassum Mucianum *Divitem* cognomine dicat, nam is quidem ad cognomen familiae adoptivae, tum in primis ad hujus Crassi copias, quod esset ditissimus, respiciens ita appellavit: hinc illustrari et non nihil emendari possunt, quae cl. D'ARNAVD in *Diss. de Vitis Scaevular.* §. 15. et ibid. clariss. ARNTZENIVS notaverunt. De Crasso Muciano notat *Epitome Liviana Lib. LIX. Adversus eum* (Aristonicum) *P. Licinius Crassus Consul, quum idem Pontifex Max. esset (quod nunquam antea factum erat) extra Italiam profectus, proelio victus & occisus est.* Verba parentheseos, *quod nunquam antea factum erat*, recte VV. DD. retulerunt ad po-

posteriora illa; quod Pontifex Max. *extra Italiam profectus est:* sed vel ita tamen animadvertendum, minus accurate Epitomatorem dicere, *id nunquam antea factum*, nam et Scipio ante Crassum, ut modo vidimus, Pontifex Max. extra Italiam in Asiam profectus est. Credo, LIVIVM notasse, *cum exercitu extra Italiam profectum* idque nunquam antea factum; atque ita accipienda verba Epitomes. Crasso in Pontificatu successit an. V. C. DCXXIV. ipsius frater naturalis P. Mucius Scaevula. Atque ita explanata satis horum Pontificum successione, ad locum redeo CICERONIS, ubi Scipionem *Pontificem Max.* simul et *privatum* dixit: quem enim ad modum, ut de aliis Sacerdotibus Flaminibusque vidimus, respectu ad Pontificem Max. habito, omnes reliqui cives, etiam Magistratus et qui cum imperio sunt, recte dici possunt *privati*; ita quoque Pontifex ipse Maximus respectu Consulum appellari potest *privatus*, et sic Orator *hoc loco* opponit Scipionem, cui dignitatis Sacerdotalis summi fastigii titulum addit, *privatum* sibi et collegae Antonio *Consulibus*; ac pariter *Lib. I. de Off. cap.* 22. eundem Scipionem *privatum* opponit Scipioni Africano *Imperatori*.

Scribit POMPONIVS in *fine §. cit. et fere populus annis prope centum hac consuetudine* (ut nempe ex collegio Pontificum quotannis constitueretur, qui privatis praeesset) *usus est*. Quae Chronologia, si rite spatium temporis dimetiamur, quod inde post latas XII. Tabb. leges ad Cn. usque Flavium praeterfluxit, fidei historicae minime quadrabit: cum enim ipse intelligat POMPONIVS, uti manifesto satis apparet, intervallum inde ab anno V. C. CCCIII. vel sequenti ad annum CDXXXXIX. quo Flavius Aedilitate functus est, non centum *prope* aut *fere* (alterutrum πλεονάζει) anni, sed *centum* circiter et *quinquaginta* fuerunt. Ἀναχρονισμὸν, ab aliis praetermissum Interpretibus, animadvertit unus GEORG. EBERLINVS in *Explic. de Orig. Iur. pag.* 44. ac notans, non exacte factam esse supputationem temporis, cum quadraginta et sex amplius anni, quam centum interfuerint, particulam *prope* explicat *fere* aut *circiter*. Equidem pulcre novi, Scriptores quadrato saepe numero uti solitos; addito *fere* aut *circiter*, licet desint vel supersint aliquot anni, ita tamen, ut vix ultra decem extendere soleant: tum et illud observari velim, particulam *prope* sua origine significatus, ubi numeralibus adjungitur, indicare semper paullo minus, quam numero exprimitur, nunquam vero amplius: adeoque cum dicat POMPONIVS *annis prope centum*, intelliguntur pauciores anni, quam centum, nondum centum numero rotundo

impleti. Ita CICERO *Act. I. in Verr. c.* 13. Equestrem ordinem, scribit, *annos* PROPE *quinquaginta judicasse;* cum equites lege Sempronia, inde ab anno v. c. DCXXXI. ad Syllam Consulem iterum, seu annum v. c. DCLXXIII. per annos non amplius, quadraginta duobus, judicia habuerint. LIVIVS quoque *Lib. VI. cap.* 2. §. 3. de anno v. c. agens CCCLXV. et defectione ab Romanis Hernicorum Latinorumque, eos post pugnam, ad lacum Regillum commissam, *per annos* PROPE *centum*, scribit, *nunquam ambigua fide fuisse;* ubi si computes annos a pugna Regillensi, facta anno CCLVII. octo superant anni: verum addita particula *prope* non patitur, ut anni numerum expressum excedant, sed ostendit, annos a posteriori cum Hernicis foedere, quod anno CCLXVII. percussum est, computandos esse, ita ut intervallum nondum prorsus centum absolvat annos, conf. *ad Livii cit. loc.* cl. DRAKENBORCHIVS. Denique et sic POMPONIVS in hac eadem *l.* 2. §. 3. exactis Regibus, eorum leges exolevisse, memorat, iterumque coepisse populum Romanum incerto magis jure et consuetudine ali, idque PROPE *viginti annis* passum esse, quibus etiam in verbis non leve, ut videtur, inest ἀναχρονισμοῦ vitium, minime tamen ex numeralis Notae compendio cum ill. BYNKERSHOEKIO in *Praeterm. ad Pompon. pag.* 20. corrigendum, vid. quae in *Capite de Notis Siglisque veterum* dicam, sed vel explicandum vel suo relinquendum Auctori; in temporum enim ratione plus semel aberravit POMPONIVS, quem ad modum hoc etiam loco, de quo agimus, cum scribit, *prope centum annos* ea consuetudine usum esse populum Romanum, ut Actionis formulam diemque agendi necesse fuerit ab Pontificibus petere, non Librariis facile, ex numerali Nota peccantibus, adscribendum crediderim, sed ipsi potius juris Consulto, in Chronologia caespitanti.

CA-

CAPVT QVARTVM

EXPONENS HISTORIAM FASTORVM A CN. FLAVIO AN. V. C. CCCCXLVIIII. EVVLGATORVM.

§. 1. *Veterum Scriptorum de* Cn. Flavio *testimonia.* PISONIS *apud* GELLIVM *locus expl. et corrig. Aediles an praefuerint Comitiis?* Manutii *error.* LIVIVS *et* VALERIVS MAX. *cum* PISONE *conferuntur.* VALER. MAX. *emend.* §. 2. LIVII *testimonium de* Flavio. *Ejusdem locus in integrum restituitur.* More majorum *fieri quid dicatur. Vetus lex de* Dedicatione *apud* LIVIVM *illustrata. Lex* Papiria *de* Sacramentis, *item alia de* Dedicatione *quando et a quo lata?* Hotomannus *refutatur.* Praetor Peregrinus *quo primum anno creatus?* Auctor *Epitomes Livianae notatur.* Triumviri Capitales *quando instituti?* Gutherii *non levis error et* Pitisci *stupor notatus.* POMPONIVS *ICtus defenditur.* Pighii, Bachii *et* Balduini *sententiae de lege* Papiria *examinantur. Quid juris in* Dedicatione *tempore* CICERONIS *obtinuerit. Ejusdem locus examinatus et expositus contra* Gutherium. §. 3. PLINII *de* Flavio *et* Fastis *locus examin. expl. et tentatus. Vsus anulorum aureorum apud Romanos.* Kirchman *et* Georg. Longus *notati. Fasti Consulares illustrantur. Duplici cognomine multi Romanorum usi.* PLINII *rationes Chronologicae incertae.* §. 4. CICERONIS *unus et alter de* Flavio *locus.* Cornicum oculos configere. DIODORI SIC. *testimonium de* Flavio. *Idem explicatur, illustr. emend. et cum* LIVIO *in concordiam redigitur.* HORATIVS *exponitur. Ejus* Scholiastae *notati.* DIODORI ἀναχρονισμὸς *observatur. Vulgata* LIVII *lectio contra* Pighium *vindicata.* VALERII MAX. *item* POMPONII *et* MACROBII *de* Flavio *testimonia.* §. 5. *Quo praenomine Flavius et pater ipsius usi.* Corradi *opinio examinatur et refellitur. Flavii pater an praenomine* Ancus? Harduinus *notatus. Filii interdum a gentilicio nomine materno cognominati.* Annius *non est praenomen. Nova de praenomine patris Flavii conjectura. A quo forsan Flavio manumissus?* §. 6. Libertini *appellatione quis intelligatur.* DIODORVS SICVLVS *contra VV. DD. defenditur.* SVETONIVS *exponitur et emend.*

emend. Duplex ellipsis notata in phrasi non modo sed et. Non ---- sed *pro* non adeo, non tam ---- quam. AVR. VICTOR *expos. et vind.* Ἀπελεύθεροι *an libertinorum filii?* §. 7. *Flavii pater an Scriba?* Pighii *error.* VAL. MAX. *exponitur.* CORN. NEPOS *explicatus. Qualis fuerit Scriba Flavius?* Gravina *et* Sigonius *notati. Scribae Pontificum* minores Pontifices *dicti. Minores illi Pontifices speciale collegium non constituerunt.* FESTVS *tentatur vel exponitur. An unus tantum Flavii tempore minor Pontifex?* MACROBIVS *expl. Quando appellatio Pontificum minorum invaluit?* LIVIVS *bis correctus et illustratus.* Scriba, *velut cognomento, Flavius appellatur. Alia ejus modi cognomina.* §. 8. *An usque ad Aedilitatem Flavius scriptum fecerit?* PISO *expl. et tent.* LICINIVS *apud* LIVIVM *expositus. Item* PLINIVS *et* POMPONIVS. *Non fuit Flavius* Senator. POMPONIVS *emend. An duplici Magistratu Flavius functus eod. anno?* LIVII *insignis error. Ante Aedilitatem Flavius* Tribunus pl. *non fuit.* LICINIVS *de* Tribunatu Aerarii *intelligendus. An Praeturam gesserit Flavius?* Heineccius *notatus.* Praetoris *vocabulum latiori sensu usurpatum.* §. 9. Fasti *et* Actiones *a Flavio evulgati.* DIODORI *et* PISONIS *ea de re silentium.* Fastorum *nomine* Actiones *continentur et contra appellatione* Actionum *quoque* Fasti. Vorstius *et* Glareanus *notati.* Ius Civile *non est jus* XII. *Tabb.* Fasti *et* Actiones *quid differant? Vbi et quo modo Flavius Fastorum notitiam sibi acquisiverit.* CICERO *emend. et expl.* POMPONIVS *corrig.* Ad formam redigere *quid? Dissensus inter* POMPONIVM, CICERONEM *ac* PLINIVM. *Ap. Claudius* Pontifex Max. *non fuit.* Siccama *notatus. Quando Flavius jus Civ. evulgarit.* LIVII *locus contra* Drakenborch. *expos.* Proponere *et* proponere in albo *est Magistratus.* Bachius *notatur. Tribuni pl. an de privatis caussis judicaverint? Flavius in Aedilitate Fastos proposuit.* PLINIVS *et* POMPONIVS *qua via cum aliis in concordiam reducendi?* Ius Flavianum *cur ita appellatum.* Lex Papiria *et* jus Papirianum *differunt.* §. 10. *Appendicis loco agitur de novis Actionum formulis.* CICERO, OVIDIVS *et* POMPONIVS *expl. emend.* Ius Aelianum. Ritterus *notatur.* Componere *Actiones quid notet?*

§. I.

§. 1.

Ordinata scribendi ratio, quam in exponenda Fastorum Historia praescripsimus nobis observandam, postulat, ut cum maxime de CN. FLAVIO, qui *Fastos* et *legis Actiones*, per sesqui fere saeculum claustris Pontificum abditas, primus in lucem retraxit, dispiciamus. Plurima est tum Auctoris tum rei ipsius in veterum Scriptorum Annalibus obvia mentio: multa etiam nobis accuratius pertractanda, quae vulgo observata minus minusque animadversa, aut variis eruditorum hominum sententiis disputata, nondum tamen composita sunt. Prius vero, quam recentiorum opiniones Interpretum sub examen revoco, ipsamque rei Historiam aggredior, lubet in antecessum cuncta veterum, ubi de *Flavio* et *Fastis*, ab eo vulgatis, meminerunt, Scriptorum loca in medium proferre, ut praemissis hisce antiquorum testimoniis atque auctoritatibus, deinde facilior illorum, quae in disceptationem venient, nobis sit disputatio.

Omnium, hodie superstitum Auctorum, qui de *Cn. Flavio* nostro mentionem fecerunt, vetustissimus est CALPVRNIVS PISO, cujus integrum locum, quod res visa memoratu digna et perquam *pure* (id est simplici et non fucato stilo) et venuste narrata esset, ex ipsius *Annali tertio* transpositum, nobis servavit A. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. VI. c. 9. Cn. Flavius, patre libertino natus, scriptum faciebat: isque in eo tempore Aedili Curuli apparebat, quo tempore Aediles subrogantur: eumque pro tribu Aedilem Curulem renunciaverunt. At Aedilis, qui Comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, Aedilem fieri. Cn. Flavius, Annii filius, dicitur Tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse, isque Aedilis Curulis factus est. Idem Cn. Flavius, Annii filius, dicitur ad collegam venisse visere aegrotum: et in conclave post quam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant, contemnentes eum: assurgere ei nemo voluit: Cn. Flavius Annii filius, id arrisit: sellam Curulem jussit sibi adferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset, utique omnes inviti viderent sese in sella Curuli sedentem.* Paucula obiter ad hunc locum observabimus: verba haec specimen nobis praebent stili, quo veteres usi sunt in Annalibus conscribendis admodum brevi et concinno, ubi magis diligentiam attendebant, quam verborum pulcritudinem: hinc

ſingulis periodis videmus non praenomen tantum Flavii, ſed patris quoque ipſius, repetitum, hoc modo: *Cn. Flavius*, *Annii filius*, niſi quod ſemel patris praenomen excidit ipſo initio. Pro *ſubrogantur* videri poteſt rectius legendum *ſubrogabantur*, ut alii hunc locum citant: niſi dixeris forte, veteres in ejusce modi ſtilo promiſcue uſos Praeſenti et Imperfecto tempore, nam, uti hic *apparebat* --- *ſubrogantur*, ita mox *habebat* --- *negat*. Certius ac majoris momenti vitium Librarii videtur mihi reſediſſe in verbis CALPVRNII, nondum editionibus ſublatum vel ibi notatum: *at Aedilis*, inquit, *qui Comitia habebat:* quaeritur autem, an Aediles ullis praefuerint Comitiis? nulla aliunde, quam unicum, hoc loco depromtum, probant exempla: MANVTIVS *de Comit. cap.* XI. *Theſ. Antiq. Rom. Tom. I. pag.* 508. binorum Comitiorum, quae de ſingulis Magiſtratibus iisdemque Candidatis haberi moris eſſet, priora quidem exiſtimat, a Conſule eſſe habita, poſteriora autem a minori etiam Magiſtratu, Aedilicia ſcilicet ab Aedile, Tribunicia a Tribuno, Quaeſtoria a Quaeſtore, ejusque rei permulta affirmat exſtare exempla; quorum tamen ne unum protulit in medium, unde id ſatis conſtet certo: tu vide, quae in contrariam partem diſputat GRVCHIVS *Lib. II. de Comit. cap.* 3. in *Theſ. Graev. Tom. cit. pag.* 668. cujus haud difficulter conjecturam amplector, rati, pro *at Aedilis* melius veriusque legendum, *at ille*, *qui Comitia habuit*, ut de Conſule intelligatur. Nemo non videt proclive Librarii erratum ἐκ τοῦ *at ille* ſcribentis *Aedilis:* firmat emendationem probatque G. SCIOPPIVS, qui in *Conſpectu Notularum et Var. Lection.* editioni Gellianae, a IAC. GRONOVIO procuratae, ad calcem adjecto *pag.* 893. notat, particulam *at* ab utroque codice ſcripto, quo uſus fuit, abeſſe, atque inde legendum forte *at ille*, ut de Conſule dictum ſit. Si quis autem contendat nihilo minus, extra ordinem forſitan, turbulentis hisce temporibus Comitia habuiſſe Aedilem, ei repono, LIVIVM *Lib. IX. c.* 46. *pr.* ubi, et quidem ex PISONE, ut videtur, eandem rem memorat, non praeter miſſurum fuiſſe, ſi extra ordinem hoc anno Comitiis Aediliciis praefuiſſet Aedilis.

Quod deinde CALPVRNIVS in Annales refert; in contemtum Flavii, cum ad viſendum collegam aegrotum veniſſet, ei neminem adſurgere voluiſſe, idem illud LIVIVS quoque et VALERIVS MAXIMVS memoriae prodiderunt, hic *Lib. II. cap.* 5. *ex.* 2. ille *Lib. IX. cap.* 46. uterque PISONIS *Annales* ſequuti: ſic LIVIVS: *ad collegam aegrum viſendi*

cauſſa

caussa Flavius quum venisset, consensuque Nobilium adolescentium, qui ibi adsidebant, adsurrectum ei non esset, Curulem adferri sellam eo jussit ac sede honoris sui anxios invidia inimicos spectavit. Sic autem VALERIVS: *qui* (Flavius) *cum ad visendum aegrum suum collegam veniret, neque a Nobilibus, quorum frequentia cubiculum erat completum, sedendi loco reciperetur, sellam Curulem afferri jussit et in ea, honoris pariter atque contemtus sui vindex, consedit:* in quibus verbis quid sit *sedendi loco recipere*, non probe intelligo, neque explicant Commentatores: *sessum recipere* dixit VALERIVS *Lib. IV. c. 5. ext. 2.* et recte, id est venientem recipere eique, ut adsideat, dare locum: at non video, hoc sensu phrasin *sedendi loco recipere* posse accipi: equidem crediderim, scripsisse: *neque a Nobilibus --- surgendi honore reciperetur* vel *sessum surgendi honore reciperetur:* quem ad modum *Lib. IV. loc. cit.* memorat, Athenis aliquem ultimae senectutis, cum spectatum ludos in theatrum venisset, eumque nemo e civibus *sessum reciperet*, ad Lacedaemoniorum forte Legatos venisse, qui, hominis aetate moti, canos ejus *assurgendi officio* venerati sint sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederint.

Quod vero ad ipsam attinet hujus rei historiam, si quidem, teste PLINIO *Hist. Nat. Lib. XXXIII. c. 1.* Flavius cum Q. Anicio Praenestino, qui paucis ante annis hostis fuisset, praeteritis Petillio et Domitio, quorum patres Consulatum gessissent, Aedilis creatus sit, atque adeo ille Anicius videatur ab eadem factione forensi, qua Flavius, in Patriciorum contemtum, ad Aedilitatem promotus, nolo dissimulare, mihi, nisi quadam Antiquitatis reverentia, vix verum videri, quod narratur, complures ex Nobilibus, quos Patricios potissimum hic intelligere debemus, honoris caussa ibi adsedisse aegrotanti Anicio, plebejo certe et haud ita pridem in civitatem recepto: de Librarii tamen errore suspicio nulla esse potest, cum, quod PISO tradit, a LIVIO et VALERIO confirmetur; ni dixeris forte, jam horum temporibus foedum codices PISONIS vitium Scribae obsedisse, ibique loco Praepositionis *ad* reposita *cum*, legendum: *idem Cn. Flavius dicitur cum collega venisse visere aegrotum*, nempe aliquem ex Patriciis vel Magistratum Majorem: nihil tamen ego in re admodum incerta, ausim certi affirmare.

§. 2.

PISONI CALPVRNIO succedat insignis de Flavio locus LIVII, quo et LICINII MACRI testimonium continetur, *Lib. IX. c.* 46. *Eodem*, inquit, *anno* (V. C. CDXLVIIII.) *Cn. Flavius Cn. F. Scriba, patre libertino humili fortuna ortus, caeterum callidus vir et facundus, Aedilis Curulis fuit. Invenio in quibusdam Annalibus* (PISONIS etiam, ut supra apparuit) *quum appareret Aedilibus fierique se pro tribu Aedilem videret, neque accipi nomen, quia scriptum faceret, tabulam posuisse et jurasse, se scriptum non facturum: quem aliquanto ante desiisse scriptum facere, arguit* MACER LICINIVS, *Tribunatu ante gesto, Triumviratibusque, Nocturno altero, altero Coloniae deducendae. Caeterum, id quod haud discrepat, contumacia adversus contemnentes humilitatem suam Nobiles certavit: Civile jus, repositum in penetralibus Pontificum, evulgavit Fastosque circa Forum in Albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur: aedem Concordiae in area Vulcani summa invidia Nobilium dedicavit; coactusque consensu populi Cornelius Barbatus, Pontifex Max. verba praeire, quum more majorum negaret, nisi Consulem aut Imperatorem, posse templum dedicare. Itaque ex auctoritate Senatus latum ad populum est, ne quis templum aramve injussu Senatus, aut Tribunorum plebei partis majoris dedicaret.* Deinde, quod supra retulimus, documento Flavii plebejae libertatis adversus Nobilium superbiam interposito, pergit: *caeterum Flavium dixerat Aedilem forensis factio, Ap. Claudii Censura vires nacta, qui Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat: et post quam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in Curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas, humilibus per omnes tribus divisis, Forum et Campum corrupit: tantum Flavii Comitia indignitatis habuerunt, ut plerique Nobilium annulos aureos et phaleras deponerent.* Quaecumque ad Cn. Flavium Fastosque spectant propius infra, hic vero alia non nulla huius loci examinabimus. Ac primo quidem animadvertendum, in negatione Barbati Pontificis, ut hodie legitur in LIVII codicibus, latens aliquod vitium inhaerere videri: rogatus a Flavio Pontifex, ut, dum aedem Concordiae dedicaret, sibi adesse vellet ac solemnia verba praefari, negat, more majorum, nisi Consulem aut Imperatorem, neminem posse templum dedicare: celeberr. DVKERVS *ad h. l.* haud verum esse arbitratur, quod praetexerit Pontifex Max. si quidem teste LIVIO *Lib. II. c.* 27. §. 5. *sq.* Mercurii aedem Centurio primi

primi pili dedicaverit, tum quod idem Auctor fit, Caftoris aedem a Duumviro, eum in finem creato, vid. *Lib. II. c.* 42. §. 5. et alibi templum Martis a Duumviro facris faciundis dedicatum effe, vid. *Lib. VI. cap.* 5. §. 8. Equidem vero, nihil falfi dixiffe credo Cornelium Barbatum: nam *more majorum* fieri rectiffime dicitur, de eo, quod plerumque fit aut fieri confuevit, neque aliunde, quam ex actuum frequentia et diuturnitate temporis mos majorum colligitur: quid autem frequentius in Hiftoria rei publicae Romanae, quam Confulem aut Imperatorem templa dedicare? adeoque tria, quae in contrarium oppofuit vir cl. exempla, quominus recte ad morem et confuetudinem majorum provocaverit Pontifex, nihil prohibent. Quo autem pervicacius negaret Pontifex Max verba praeire Flavio, aedem Concordiae dedicaturo, non tantum ad majorum confuetudinem, fed vel maxime et in primis ad jus fcriptum et legem provocat: *itaque*, ait, *ex auctoritate fenatus latum ad populum* (fic legendum omnino, deleto τῷ *eft*, ni potius corrigas *effe*) *ne quis templum aramve injuffu Senatus, aut Tribunorum plebei partis majoris, dedicaret.* Duabus igitur de cauffis negaffe videtur Pontifex, in dedicatione templi formula folemni verba praeire Flavio, altera, quod neque Conful effet neque Imperator Flavius, quibus tantum modo more majorum et ordinario dedicandi honos concederetur, altera, quod injuffu Senatus aut Tribunorum plebei majoris partis Flavius dedicationem peragere vellet, lege non permittente. Quae fententia noftra fuper hoc loco ut magis adftruatur, inquirendum, qualis illa fuerit lex, cujus hic mentionem factam videmus, quando et quo Auctore lata: CICERO in *Orat. pro Domo cap.* 49. et 50. legem veterem memorat Tribuniciam, a Q. Papirio rogatam, qua vetitum, *injuffu plebis aedes, terram, aram confecrare.* Minus accurate citat Papiriae legis verba ERNESTIVS in *Clav. Ciceron. Jndic. Legg. in voc. Papiria* eamque incertae aetatis arbitratur. HOTOMANNVS autem in *Indic. Legg. Rom. pag.* 383. legem illam Papiriam a *L. Papirio*, Tribuno pl. latam putat, qui idem Papirius, tefte FESTO in *voc. feftertius* (at tu quaere in *voc. facramentum*) legem quoque tulerit de Triumviris Capitalibus, feu ut legendum ibi exiftimat *Monetalibus:* qua etiam de re dubitare video BACHIVM in *Hift. Jurifpr. Lib. II. cap.* 2. §. 93. fruftra tamen; ac nefcio, quid cauffae fuerit emendandi aut dubitan-

di, nisi forte, dum Papiriam legem ad vetusta nimis tempora referunt, existimaverint, Capitales Triumviros nondum fuisse tum creatos. Verba legis L. Papirii, Tribuni plebis, apud FESTVM haec sunt: *Quicumque Praetor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, Tres viros Capitales populum rogato: iique Tresviri Capitales, quicumque posthac facti erunt, sacramenta exigunto judicantoque eodemque jure sunto, uti ex legibus plebeique scitis exigere judicare esseque oportet:* ita recte suppletum et editum a SCALIGERO, qui tamen, cum ad oram libri pro *Tribuni plebis* conjicit *Tribuni militum*, ad multo antiquiorem, quam re vera fuit, aetatem hanc legem referendam censuit, quando Tribuni Mil. Cons. potestate adhuc essent in re publica: quod contra mox patebit. Duo mihi videor observasse indicia in Plebiscito Papiriano, unde constare quodam modo possit de ipsius aetate: ex verbis namque: *Praetor, qui inter cives jus dicet*, id est *Praetor Vrbanus*, patet, ni fallor, legem Papiriam non ante rogatam, quam Peregrinus quoque Praetor jam creari solebat: tum enim distinctionis caussa duorum Praetorum appellatio illa inventa demum, ut alter *Vrbanus*, seu *Praetor, qui inter cives jus dicit*, alter *Peregrinus*, seu *Praetor, qui inter peregrinos jus dicit*, vel, ut vetera quaedam monumenta habent, *Praetor, qui inter cives et peregrinos jus dicit*, nominaretur. Hinc videmus, Papiriam legem anno, quo primum Peregrinus Praetor creatus est, esse posteriorem. At quo primum anno Peregrinus Praetor creatus? Doctiss. F. C. CONRADI in *Parerg. de Praetore Peregrin. pag.* 4. certum veri anni indicium facere credit LIVII Epitomatorem *Lib. XIX. Claudia*, scribentem, *soror Claudii, qui contemtis auspiciis male pugnaverat, a ludis revertens cum turba premeretur, dixit: utinam frater meus viveret iterumque classem duceret! ob eam caussam multa ei dicta est. Duo Praetores tum primum creati sunt.* hinc vir cl. cum ex GELLIO *Noct. Attic. Lib. X. c.* 6. constet, multam Claudiae dictam anno V. C. DVII. colligit, eodem anno duo etiam Praetores primum creatos. Sed vero Epitomae illae Livianae, quamquam quidam existimant, in iis locis, ubi Liviana Historia excidit, ipsam debere LIVII obtinere auctoritatem, mihi tanti non videntur habendae; imo contra arbitror, ab imperito homine conflatas, nullius fere ponderis esse aut fidei: ita verbi gratia ex duobus aliquando Lustris unum componit, ut alibi notabo; et saepius non eodem ordine, quo a LIVIO ex-

expositae sunt, res gestae in *Epitome* referuntur, sed praepostere; adeo, ut nihil prorsus inde praesidii arcessatur, ad veram Chronologiam rite investigendam. SIGONIVS, PANVINIVS et PIGHIVS vero similius multo Praetorem peregrinum an. v. c. DXI. creatum existimant, quos vid. in *Fastor. Commentariis ad istum annum.* Alterum de aetate legis Papiriae indicium est in verbis: *Praetor* —— *Tresviros Capitales populum rogato*, unde apparet, ad illud tempus proxime pertinere legem Papiriam, quo Capitales Triumviri primum sunt creati: id etiam quo anno factum, disputant Interpretes: vix tempero me, quin ex aliis multis unicum hoc loco referam extremae inscitiae exemplum, quod praebuit IAC. GVTHERIVS *Lib. III. de Officiis domus Augustae cap.* 19. *Tom. III. Thesaur. Sallengr. col.* 560. ubi contra FVLVIVM VRSINVM, qui Triumviros Monetales ad Ciceronis fere tempora retulerat, disputans, contendit ex POMPONIO, eos ante captam Sardiniam, seu annum v. c. CDLXXXVIII. constitutos jam fuisse, in eaque re *Fastos Consulares* cum POMPONIO convenire, affirmat; quippe cum eodem tempore Triumviros Monetales et Capitales creatos prodat POMPONIVS, non solum ante captam Sardiniam, sed ante bellum Punicum primum constitutos Triumviros, contendit ex *Fastis Consularibus an.* v. c. CCCCLXV. unde haec profert verba

III. VIRI. CAPI. Q. MARCIVS. Q. F. P.
CORNELIVS A. F. TALES. PRIMI.
TREMVLVS ARVINA

GVTHERII de Triumviris Capitalibus opinionem, addita inscriptione, sed vitiosius adhuc exscripta, compilatam *Lexico suo Antiquitatum*, quo utinam labore imperitam abstinuisset manum! inseruit stupor SAM. PITISCI in voc. *Triumviri Monetales.* Operae pretium est cognoscere, unde tandem bona, ut videtur, fide hanc adeo pulcram et perpolitam ex *Fastorum Capitolinorum Tabulis*, ut nobis persuadet, Inscriptionem desumserit GVTHERIVS. Nempe in *Supplementis Fastorum Panvinianis*, editione an. 1557. (nam in ipsis quidem Capitolinae Tabulae *Fragmentis* hoc anno et aliquot insequentibus non nulla Magistratuum paria desiderantur) ita describitur annus Epochae Varronianae CDLXV.

CXXIII.

CXXIII. III. Q.	MARCIVS Q. F. Q. N. TRE-		P. CORNELIVS A. F. P. N.	
VIRI CAPI-	MVLVS	II	ARVINA	II
TALES. PRI-				
MI.				

unde simul ex marginali nota, a PANVINIO, ut alibi solet praeter Fastorum Capitolinorum rationem, apposita e regione hujus anni, & Consulum nominibus putidam hanc consarcinavit nobis Inscriptionem Parisiensis ille Curiae Advocatus et civis ac Patricius Romanus, probavitque, si Dis placet, ex *Consularibus Fastis*, isto anno primos Capitales Triumviros creatos, *Q.* scilicet *Marcium*, *P. Cornelium* et *Talen*, *Tremulo et Arvina Consulibus.* Ast me quidem ineptiarum jam dudum piget taedetque ac facile paterer, cum suis Auctoribus has nugas aeterna nocte tegi, nisi et documento nobis essent, quam facile interdum istud PITISCI *Antiquorum Errorum* Lexicon viros etiam eruditos, qui temere aliquando fidem ei habent, a vero bonoque secum abducat, si quidem doctiss. Anglus CONYERS MIDDLETON in *Monument. Erudit. Antiquit. pag.* 209. de *Triumviris Monetalibus* agens, auctoritate PITISCI provocat quoque ad *Fastos Capitolinos*, ut hos Triumviros ante bellum Punicum creatos esse, doceat. Verum his omissis saniora potius persequamur: Tresviros Capitales primum creatos ex lege Papiria ad an. v. c. CDLXIV. refert PIGHIVS in *Annal. T. I. pag.* 105. testibus *Liviana Epitome Lib. XI.* FESTO in *voc. sacramentum* ac POMPONIO in *l.* 2. *de O. J.* §. 30. ita tamen, ut nihil certi de ipso anno, quo primum constituti sint, definiri posse, ingenue fateatur, cum POMPONIVS multis demum annis post, Peregrino jam Praetore creato, imo post Centumviros ac Tresviros Monetales Capitales demum Triumviros memoret. Mihi quamvis aequali fide et auctoritate utriusque sit scriptoris testimonium ac neutri horum multum tribuam, in hac tamen caussa, verbis Papiriani Plebisciti motus, secundum POMPONIVM pronunciare et a communi doctorum hominum sententia diversus abire, nullus dubito: cum etenim ex formula legis Papiriae manifestum satis sit, Triumviros Capitales ex ipsa illa lege, quam supra post creatum Praetorem Peregrinum latam probavimus, demum constitutos esse, non potest non verissima esse POMPONII Chronologia, Triumviros Capitales memorantis post Praetorem Peregrinum

grinum, ſeu an. V. C. DXI. neque adeo opus eſt Juris Conſulto defenſione aut excuſatione RVPERTI *ad Pomponii Encheirid. cap.* 16.

Ex ſuperiori diſputatione, aetate legis *Papiriae de ſacramentis* definita, ſimul quoque patet, non ab eodem Papirio, ut volebat HOTOMANNVS, rogatam eſſe legem *Papiriam de Dedicationibus*, cujus CICERO mentionem fecit, quippe quam mox probabili conjectura oſtendemus, multo anteriorem fuiſſe: adde praenomen quoque utriusque Papirii diverſum, dum CICERO *Quinctum*, FESTVS *Lucium* memoret, diverſos harum legum latores Papirios probare.

PIGHIVS in *Annal. ad an.* V. C. CDXLVIIII. Papiriam legem *de Dedicationibus*, CICERONI memoratam, ipſo illo anno, vel paucis ante, latam eſſe, cum ex CICERONE tum ex LIVIO colligi poſſe arbitratur; nempe, cum Flavius, hoc anno Aedilis, contra morem majorum aedem Concordiae dedicaverit et Pontifex Max populi conſenſu coactus ſit verba praeire, exiſtimat vir cl. Papiria hac lege et hunc coactum praefari et illum dedicaviſſe videri; caeterum legem illam invito Senatu rogatam perlatamque, adnitente forenſi plebis factione: obtinuiſſe tamen in iſta Flavianae conſecrationis diſſenſione, id quod LIVIVS innuat, ut templa et arae deinceps exciperentur e lege nec, niſi juſſu Senatus vel Tribunorum plebis majoris partis, dedicarentur. Cl. autem BACHIVS in *Hiſtor. jurispr. Rom. Lib. II. cap.* 2. §. 22. legem, cujus meminit LIVIVS, rogatam putat P. Sulpicio et P. Sempronio Coſſ. eamque ipſam illam Papiriam videri apud CICERONEM *pro Dom. cap.* 50. Mihi autem, utriusque Auctoris verba probe attendenti, vel inde ſatis conſtitit, diverſas eſſe has leges: CICERO namque legem Papiriam, quam citat, *veterem* dicit *legem Tribuniciam* eaque ſancitum memorat, *ne quis injuſſu plebis*, id eſt, niſi ſuffragante plebe in Comitiis Tributis, *aedes, terram, aram conſecraret*. LIVIVS autem *ex auctoritate Senatus ad populum latum*, ſcribit, *ne quis templum aramve injuſſu Senatus aut Tribunorum plebei majoris partis dedicaret:* unde, ni fallor, jam ſatis certo apparet, Papiriam legem fuiſſe *Plebiscitum;* cum LIVIO memorata lex, ad quam Barbatus Pontifex provocat, *ex auctoritate Senatus ad populum* lata, adeoque in Comitiis Centuriatis a Majori Magiſtratu, *lex*, proprie ſic dicta, fuerit: tum ex lege Papiria requirebatur in dedicatione juſſus et conſenſus plebis, cum in altera lege apud LIVIVM poteſtas, eadem de re decernendi, Senatui tri-

P buatur

buatur aut majori parti Tribunorum plebis. Apparet igitur, has leges et ſpecie et ſententia diverſas fuiſſe. Quo autem minus credam cum PIGHIO, poſt aedem Concordiae a Flavio dedicatam, legem ex auctoritate Senatus demum latam eſſe, qua in illa diſſenſione obtinuerit Senatus, ne quis templum aramve injuſſu ejus aut Tribunorum partis majoris dedicaret, haec habeo argumenta: primo, quod vero ſimile haud ſit, paſſos hoc tempore fuiſſe plebejos, lege patricia ſuo juri aliquid derogari, id enim ſignificat vir cl. quando ſcribit, obtinuiſſe Senatores, ut templa et arae exciperentur e lege Tribunicia, quae, niſi conſenſu et auctoritate Senatus aut Tribunorum partis majoris, poſtea dedicari nequiverint. Secundo, ſi *templa* et *arae* fuerint exceptae ex lege, quaero, quid tandem ex plebiſcito Papiriano conſenſu plebis dedicare licuerit amplius? *aedes*, credo, reſpondebitur, *terram*, aliaque minoris momenti: quidni diſtinguendum igitur inter *aedes* et *templa*, ita ut ex lege Papiria aedes dedicare licuerit, non vero templa? haud crediderim facile; certe CICERO *pro Domo cap.* 49. et 50. de lege Papiria agens, vocabula *aedes* et *templum* promiscue ponit: neque aras poſtea lege Papiria dedicare haud licuiſſe, ex eodem CICERONIS loco docemur, cum nominatim *arae* memorentur in formula legis. Tertio denique ex LIVIO *Lib. II. c.* 27. §. 5. *ſq.* apparet, jam primis rei publicae temporibus competiiſſe jus Senatui, decernendi, quem vellet templa araſve dedicare. BALDVINVS autem *de Jurispr. Mucian.* inſerta *Jurisp. Rom. et Att. Tom.* I. *pag.* 476. *ſqq.* Papiriam legem, cujus CICERO facit mentionem, a C. Papirio Carbone, Tribuno pl. an. v. c. DCXXIV. latam arbitratur eamque legem ſequutum eſſe et reſpexiſſe Mucium Scaevulam, Pontificem Max. quando in cauſſa Liciniae, Virginis Veſtalis, pro collegio reſpondit, quod in loco publico Licinia C. F. injuſſu populi dedicaſſet, ſacrum non videri, teſte CICERONE *pro Dom. cap.* 53. Verum is C. Papirius Carbo Tribunus pl. non fuit anno DCXXIV. ſed duobus annis ante, Conſulibus Licinio Craſſo et Valerio Flacco, vid. PIGHIVS ad iſtum an. et FREINSHEMIVS *Supplem. Livian. Lib.* LXXIX. *cap.* 34. Caeterum C. illum Papirium Carbonem legis ejus Papiriae de *Dedicationibus* auctorem fuiſſe, nusquam vel minimo indicio apparet: contra autem CICERO diſerte *Quinctum* Papirium appellat *cap.* 49. *pro Dom.* tum etiam, cum CICERO legem Papiriam *veterem*

veterem nominat, antiquiora multo videtur tempora ſpectaſſe, quam quo BALDVINVS refert. Denique, cum Mucius Pontifex pro collegio reſpondit, *injuſſu populi* quod dedicatum ſit, *ſacrum eſſe non videri*, non adeo legem reſpexit Tribuniciam, ex qua in dedicando requirebatur *juſſus plebis*; nam illa duo *populi conſenſus* et *plebis juſſus* ſic puto diſtinguenda, ut *populi conſenſu* dedicare ſit, ſi lege ad populum lata dedicatio fiat, *plebis* vero *juſſu*, quando permittitur dedicatio in Comitiis Tributis rogato plebiſcito: ita ipſe CICERO diſtinguit *ad Attic. Lib. IV. Ep.* 2. *ſi neque* POPVLI *juſſu*, *neque* PLEBIS *ſcitu*, *qui ſe dedicaſſe diceret*, *ei rei praefectus eſſet.*

Vt igitur illuc redeam; ſatis, puto, ex diſputatis conſtabit, LIVII locum, ſublato verbo *eſt*, vel in τὸ *eſſe* mutato, corrigendum videri ac referendum ad negationem Pontificis Barbati, dum contra Flavium, a quo rogatus erat verba praeire, contendit, illum neque more majorum, cum Conſul aut Imperator non eſſet, neque jure, ſine conſenſu Senatus aut Tribunorum partis majoris, poſſe aedem dedicare; illud enim ſpectabatur maxime in dedicatione, *quis? quo jure? qua lege? quo exemplo et qua poteſtate* eſſet is, qui dedicare vellet; conf. CICERO *pro Dom. cap.* 49. Caeterum admodum vero ſimile mihi ſit, veteri lege Senatui tantum competiiſſe jus de dedicationibus decernendi, ut ex LIVIO *Lib. II. cap.* 27. colligere eſt, ubi, cum certamen Conſulibus Ap. Claudio et P. Servilio an. V. C. CCLVIII. incidiſſet, uter dedicaret Mercurii aedem, Senatus dicitur eam rem a ſe ad populum rejeciſſe; deinde haud multo tempore poſt latam eſſe illam legem, arbitror, ad populum ex auctoritate Senatus, ne quis injuſſu Senatus aut Tribunorum pl. majoris partis dedicaret; tandem vero, nondum contenta plebe, Tribunos ſuos in partem juris, Senatui olim competentis, veniſſe, hoc ipſo forſitan anno CCCCXLVIIII. a Q. Papirio legem Tribuniciam rogatam eſſe in favorem Flavii Aedilis, ut juſſu etiam plebis, invito licet Senatu, dedicare poſthac liceret, quo itaque ex plebiſcito Pontifex conſenſu populi, id eſt plebis, coactus fuit verba in dedicatione praefari, quamvis ille, perlata nondum lege Hortenſia, qua demum Tribuniciis rogationibus firmiſſimum legis robur inditum an. V. C. CDLXIV. nullis plebiscitis ſe teneri contendens, negaſſet, ſo-

 lem-

lemnem formulam in dedicatione aedis praeire, quia neque more majorum, neque jure aut lege Flavius dedicare posset.

Caeterum tempore CICERONIS duplex potissimum obtinuisse jus in Dedicationibus videtur, nempe, ut vel populi jussu, id est lege, vel plebis scitu, seu rogatione Tribunicia, opus esset illi, qui dedicaret, ut egregie patet ex *Lib. IV. ad Attic. Epist.* 2. ubi ex Pontificum decreto haec memorat verba: *si neque populi jussu neque plebis scitu, is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei praefectus esset, neque populi jussu aut plebis scitu id facere jussus esset, videri, posse sine religione eam partem arae (mi) restitui.* Delendum puto pronomen *mi*, verba enim sunt ipsa decreti Pontificalis: neque in his offendere quemquam debet eadem iisdem fere verbis iterata formula: *neque populi jussu neque plebis scitu* —— *nominatim ei rei praefectus esset:* et mox: *neque populi jussu aut plebis scitu id facere jussus esset*: nam et alibi pari modo utramque hanc formulam ita continuo junctam invenimus: CICERO *pro Dom. cap.* 53. ex *Commentariis* Pontificum memorat, M. Aemilium, Pontificem Max. pro collegio respondisse C. Cassio Censori: *nisi eum populus Rom. nominatim praefecisset, atque ejus jussu faceret, non videri ea recte posse dedicari.* Priorem CICERONIS locum produxit quoque GVTHERIVS *de Jur. Pontif. Lib.* III. *cap.* 12. eumque cum LIVII loco comparans, *ne quis templum aramve injussu Senatus, aut Tribunorum pl. partis majoris dedicaret*, populi jussum refert ad Senatum, plebis vero scitum ad Tribunorum pl. majorem partem: at vix crediderim, rite posse LIVIVM cum CICERONE hoc modo comparari; etenim, ut ex plebis scitu aliquis dedicaret, non major requirebatur Tribunorum auctoritas, sed vel unus Tribunus ferre rogationem poterat: Senatum autem, quamquam aliquando rogatus de dedicatione rem a se ad populum rejecit, ut supra vidimus, suo tamen jure atque auctoritate olim ea de re decernere potuisse, dubium est nullum: quare tempora potius, et quae LIVIVS respexit, et de quibus CICERO loquitur, distinguenda sunt, ut pro diverso tempore diversum obtinuisse jus videatur.

§. 3.

Cum maxime et PLINII de Cn. Flavio et Fastis testimonium referam ex *Lib. XXXIII. Hist. Nat. cap.* 1. ubi ita scribit: *Frequentier*

tior autem usus anulorum non ante Cn. Flavium, Annii filium, deprehenditur. Hic namque publicatis diebus fastis, quos populus a paucis Principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, alioquin libertino patre genitus et ipse Appii Caeci Scriba, cujus hortatu exceperat eos dies, consultando assidue sagaci ingenio, promulgaveratque, ut Aedilis Curulis crearetur cum Q. Anicio Praenestino, qui paucis ante annis hostis fuisset, praeteritis C. Petilio et Domitio, quorum patres Consules fuerant. Additum Flavio, ut simul et Tribunus plebis esset. Quo facto tanta Senatus indignatione exarsit, ut anulos ab eo abjectos fuisse, in antiquissimis reperiatur Annalibus. Fallit plerosque, qui tum et Equestrem ordinem id fecisse, arbitrantur: est enim adjectum hoc quoque: SED ET PHALERA POSITA: *propter quae nomen* EQVITVM *adjectum est. Anulos quoque depositos a* NOBILITATE, *in Annales relatum est: non a* SENATV VNIVERSO. *Hoc actum P. Sempronio Longo L. Sulpicio* COSS. *Flavius vovit aedem Concordiae, si populo reconciliasset ordines. Et, cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctaticia, foeneratoribus condemnatis, aediculam aeream fecit in Graecostasi, quae tum supra Comitium erat, inciditque in tabula aerea, eam aedem C. quatuor annis post Capitolinam dedicatam. Ita* CCCCXLVIII. *a condita Vrbe gestum est, et primum anulorum vestigium exstat.* Verba dedi ex editione Frobeniana an. 1535. quae sola nunc ad manus est. Non nulla hic obiter quoque animadvertenda, parum accurate tradita, partim ipsius culpa Auctoris, partim vitio librariorum. Anulorum usus ab antiquissimis temporibus Romae cognitus, sed diu ferreis tantum usi sunt promiscue; deinde paullatim Senatores aureis uti coeperunt, de quibus hic sermo; unde et ipso initio loci Pliniani legendum: *frequentior autem usus anulorum aureorum*, quod ultimum vocabulum sono ac terminatione vocis proxime praecedentis absorptum fuit. Deinde observandum, haud apte satis sibi invicem respondere, quod principio PLINIVS scribit, *frequentiorem* anulorum aureorum usum non ante Cn. Flavium deprehendi; sub finem vero, *primum* anulorum vestigium exstare an. V. C. CCCCXLVIII. certe apud LIVIVM *Lib. cit. cap. 7. §. 8.* in actis anni CDXXXII. adeoque duodeviginti ante Flavium annis, in publica civitatis calamitate latos clavos anulosque aureos positos, traditum legimus. Flavium, scribit PLINIVS, cum Q. Anicio Praenestino, *praeteritis C. Petilio et Domitio, quorum patres Consules fue-*

fuerant, Aedilem creatum: Domitio PIGHIVS praenomen tribuit *Cnaei*, supra autem ad an. CDXXI. *Caium* appellat, qua veteris Scriptoris auctoritate, nescio: pro *Petilio* ex orthographia *Fastorum Capitolin.* scribendum omnino POETELIO; nullus enim *Petilius* vel *Petillius* ante hunc annum Consulatu functus, sed *Poetelius:* C. Poetelius, hic memoratus, filius forte fuit M. Poetelii Libonis, Consulis an. CDXXXIX. Domitius autem filius erit Cn. Domitii, Consulis an. CDXXI. ubi conf. PIGHIVS. Refutat deinde PLINIVS eos, qui hoc anno Equestrem quoque ordinem anulos deposuisse, arbitrantur, errorem inde natum ratus, quod in antiquissimis Annalibus reperiatur: *sed et phalera posita*, propter quae nomen *Equitum* adiectum sit: LIVIVS, eandem hanc rem exponens, *plerosque*, scribit, *Nobilium anulos aureos et phaleras deposuisse:* ubi, *anulos* cum dicit Nobiles deposuisse, *Senatores* intelligit, *phaleras* autem *Equites:* nec video tamen, quid adeo fefellerit plerosque, si in Annales retulerint, Senatum et Equites anulos posuisse, modo de anulis in genere tam ferreis, quam aureis, intelligas, quos, in communi civitatis indignatione ob Aedilitatem Flavii, Nobiles tum Senatores cum Equites abiecerint. Tandem subiungit, in Annales relatum quoque *a Nobilitate* anulos depositos, unde arguit, non universum Senatum deposuisse; recte sane: non tantum ob eam caussam, quod nondum omnes Senatores, quamvis iure anuli aurei gauderent, eo uterentur, sed vel maxime, quod indignatio de Flavii Aedilitate Nobiles et Patricios vexaret, non universum Senatum: KIRCHMANNVS autem in *Libr. singul. de Anulis cap. XV. pag.* 122. *sq.* cum Livianis haec verba componens, existimat, solos Nobiles et quidem eos tantum, qui in Senatum allecti essent, aureis usos anulis fuisse; id vero unde collegerit, equidem non video: vero simile magis est, ratione dignitatis Senatoriae, universo ordini competiisse ius, anulos aureos gestandi; cum vero *Nobiles* tantum deposuisse memorent, non eo significare voluerunt, quosdam in Senatu eo iure non gavisos, sed Patricios tantum, qui maxime factioni forensi adversarentur, tam Senatores, quam Equites suae insignia dignitatis abiecisse, non omnes, qui in Senatum adlecti essent a Censoribus, cum et inter illos fuerint haud dubie Flavii quidam fautores, qui in hac Patriciorum indignatione laetarentur. GEORG. autem LONGVS in *Tractat. de Anulis signa-*

ſignatoriis pag. 36. ex hoc PLINII loco infert: ipſum quoque Cn. Flavium, tanquam eſſet ingenuus, aureo anulo uſum eſſe: ſed horum nihil plane ex PLINIO aut aliunde docemur.

Conſules nominat PLINIVS *P. Sempronium Longum* et *L. Sulpicium.* Ex *Tabulis* vero *Faſtor. Cap. Conſularibus* et *Triumphalibus* vera utriusque Conſulis nomina dudum reſtituerunt SIGONIVS et PIGHIVS *P. Sempronium Sophum* et *Sulpicium Saverrionem:* ut mirum ſit, tanta religione teneri HARDVINVM, ut probatiſſimi hujus Monumenti fide contra ſcriptos codices Plinianos mutare nondum auſit vitioſe exarata nomina, cum tamen ex omni Monumentorum Lapidarium copia hosce Faſtos Capitolinos pro ſinceris et genuinis habeat; vid. ejus *Proluſio de Num. Herod. pag.* 68. *Longi* cognomen, pluribus Romanorum gentibus uſitatum, reperitur quoque in Semproniis et Sulpiciis; cum autem *Sophus* nova fuerit in hoc Sempronio ἐπίκλησις, quae ab inſigni juris ſcientia ei adhaeſit, vid POMPONIVS de *O. I. l.* 2. §. 37. atque adeo, ut multi apud Romanos alii, videri poſſet Sempronius duplici cognomine uſus, altero *Longo* hereditario, altero *Sopho*, recens adſcito vel impoſito, quod tamen poſterius cognomentum prius paullatim obliteraverit: atque ita forte defendi poſſet, recte illud haberi in Plinianis codicibus: cum vero Faſti Capitolini, ubi diligenter et vetera et nova cumulari ſolent cognomina, *Longi* cognomen in Sempronio hoc non agnoſcant, hic quoque ex contextu eliminandum cenſeo, ex margine a Librariis intruſum, cum PLINIVS, ut alibi ſaepius, utrumque hujus anni Conſulem, omiſſo cognomine, potius videatur nominaſſe *P. Sempronium* et *P. Sulpicium.*

Poſtremo ſcribit PLINIVS, Flavium incidiſſe in Tabula aerea, aedem Concordiae *C. quatuor annis poſt Capitolinam dedicatam: itaque anno* CCCCXLVIII. *a condita Vrbe haec geſta eſſe.* Quod ad annum Vrbis conditae, is procul dubio fuit ex rationibus Faſtorum Capitolinorum CDXLIX. ex Varronis autem calculo CDL. nam in ipſa Aedilitate Flavium et voviſſe aedem Concordiae et dedicaſſe, ſatis certo apparet: fruſtra profecto ac perperam GVTHERIVS *Lib. III. de Jur. Vet. Pontif. cap.* 12. dedicaſſe Flavium hanc aedem, ſcribit, an. CCCCLVII. *Q. Fabio Maximo et P. Decio Mure Coſſ.* Quo autem modo annus v. c. Plinianus CDXLVIII. componatur cum anno poſt Capitolinam aedem dedicatam CIV. vel ut aliae editiones, etiam HARDVINI,

DVINI, habent, CCCIV. haud facile dixerim, salvis numerorum notis. Aedes Capitolina seu Capitolium alii Scriptores vetusti primo M. Horatii Pulvilli Consulatu adeoque an. v. c. Varr. CCXLV. alii autem eodem iterum Consule, id est anno demum tertio post, dedicatum scripserunt. Sed difficilior et incerta prorsus est hujus rei disputatio, tum quod PLINIVS rationibus Varronianis, quas fere sequitur, interdum Catonianam epocham immiscet, tum etiam, quod compertum minus, quo modo Flavius in Inscriptione templi annum aedis Concordiae, a se dedicatae, commiserit cum anno aedis Capitolinae, utrum ab ipso anno Regifugii, an vero potius a tertio inde post expulsos Reges anno: si ab ipso Regifugio, quod vero simile est, annus post Capitolium dedicatum CCIV. respondebit anno v. c. CDXLVIII. Catoniano. conf. DODWELL de *Cyclis Diss. X. pag.* 577. et 597.

§. 4.

Quae supra exposui PISONIS, LIVII ac PLINII loca, cum hic illic obiter animadversione aliqua indigerent, diutius nos morati sunt: nunc aliorum etiam, qui de Flavio nostro meminerunt, Scriptorum testimonia, recensebimus breviter. CICERO in *Lib. de Rep.* ut *supr. cap. III.* §. 1. ex ejusdem *Epist.* 1. *ad Att. Lib. IV.* memoravimus, communem ac publice receptam opinionem sequutus, docuerat: *Cn. Flavium M. F. Scribam, Fastos protulisse Actionesque composuisse.* Idem in *Orat. pro L. Muraena cap.* 11. juris Consultorum scientiam sugillans, velut tenuem ac in literis tantum modo et verborum interpunctionibus occupatam, illud studium, si quid olim admirationis habuerit, enunciatis mysteriis, totum jam esse contemtum abjectumque, existimat: *inventus est*, inquit, *Scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit et singulis diebus ediscendos Fastos populo proposuerit et ab ipsis cautis Juris Consultis eorum sapientiam compilarit.* Pulcre dicit *cornicum oculos confixerit*, id est circumspectos, callidos cautosque Juris Consultos, qui fere per sesqui saeculum summa concordia Fastos et Actiones, mysteria totius juris, omni cura plebi occultaverant, deceperit et ipsorum scientiam, singulis diebus consultando et Actiones memoriae mandando, compilaverit: vid. de hoc Proverbio ERASMVS *Chil.* 1. *Centur.* 3. *N.* 75. et BV-

DAEVS

DAEVS in *Annotat. ad Pandect. p.* 20. *C.* ubi et huic proverbio non absſimile putat, quod apud PLAVTVM et alibi occurrit, *os ſublinere:* at mihi tamen illa duo maxime differre videntur; *cornicum oculos configere* eſt verſutos homines et callidos arte eludere; *os vero ſublinere* eſt verba dare et homines ſimplices minimeque vaſros bonis verbis circumducere, adulari. Ac denique *Lib.* 1. *de Orat. c.* 41. *veteres illi*, ſcribit, *qui huic ſcientiae* (Juris Civilis) *praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae ſuae cauſſa, pervulgari artem ſuam noluerunt: deinde poſtea quam eſt editum, expoſitis a Cn. Flavio primum Actionibus, etc.*

DIODORVS SICVLVS *Bibl. Hiſtor. Lib. XX. cap.* 36. *Tom. II. edit. Weſſeling. pag.* 431. *ſq.* de Appii Claudii Cenſura agens ad annum V. C. CDXLIII. quo Conſules fuere Q. Fabius II. et C. Marcius, tradit, Appium Cenſorem, ut plebi gratificaretur, nullam Senatus rationem habuiſſe —— κατέμιξε δὲ καὶ τὴν Σύγκλητον, οὐ τοὺς εὐγενεῖς καὶ προέχοντας τοῖς ἀξιώμασι προσγράφων μόνους, ὡς ἦν ἔθος, ἀλλὰ πέλλους καὶ τῶν ἀπελευθέρων ἐνίους ἀνέμιξε. quae neſcio verba an ſic ſatis accurate verterit Latinus Interpres: *Senatus quoque ordinem temperavit, non ſolum Nobiles et dignitate praeſtantes, ut moris hactenus fuerat, legendo, ſed e plebe et libertinorum quoque cenſu non nullos admiſcendo:* notat ſummus WESSELINGIVS ad verba ἀλλὰ πόλλους καὶ τῶν —— ἐνίους ἀνέμιξε· in oratione hiatum eſſe ac legendum forte πόλλους τῶν δυσγενῶν aut, ſi id nimium putetur, τοὺς πόλλους, id eſt *plebem*; inquinaſſe enim Appium Senatum humiles et libertinorum filios legendo, vid. LIVIVS *Lib. IX. cap.* 30. et 46. Quod ſi vero mecum exponas et vertas hoc modo: *inquinavit etiam* (Appius) *Senatum, non tantum non legendo illos ſolum, ut moris erat, qui vel nobilitate vel dignitate praeſtarent; ſed et multos* (id eſt ſolito plures, quo et ipſa multitudine contemtior is ordo fieret, et Appius in Curia majores ex factione ſua ſibi pararet opes) *et quosdam libertinorum* (forte rectius καὶ τῶν ἀπελευθέρων υἱοὺς *et libertinorum filios*) *admiscuit:* nullus, credo, erit hiatus nec ulla correctione indigebimus. Deinde, interpoſitis paucis, pergit DIODORVS: in Equitum Cenſu nemini, ſcribens, equum ademtum, in Senatorum

etiam lectione nullum ex indignis Senatu motum, quod a Censoribus factitari soleret: contra vero alii Scriptores, quotquot de hujus Appii Censura meminerunt, nihil quidem de Equitum recensione memorant, caeterum in legendo Senatu, quosdam praeteritos fuisse, testantur: vid. LIVIVS *Lib. IX. cap.* 30. Nihil tamen in eo pugnae DIODORVM inter aliosque offenderis; nam praeteritos fuisse quosdam in Senatu et ipse supra significat, scribens: Appium Senatum inquinasse ὀυ τοὺς εὐγενεῖς —— προσγράφων· *non legendo*, id est praetereundo, *Nobiles:* hic autem, cum dicit: κατὰ μὲν τὴν Ἱππέων δοκιμασίαν οὐδενὸς (ubi ex posteriori membro repetendum τῶν ἀδοξούντων) ἀφείλετο τὸν ἵππον· κατὰ δὲ τὴν τῶν Συνέδρων καταγραφὴν ὀυδένα τῶν ἀδοξόυντων Συγκλητικῶν ἐξέβαλεν· non quidem significat, prorsus nemini a Censore equum ademtum aut nullum Senatu motum, sed nemini τῶν ἀδοξούντων equum ademtum aut quemquam ex indignis Senatu motum esse; quos scilicet Appius suae factioni contra Patriciorum invidiam maxime idoneos sibi et fautores retinere maluit eoque sibi beneficio magis devincire: itaque ergo, cum DIODORVS *neminem ex indignis motum*, LIVIVS autem *potiores quosdam praeteritos* fuisse, memorent, unum prorsus idemque significant.

Ad Appii hujus lectionem Senatus pertinet quoque HORATII locus *Lib. I. Satyr. VI. vs.* 20. et 21. nondum, ut puto, recte satis explicatus ab Interpretibus: ita scribit:

> *Namque esto: populus Laevino mallet honorem*
> *Quam Decio mandare novo: Censorque moveret*
> *Appius, ingenuo si non essem patre natus.*

ubi quae Scholiastes ACRON notat: *hic est Appius, qui libertinos in urbe Tribunos redegit:* tanti non sunt, nec pro vero accipienda; voluit forte in *urbanas tribus redegit:* sed neque illud Appio tribuendum, qui humiles et libertinos per omnes tribus dispersit, verum Fabio Maximo, Lustri, anno V. C. CDXLIX. conditi, cum P. Decio Censori, is enim, ne humillimorum in manu Comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor rursum tribus urbanas conjecit, vid. LIVIVS *Lib. IX. c.* 46. §. 14. natus procul dubio Scholiastae er-

error, quod vetuſtioris Commentatoris verba, qui notaverat, illum eſſe intelligendum hic loci Appium, qui humiles et libertinos per omnes tribus diſperſerat, quos deinde rurſum Fabius in quatuor tribus urbanas redegit, peſſime ſuo more compilaverit. Quae CRVQVII Scholiaſtes habet, haud multo ſunt ſaniora: BAXTERVS Appium putat hic memorari, quod ſeveriſſime Cenſuram rexerit et plebi fuerit infeſtiſſimus: quod poſterius ſane contra ex vetuſtis Scriptoribus apparet: ſola interpunctione locus intelligi rite poteſt, nempe verſu tertio in fine interrogationis ſignum ponendum eſt: *namque eſto*, dicit, populus, qui ignava ſaepe ducitur nobilitate et mavult nobili cuipiam honores mandare ſuos, quam homini novo; an vero Cenſor etiam Appius, quod libertino patre natus eſſem, me Senatu moveret? quae interrogatio, ut ſaepe alias, negationem complectitur; quaſi dicat; propter eam certe cauſſam Appius Cenſor minime Senatu me moveret: aut forte leg. *Cenſorne moveret*.

Tandem et haec addit DIODORVS: Conſules invidia ſtimulatos, tum quod Nobilitati vellent gratificari, Senatum coëgiſſe non, ut ab Appio lectus eſſet, ſed quem ad modum proximi priores Cenſores in catalogum retuliſſent: plebem vero huic rei obnitentem Appii cauſſae faviſſe: καὶ τὴν τῶν δυσγενῶν πϱοαγωγὴν βεβαιῶσαι βουλόμενος Α᾿γοϱανόμον εἵλετο τῆς ἐπιφανεστέϱας Α᾿γοϱανομίας υἱὸν ἀπελευθέϱου Γναῖον Φλάυιον, ὃς πϱῶτος Ρωμαίων ἔτυχε ταύτης τῆς ἀϱχῆς, πατϱὸς ὢν δεδουλευκότος· ita legendum puto hunc locum cum celeb. WESSELINGIO. Caeterum obſervandum quoque, DIODORVM haud ſatis apte ſuis quaeque temporibus hic diſtribuiſſe: Appii enim Cenſura Flavii Aedilitatem novem praecedit annos, ut ex veriſſima *Tabulae Capitolinae* Chronologia tum LIVIO et aliunde maniſeſto conſtat: DIODORVS autem, cum Appium Cenſorem creatum referat Q. Fabio II. C. Marcio Conſulibus ſeu anno V. C. CDXLIII. ejus Cenſuram tertio anno ſerius ponit, quam aliorum habent Annales cum Faſtis Conſularibus: quod ſi autem dicas, Appium, circumactis decem et octo menſibus, quibus lege Aemilia praeſcriptum Cenſurae ſpatium temporis erat, cum Plautius collega ejus Magiſtratu jam abdicaſſet, ipſum nulla vi compelli potuiſſe, ut idem faceret, verum continuaſſe Magiſtratum, vid. LIVIVS *Lib. cit. cap.* 33. adeoque et annum V. C. quo refert DIODORVS Appii Cenſuram, CDXLIII. quinquennali hoc Magiſtratu contineri; ne ſic quidem culpae abſolveris Auctorem, cum pleraque, quae ad Cenſurae munia pertine-

tinerent, ab Appio Plautioque primo Magiſtratus anno peracta eſſe, LIVIVS nos dubitare non ſinat, *cap.* 30. Conſules ſequentis anni memorans C. Junium Bubulcum III. et Q. Aemilium Barbulam II. initio anni queſtos apud *populum* (PIGHIVS male omnino legendum conjicit apud *Patres*, nullo adſtipulante codice: accedit, quod incongruum plane fuiſſet, ſi Conſules querelam de prava Senatus lectione ad ipſos Patres detuliſſent; neque enim Cenſoria majeſtas ſub arbitrio Senatus, ſed contra ipſe Senatus ſub ditione et nutu hujus Magiſtratus fuit, vid. LIVIVS *Lib. IV. c.* 8.) deformatum ordinem prava lectione, qua potiores aliquot lectis praeteriti eſſent, negaſſe, eam lectionem ſe obſervaturos.

VALERIVS MAXIMVS *Lib.* II. *cap.* 5. *ex.* 2. *Jus Civile*, ſcribit, *per multa ſaecula inter ſacra caerimoniasque Deorum immortalium abditum ſolisque Pontificibus notum, Cn. Flavius, libertino patre genitus et Scriba, cum ingenti Nobilitatis indignatione factus Aedilis Curulis, vulgavit ac Faſtos paene toto foro expoſuit, etc.* Iterum Flavii mentionem facit *Lib. IX. cap.* 3. *ex.* 3. *itaque ne illi quidem*, inquit, *probandi, quamvis factum eorum Nobilitatis ſplendore protectum ſit, qui, quod Cn. Flavius, humillimae quondam ſortis, Praeturam adeptus erat, offenſi anulos avreos ſibimet ipſis et phaleras equis ſuis detractas abjecerunt:* conf. quae ſupra ad PLINII *locum* hac de re diſputavimus.

His tandem ultimo loco ſuccedat POMPONIVS ICtus, qui in *l.* 2. §. 7. *de O. J.* ita de Flavio ſcribit: *Poſtea cum Appius Claudius propoſuiſſet et ad formam redegiſſet has Actiones, Cnaeus Flavius, Scriba ejus, libertini filius, ſubreptum librum populo tradidit: et adeo gratum fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret et Senator et Aedilis Curulis: hic liber, qui Actiones continet, appellatur* IVS CIVILE FLAVIANVM, *ſicut ille* IVS CIVILE PAPIRIANVM: *nam nec Cnaeus Flavius de ſuo quicquam adjecit libro:* plura ad hunc etiam locum obſervanda et animadvertenda, de quibus infra videbimus. Obiter MACROBIVS quoque Flavii mentionem facit *Lib. I. Saturn. cap.* 25. *Faſtos a Cn. Flavio Scriba, invitis Patribus, in omnium notitiam proditos*, memorans. An vero ad eundem quoque Flavium, ut putat DODWELLVS, pertineat alter MACROBII ejusdem locus *Lib. cit. c.* 14. ubi Caeſarem Julium, ſcribit, inconſtantiam temporum vagam

et

et incertam in ordinem coëgiſſe, *adnitente ſibi M. Flavio Scriba*, infra ſuo loco diſputabimus.

§. 5.

Hactenus, quotquot in veterum Annalibus memoriae prodita inveni de Flavio et Faſtis teſtimonia, ordine recenſui, cum maxime exponenda accuratius et, ſi qua fieri poteſt ratione, in concordiam redigenda. In praenomine tum Flavii ipſius, tum patris quoque ejus, maxime variant codices ſcripti editique, vid. praeter alios cl. DRAKENBORCHIVS ad *Livii loc. cit.* Equidem plurium teſtimonio Scriptorum ac meliorum librorum fide *Cn. Flavium Cn. Filium* appellatum crediderim cum viris doctis. PISO tamen CALPVRNIVS plus ſimplici vice *Annii filium* nominat, atque ita etiam PLINIVS, probante GROTIO *Lib. I. de Vit. Ictor. pag. 9.* aliisque pluribus. Doctiſſ. autem CORRADVS in *not. ad Cic. Epiſt. 1. ad Attic. Lib. VI.* in codice Msto Gelliano inveniſſe ſe teſtatur *Cn. Flavium* ANCI *filium* idque, ceu compendificatum, interpretatur ANCILLAE *filium*; in primis, cum Scriptores fere omnes addant, Flavium *patre libertino natum*, neque usquam notam F. ut in aliis ſolet, ſed integre ubique vocem *filius* perſcribant: quam conjecturam credit cl. DRAKENBORCHIVS firmari etiam teſtimonio DIODORI, ubi quorundam fide exemplarium appellatur Flavius υἱὸς ἀπελευθέρου γυναίου Φλάυιος et filius dicatur πατρὸς δεδουλευκότος· verum, vitioſam eſſe lectionem illam et pro γυναίου corrigendum omnino Γναῖος, haud credo, quisquam dubitabit. Caeterum plane probanda non eſt CORRADI opinio, quippe communi non tantum Scriptorum omnium teſtimonio contraria, ſed cui etiam vel res ipſa repugnat: ſi enim patre libertino natus eſt Flavius, ut affirmant uno ore cuncti et ipſe conſentit V. D. prorſus non video, qui *ancillae filius* dici poſſit: Servius Tullius rex *ancilla natus* et *ancillae filius* alicubi apud veteres appellatur, quod re vera matre ſerva natus eſſet adeoque et ipſe ſervili fuerit conditione, matris calamitatem ſequutus: Flavius autem cum *libertini filius* dicatur, vellem, docuiſſet nos CORRADVS, quo tandem

 modo

modo ex jure Romanorum idem ſimul quoque *ancillae filius* recte potuiſſet nominari, niſi forte quis dicat libertino patre at matre ſerva natum eſſe: ſed Flavium legitimis procreatum nuptiis, quae libertinum inter ſervamque ne quidem conſtabant, arguit ſatis, quod patris conditionem ſequutus *libertini filius* dicatur ab ipſoque patre deſcribatur apud PISONEM *Annii filius:* quod ſi contendas autem, Flavium, ſervili conditione natum, cum patre ac matre ſerva forſitan manumiſſum poſtea, ſic recte *ancillae filium* dici poſſe; non nego: at vero tum *libertini filius* non erat appellandus, ſed ipſe fuiſſet *libertinus;* quod, quantum a vero abſit, ex Magiſtratu Curuli, quem geſſit, facili datur cognoſcere negotio. Quod autem de ſigla literae F. nos monet V. D. fruſtra quoque eſt nihilque probat, cum Librarii multis in locis ea in re varient ac ſaepe vocem illam, ubi praenomini patris additur, omnibus literis ſoliti ſint exarare: quin in Lapideis quoque Monumentis poſterioris aliquanto aevi ſine ulla neceſſitate, factitatum id non nunquam, alibi obſervabimus. Porro ex memorata codicis Gelliani lectione *Anci filius*, a CORRADO primum producta, at GELLII Editoribus ignorata, putat DRAKENBORCHIVS, haud male ita apud PLINIVM ipſumque PISONEM loco *Annii* emendandum eſſe; modo poſſet aliunde probari, Flavios e Sabinis oriundos, unde, teſte VARRONE apud VALERIVM MAXIMVM in *Epit. Lib. X.* praenomen *Anci* Romam translatum eſt: verum tamen et illa incerta inſtabilisque eſt conjectura, cum, quod *Anci* non tantum praenomen in Flaviorum gente incognitum ſit plane et Romanis quoque inuſitatum; nam in rege quidem Marcio cognomen potius fuit, ut diximus ſupra *cap.* 2. §. 2. *pag.* 36. tum etiam, quod aliorum multo ſit probabilior ſententia, *Anci* dictum nomine, qui cubitum haberet vitioſum et incurvum, Graecis Ἀγκών, ut adeo et Romani et Sabini eodem fonte hoc nomen derivarint neque neceſſe fuerit e Sabinis Romam transferri. Verbo notandus etiam HARDVINVS, in *not. ad Plinii loc. cit.* contendens, recte Flavium *Annii filium* appellari, quando quidem *Annio* libertino, matre vero *Fulvia* (*Flavia* voluit) libertina natus, de more nomine matris, quippe nobiliori, maluerit inſigniri. Obtinuit, fateor, aliquando Romae, ut filii cognomen ex gentilicio materni generis nomine ſibi adoptarent, libera etiam re publica; unde Catonis

Catonis Cenſorii alter filius M. Cato *Salonianus*, cognomento a *Solonio*, patre matris ſuae, ipſi dato, vid. GELLIVS *Lib. XIII. cap.* 19. ſub Imperatoribus vero, mutata veteri nominum ratione, ipſum quoque gentilicium matris nomen filii interdum adſciverunt, ſpurii praeſertim et illegitimis nuptiis procreati, de quibus praeclara obſervavit celeberr. H. CANNEGIETERVS *de Nominibus cap.* 5. *pag.* 20. *ſqq.* hoc vero tempore, quo de nos agimus, ſaeculo poſt v. c. quinto, quando conſtans nominum apud Romanos uſus et ratio obſervabatur, uſitatum fuiſſe, ut quis maternae gentis appellaretur nomine, etiamſi ſpurius eſſet, haud ullum facile reperias in Annalibus exemplum. *Annii* autem *filius*, quamquam ter repetitum in PISONIS loco (niſi quod SCIOPPII tamen exemplaria *Cn. filium* exhibeant) conſtanter legitur, quo minus probem, facit, quod *Annii* nomen gentilicium ſit, idque adeo in Flavio patre praenominis vice fungi haud potuerit. conf. MANVTIVS *ad Ciceron. Ep.* 1. *Lib. VI. ad Attic.* Quod ſi vero et nobis conjiciendi detur poteſtas, quam nemo aequus negaverit, nihil forte rectius aut probabile magis poterit ex variantibus tot et pugnantibus ubique codicum lectionibus elici, quam Flavium patrem praenomine *Marci* uſum fuiſſe, ut hic illic in quibusdam codicibus ſcriptis exhibetur, non adeo, quia *Cnaei* praenomen alibi in Flaviis nusquam occurrit, quod ſcio, quam ſit infirmum argumentum, ſed vel in primis, quod *M. Flavium* invenio Tribunum plebis anno v. c. CDXXVI. apud LIVIVM *Lib. VIII. c*, 22. §. 3. *ſq.* et *cap.* 37. §. 8. cujus quidem M. Flavii, de quo infra dicendi occaſio recurret ſemel atque iterum, pater Flavii Scribae ſervus manumiſſus videri poteſt ac more Romanorum a patroni nomine appellatus *M. Flavius*, unde noſter *Cn. Flavius M. F.* Caeterum, quod alias, ut familiarum illuſtrium ſtemmata componamus, non poteſt non eſſe neceſſarium, ut diligenter ſingulorum praenomina perſpecta habeamus, in Flavio noſtro, ἀγενεαλογήτῳ, parum referre arbitror, quo praenomine vel ipſe vel pater ejus fuerit uſus; quare vulgarem amplexus aliorum ſententiam, haud invitus *Cn. Flavium Cn. F.* dixerim.

§. 6.

§. 6.

Porro *libertini filium* et *Scribam* fuiſſe Flavium, omnes unanimi conſenſu tradunt veteres: de utroque videbimus. Quem *libertini* nomine intelligere debeamus, ipſum *manumiſſum*, an vero *filium manumiſſi*, nondum videtur ſatis eſſe in comperto; idque DIODORI SICVLI cauſſa, ut imperitiae Latini ſermonis, quo nomine VV. DD. inſimulant eum, abſolvatur, operae pretium eſt, paucis inquirere. LIVIVM, ubi a Cenſore Appio *libertinorum filios* in Senatum lectos memorat et cum PISONE aliisque, qui de Flavio meminerunt, illum *libertini filium* tradit, nemo eſt fere Interpretum, quin *libertinorum* nomine tantum modo hic intellexiſſe arbitretur, non *ſervos manumiſſos*, ſed *manumiſſorum filios*, ut *libertinorum filii* dicantur in Senatum lecti, quorum jam avi ex juſta ſervitute fuiſſent liberati, paritérque et Flavium *libertini filium* interpretantur, cujus avus fuerit manumiſſus. Illa cum penitus doctorum hominum animos occupaſſet opinio, haud potuit DIODORVS Cenſoriam Criticorum notam et animadverſionem effugere, ſcribens, Appium Claudium ἀπελευθέρων ἐνίους (vel potius υἱοὺς ex noſtra emendatione) in Senatum allegiſſe; et deinde Flavium noſtrum non ſolum ἀπελευθέρου υἱὸν (nam id forte quis defendat ita, ut ἀπελευθέρους dixerit ἀντὶ τοῦ ἀπελευθερικούς) ſed apertiſſime quoque ipſum tradat Flavii Scribae patrem ſervitutem ſerviiſſe in verbis πατρὸς ὢν δεδουλευκότος· Linguae Latinae imperitia peccaſſe DIODORVM notant VV. DD. quippe qui ignoraverit verum vocabuli *libertinus* uſum et ſignificationem, quam in priscorum Annalium libris obtineat, ubi nempe *libertini* non ſint ipſi manumiſſi, ſed horum filii, vid. *Interpp. ad Liv. et Diodor. ll. cc.* Vnicus eſt SVETONII locus, qui viros doctos in hac cauſſa egit transverſos et perſuadere potuit, ut ita ſentirent; ſcribit ille in *Claudio cap.* 24. *Latum clavum, quamvis initio affirmaſſet, non lecturum ſe Senatorem, niſi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit; ſed ſub conditione, ſi prius ab Equite Romano adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem verens, etiam Appium Caecum, Cenſorem, generis ſui proauctorem,* LIBERTINORVM FILIOS *in Senatum allegiſſe docuit: ignarus,*

rus, *temporibus Appii et deinceps aliquamdiu*, LIBERTINOS *dictos*, *non ipsos*, *qui manumitterentur*, *sed ingenuos ex his procreatos.* Quo ex uno loco, haud rite satis intellecto, existimarunt plerique, Appii hujus aetate et post etiam aliquamdiu, *libertini* nomen datum fuisse illis, quorum parentes servi libertate fuissent donati, ingenuos autem fuisse ex his procreatos, manumissorum nepotes: alii vero, quos inter praecipue SIGONIVS *de Ant. Jur. Civ. Rom. Lib. I. cap.* 6. fidem SVETONIO derogantes, multis in contrariam partem disputant, *libertos* non nisi respectu Patronorum, *libertinos* autem ratione status vel conditionis ita appellatos, caeterum manumissorum filios fuisse ingenuos. Sed vero opponunt rursum alii, ad fidem gravissimi Auctoris elevandam, non utendum in hac caussa testimoniis, ex CICERONE et LIVIO, utroque plus annis ducentis Appio posteriore, depromtis, quando vetus illa vocabuli significatio usu dudum recessisset: vid. cl. DVKERVS *ad Livium Lib. IX. cap.* 46. §. 10. verum tempora maxime distinguenda esse, conf. doctiss. MASSONVS in *vit. Horatii pag.* 4. *sqq.* ita ut olim Appii Caeci temporibus ipsi manumissi fuerint *liberti*, horum autem filii *libertini* appellati; postea CICERONIS aetate ac deinceps illud discriminis obtinuisse, ut *liberti* dicerentur, respectu habito ad solum patronum, *libertini* ratione status civilis. Verum tamen, quod ad prius attinet discrimen *libertos* inter ac *libertinos*, difficulter admodum, credo, quisquam aliunde, praeterquam unius testimonio SVETONII, qui levi vitio laborat, probabit: tum etiam illud quaero, cum viri docti contra SVETONII testimonium non admittant aliorum Scriptorum auctoritatem, eo quod more sui saeculi locuti sint, *libertinos* appellitantes ipsos manumissos, cur eosdem Auctores, quando illi Appium Censorem *libertinorum filios* in Senatum legisse et Flavium *libertini filium* memorant, ibi tantum ex usu prisci aevi loquutos arbitrentur, ac non potius, ut alibi, ita pariter iis in locis, *libertinorum filios* dixisse, pro filiis manumissorum servorum. Sed nihil opus erit longiori ambage; omnis enim difficultas mox erit sublata, si cum peritissimo ERNESTIO ad *h. l.* et in *Clav. Ciceron. voc. libertinus* ita explices, non id voluisse SVETONIVM, Appii temporibus inter *libertos* et *libertinos* obtinuisse discrimen, quod vulgo VV. DD. censuerunt, sed hoc potius docere, ea aetate ac deinceps aliquamdiu, non tantum ipsos manumissos,

 verum

verum et eorum filios *libertinos* fuisse nominatos; quem verborum sensum haud sane difficulter ex ipso SVETONIO intelligemus, si priori membro *non ipsos* accipiamus pro *non modo ipsos;* quem ad modum veteres Librarios cepisse, quorumdam codicum lectiones persuadent; posteriori autem commate una vocula, quae facile vel omitti vel absorberi potuit, restituta, legamus: *libertinos* dictos *non* (id est *non tantum*) *ipsos, qui manumitterentur, sed* ET *ingenuos, ex his procreatos.* De ellipsi particulae *solum* in hujusce modi formulis saepius egerunt jam alii, vid. cl. BVRMANNVS in *Comm. ad Phaedr. Prolog. Lib. I. vs. 6.* OVDENDORPIVS ad *Sueton. Aug. c. 7.* et *Claud. 24.* credo tamen, nusquam apud Latinos ellipticam phrasin illam obtinere, nisi saltem alterutro membro periodi particula exprimatur; adeo ut recte atque eleganter dixeris v. g. *non modo, non solum, non tantum* —— *sed,* pro *sed etiam:* vel contra, *non* —— *sed et* vel *sed etiam,* pro *non solum, non tantum;* nusquam vero, nisi exciderit Librariorum culpa, particulam arbitror utroque loco desiderari: neque adeo hoc loco vulgata lectio *non ipsos* —— *sed* —— defendi potest, sed alterutrum eligendum vel *non modo ipsos* —— *sed* —— vel *non ipsos* —— *sed et:* et sic pariter apud FRONTINVM *Strategem. Lib. II. cap. 13. ex 5. non armis, sed vulneribus oneratus* corrigendum puto *sed et;* nisi particulam *non* explicare malis *non adeo,* ut apud SALLVSTIVM in *Jugurtin. cap. 14. §. 22.* NON *enim regnum,* SED *fugam, exsilium* —— *cum anima simul amisisti,* ubi *non* est *non tam, non adeo,* conf. ibi cl. CORTIVS.

Igitur ex SVETONIO recte colligas, *libertini* appellationem quondam Appii temporibus, praeterquam manumissis, posteris quoque eorum, ingenuis licet re vera, adhaesisse ac vulgo et quasi per opprobrium ita dictos; inde tamen inferri nequit, filios manumissorum ingenuorum civium jure non gavisos, sed cum suis parentibus simul libertinae fuisse conditionis: horum enim nihil prorsus ex veteri historia apparet: nihilque erit amplius, quod jure culpaveris in DIODORO SIC. cum scribit, Flavium fuisse filium πατρὸς δεδουλευκότος, aut cum LIVIVS *loc. cit.* et TACITVS *Annal. Lib. XI. cap. 24.* Appium, lectis *libertinorum filiis,* Senatum inquinasse, memorant, intelligendos duntaxat putes manumissorum *nepotes,* non vero et *filios*

lios eorum: qui cum et ipſi *libertini* vulgo dicerentur, hinc AVRELIVS VICTOR *de Vir. ill. cap.* 34. Appium *libertinos* in Senatum legiſſe ſcribens, non quidem eo nomine intellexit *ipſos manumiſſos*, qui nunquam legi poterant, ſed voce priſco uſu adhibita, *filios* manumiſſorum *poſterosque:* qua explicatione aſſumta, opus non erit incommoda criſi ab cl. G. D'ARNAVD inſtituta, pro *libertinos* legente *libertinis natos*, vid. *Var. Conj. Lib. I. cap.* 29. atque ita pariter DIODORVS τῶν ἀπελευθέρων ἐνίους *quosdam libertinorum*, cum notat, Appium Cenſorem in Senatus lectione admiscuiſſe, videri poſſet, ex uſu veteri linguae Latinae ἀπελευθέρους dixiſſe, non ipſos manumiſſos, ſed filios illorum, υἱοὺς τῶν δεδουλευκότων cum tamen illi teſte HESYCHIO ἐξελεύθεροι vel ἀπελευθερικοὶ Graecis appellentur potius, vid. BRISSONIVS *de Verb. Sign. voc. libertinus* et DVKERVS *in Opuſc. de Latinit. vett. JCtor. pag.* 380. *ſqq.* hic pro ἀπελευθέρων ἐνίους legere malim υἱούς· quod in mentem etiam veniſſe video cl. OVDENDORPIO *ad Sueton. loc. cit.* quamvis haeſitanti ita reſtituere.

Vt vero tandem ad Flavium redeam, is, quamquam ipſius aetate *libertini* dicebantur tam filii manumiſſorum, quam ipſi manumiſſi, recte teſtimonio DIODORI SICVLI *libertini*, id eſt patris ex ſervitute liberati, filius intelligitur, eaque explicatio haud parum adſtruere videtur conjecturam noſtram, ſupra relatam priore Paragrapho, nempe Flavium patrem manumiſſum fuiſſe a M. illo Flavio, Tribuno pl. anno V. C. CDXXVI.

§. 7.

Scribae munere functum Flavium ante quam Aedilis fieret, nemo eſt veterum quin aperte tradat. De Scribarum apud veteres tum Graecos tum Romanos munere, dignitate et diverſo genere ſatis ampla exſtant collectanea cl. TROTZII in *not. ad Hugon. de prim. ſcrib. origin. cap. XXXII. pag.* 415. *ſqq.* ego, quae hujus loci ſunt et Flavium noſtrum ſpectant, tantum modo tangam. PIGHIVS cum ſcribit in *Annal. Tom. I. pag.* 377. Flavium *patre Scriba et libertino natum*, exiſtimavit, patrem quoque Flavii ſcriptum feciſſe, neſcio

ſcio tamen, cujus auctoritate veteris Scriptoris, niſi unius, ut ſuſpicari licet, VALERII MAXIMI *Lib. II. cap.* 5. *ex* 2. ubi dicitur Cn. Flavius *libertino patre genitus et Scriba;* verum τὸ *Scriba* minime illic, tanquam ſexto caſu poſitum, referendum eſt ad participium *genitus*; ſed ad praecedens nomen *Cn. Flavius*; itaque vel trajectis vocibus legendum *Cn. Flavius Scriba et libertino patre genitus*: vel diſtinguendum *Cn. Flavius*, *libertino patre genitus et Scriba.* Nec ſane Flavii pater publicus Scriba eſſe potuit, cum honeſtior is haberetur ordo apud Romanos, priſcis praeſertim rei publicae temporibus, quam ut libertinae homini conditionis tribueretur. CORNELIVS quidem NEPOS in *Eumene cap.* 1. dum Scribae munus multo fuiſſe apud Graecos honorificentius teſtatur, quam apud Romanos, ubi re vera fuerint mercenarii, eo plerumque loco docti Antiquitatum Interpretes abutuntur, ut publicorum non minus, quam privatorum Scribarum, viliorem apud Romanos inde conditionem adſtruant, ut praeter alios etiam TROTZIVS *ad Hugon. pag.* 454. Sed ad ſua potiſſimum tempora, quando Scribarum etiam publicorum honos maximopere jam eſſet imminutus, reſpexiſſe videri poteſt Auctor: tum neſcio, an non rectius forte acceperis verba de Scribis rivatorum, qualis ipſe forſitan habendus etiam Eumenes apud regem Philippum, Amyntae filium: licet enim vero honorificentiſſimum fuerit, hoc munere apud Regem fungi omniumque adeo conſiliorum fieri participem, ejus tamen modi Regios Scribas non nihil puto diverſos fuiſſe ac dignitate inferiores Scribis Graecorum publicis, qui ipſi in quibusdam civitatibus Magiſtratus erant ἐπώνυμοι, quorumque nomina ſaepius in Marmoreis aliisve Graecorum Decretis initio praeſcripta legimus. Caeterum, quod in hac comparatione morum utriusque gentis haud probe ſatis videtur CORNELIVS obſervaſſe, non omnes omnino Scribae fuerunt apud Graecos ubique ejusdem dignitatis eodemque loco habiti; certe apud Athenienſes, privatim hoc functi munere, vilioris quoque erant conditionis vid. PETITVS *ad Legg. Att. Lib. III. Tit.* 2. conf. doctiſſ. *van* STAVEREN *ad Nepot. l. c. edit. poſterior. form. min.*

Noſter Flavius Scriba fuit publicus et quidem, ut ex PISONE, quem LIVIVS ſequitur, conſtat, *Aedilicius*: PLINIVS tamen, ex eoque POMPONIVS, Flavium dicit *Appii Caeci Scribam:* quam veterum

rum Scriptorum discrepantiam praetermiserunt viri docti intactam. An Flavius, dum publicus Scriba Aedilibus apparuit, simul eodem tempore privatim Appio scriptum fecisse videbitur? equidem vix credo: an vero dicemus, Flavium eodem hoc anno et Aedilicium et Praetorium fuisse Scribam, ut utrique apparuerit Magistratui (erat enim Praetorum Aediliumque concurrens quaedam jurisdictio) atque adeo Flavius appelletur PLINIO *Appii Scriba*, non ut intelligatur *privatus*, sed *publicus*, Appii scilicet Claudii eodem hoc anno Praetoris? Sed vero priorem istam Appii Caeci Praeturam, quam PIGHIVS ad annum refert V. C. CDXLVIII. quo eodem Flavius Aedilis creatus est, admodum habeo suspectam ac nulla posse stabiliri existimo veteris Scriptoris auctoritate, ut alio in loco, ubi sublestae fidei Lapidem Florentinum, qui hujus Appii varios recenset Magistratus, examinabimus, ostendam. Quare et hic PLINII leve erratum agnoscamus, necesse est, qui ex eo forte, quod Flavius Appii fuerit cliens ejusdemque hortatu Fastos compilaverit et Actiones, eundem credidit Appii fuisse Scribam ac propterea finxerit quoque POMPONIVS, Flavium Fastorum librum Appio surripuisse, qua de re videbimus *infr.* §. 9.

In transcursu verbo notandus est GRAVINA *de Orig. Jur. Civ. p. m.* 441. Flavium *Scribam* et *Tabellarium Censoris* appellans idque testimonio LIVII *Lib. IX. in fin.* at omnino frustra est, ibi namque Flavium Aedilibus apparuisse tradit, neque aliunde usquam, Scribam fuisse Censorium compertum est. SIGONIVS autem *Lib. II. de Antiq. Jur. Civ. Rom. cap.* 15. Scribam nominat Flavium *Pontificium*: quod nescio, incogitanti exciderit illi, an vero ita arbitratus sit, quia CICERO scribit, illum cornicum oculos confixisse ab ipsisque cautis Juris Consultis, id est Pontificibus, eorum scientiam compilasse: quod certe a nemine fieri potuerit facilius, quam a Scriba collegii Pontificalis. Sed, praeterquam quod nullo teste id scripsit V. D. et Flavius aliunde Fastorum notitiam sibi comparare potuit, ut paullo post notabimus, ne quidem simile vero videri potest, hominem ignobilem et plebejum apud Pontifices scriptum fecisse. Fuerunt enim antiquissimis hisce temporibus Scribae Pontificum serenioris non tantum fortunae omnibusque reliquis Magistratuum Scribis dignitate magis conspicui, sed vero etiam, ut puto, Patricii generis, quum vix alio pa-

cto sua Pontifices mysteria plebi potuissent occultare, ob eamque dignitatis praeeminentiam non vulgari nomine *Scribae*, sed *Pontifices minores* appellabantur, de quibus in praesenti obiter disputare lubet.

Pontifices videmus distingui ab Interpretibus in *majores*, quorum summus Pontifex Max. collegio praesideret, et *minores*. PANVINIVS de *Civitat. Rom. cap.* 34. *Tom. I. Thes. Graev. pag.* 238. *sq.* a temporibus Syllanis, quando octo Pontificibus alii septem additi, eam distinctionem repetit, ratus, inde duplicem exstitisse ordinem, priores enim octo, quique in eorum locum post cooptarentur, *majores*, novos autem, lege Cornelia additos, et qui deinceps iis suffecti sint, *minores* fuisse appellatos. RVPERTVS vero ad *Pompon. Lib. III. c.* 4. uni *Maximo* Pontifici opponit reliquos omnes Pontifices *minores*. GVTHERIVS autem *Lib. I. de vet. Jur. Pont. c.* 17. quo cum etiam facit GVDIVS *ad Gruteri Thesaur. Inscript. pag.* CCCLX. *n.* 4. lege Ogulnia putat, sacerdotiis cum plebe communicatis, qui ex Patriciis crearentur Pontifices, *majores*, qui vero ex plebe, *minores* fuisse nuncupatos. Horum sententias meris ac levibus conjecturis innixas, solide refutavit eminentissimus non minus Romanae Antiquitatis Interpres, quam Ecclesiae Cardinalis H. NORISIVS in *Diss.* I. *cap.* 5. *ad Cenotaph. Pisan.* conf. etiam DVKERVS et DRAKENBORCH. *ad Livii Lib. XX. c,* 57. §. 3. a quibus tamen eruditissimis atque excellenti ingenio viris non parum hac parte diversum sentio. Nempe existimant VV. DD. aetate Ciceronis ac Livii, praeter antiquissimum illud, ab Numa rege institutum, collegium Pontificale, alterum quoque fuisse speciale collegium minorum Pontificum. At enim vero, si minores illi Pontifices proprium ac diversum collegium habuerint, quaero, quando tandem, quem in finem aut ob quae sacra illud institutum? quod cum in vetustis Annalibus tradatur nusquam vel appareat, unico FESTI loco, quem NORISIVS protulit, haud facile, ut credam, adducor: ita scribit FESTVS: *Minorum Pontificum maximus dicitur, qui primus in id collegium venit: item minimus, qui novissimus:* ubi cum non simpliciter *in collegium*, sed *in id collegium* dicatur, inde vir doctus colligere sibi visus est, minores hosce Pontifices alterum collegium inferiorum Sacerdotum composuisse. Sed vel adhibita commode falce Critica τὸ *id*, natum ex praecedenti praepositione *in*, haud

haud difficulter resecare poterimus, cum, quem ad modum illae voculae in codicibus Scriptis inter se commutantur, sic et altera interdum alteram absorpserit aut superfluam procreaverit: vel *in id collegium* exponi potest *in eum ordinem* aut *eam decuriam* Scribarum Pontificumque minorum: uti enim Magistratuum Scribae fuerunt olim in suas quique decurias descripti, sic et minores Pontifices, seu Scribae aliique Pontificum ministri peculiarem videntur constituisse ordinem et decuriam, quam FESTVM voce ea in re minus usitata *collegium* hoc loco appellasse crediderim: quamvis enim proprie cujuscumque muneris ejusdem participes recte *collegas* dixeris, usus tamen sermonis, quem penes jus loquendi et arbitrium, quo minus ad quaevis extendatur corpora id vocabulum, prohibuit. In *Nov. Inscript. Thesauro pag.* MMXV. *n.* 6. MVRATORIVS quidem primus nobis procudit *collegium Apparitorum Aediliciorum*, aliunde nobis ignotum, verum suo more non leviter hallucinatus: memoratur enim isto titulo *Q. Haterius Q. L. Olympicus Appar. Aedil. permissu colleg.* ΛR. ut ipse clarissime exhibuit, at perperam interpretatus est *collegarum*; cum, ut ill. MAFFEI notavit in *Museo Veron. pag. CXXIX. n.* I. exponendum sit *permissu collegii Aureliani*, aut forsan rectius, ut arbitror, *collegii Aurariorum* vel *Aurificum*, quorum et alibi mentio in *Lapidibus* apud GRVTERVM vid. *Index. cap. IX. Aurelianum* vero istud collegium nondum mihi innotuit.

Quamdiu autem integra stetit res publica, unicum fuit tantum modo collegium Pontificale, idque ante Syllae Cornelii tempora octo constans Sacerdotibus, computato simul Pontifice Maximo, postea lege ejusdem Syllae adauctum fuit usque ad quindecim. Isto autem intervallo post Syllae Dictaturam an. V. C. DCLXXIII. ad tempus, quo de Ciceronis domo judicatum est, seu an. V. C. DCXCVII. arbitratur doctiss. *van* DALE *Diss.* 2. *ad Marm. pag.* 198. *sq.* collegium istud sensim accrevisse idque sibi visus est colligere ex *Orat.* CICERONIS *de Respons. Harusp. cap.* 6. ubi cum undeviginti Pontifices simul in collegio praesentes enumeraverit Orator, significet tamen, integrum nondum adfuisse collegium: at videamus verba: *meam*, inquit, *domum P. Lentulus Cos. et Pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus*, M. *Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus, Flamen Martialis, Q. Metellus Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, Rex Sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Caesar, Flamen Qui-*

Quirinalis, *Q. Cornelius*, *P. Albinovanus*, *Q. Terentius*, *Pontifices minores liberaverunt.* Non equidem ex hoc loco cum V. D. existimari velim, plures fuisse id temporis Pontifices, proprie ita dictos, quorum isthic recenseantur novemdecim: nam neque duo Flamines Martialis et Quirinalis (Dialis per ista tempora non creabatur) neque Rex Sacrorum, neque Pontifices minores Pontifices erant proprie sic appellati, quales collegium numero duntaxat complectebetur quindecim, ex quibus CICERO hic loci memorat tres et decem. Sed voce *Pontificis* latiori sensu usurpata eodem continebantur collegio et a Pontificibus in consilium aliquando vocabantur, ut in hac caussa Ciceronis, Flamines et Rex Sacrificulus, tum etiam Ministri seu Pontifices minores, qui collegio apparebant, in primis ut scribendo adessent, referuntur velut collegio adscripti, id quod vero simile mihi sit ex iis, quae mox apud CICERONEM sequuntur: *postero die*, scribit, (quam scilicet apud Pontifices de domo ejus esset judicatum) *frequentissimus Senatus* —— *statuit; cum omnes Pontifices, qui erant hujus ordinis* (Senatorii) *adessent cumque alii, qui honoribus populi Rom. antecedebant, multa de collegii judicio verba fecissent, omnesque* IIDEM *scribendo adessent:* nempe *iidem*, qui, ut puto, pridie in collegio Pontificali scribendo adfuissent, *Pontifices* nempe *minores*, postremo relati loco: quin et in eo fallitur egregie cl. *van* DALE, quando Regem Sacrorum, quique deinceps sequuntur apud CICERONEM, Scaurum, Crassum, Curionem et Sex. Caesarem, Flaminem Quirinalem, omnes inter Pontifices minores computat: etenim, ut eximie docuit jam NORISIVS, isto loco TVLLIVS ex quindecim Pontificibus, quot constituebant collegium memorat tredecim, Iulius enim Caesar, Pontifex Max. et L. Fulvius Natta tum temporis collegio non interfuerunt; Regem vero Sacrorum, ut idem DALEVS infeliciter suspicatus nimis confidenter affirmaverat, *loc. cit. p.* 200. MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 15. non appellari *Pontificem minorem*, sed distingui potius ab eo, pulcre observat DVKERVS *ad Livium Lib. XX. cap.* 57. Caeterum egregius, quem tractamus, CICERONIS locus probat etiam, Flamines et sacrorum Regem in collegio Pontificum interdum habuisse locum, conf. cl. ERNESTI in *Clav. Cic.* voc. *Flamen* et *Rex:* ubi tamen, quae citantur loca ex *Orat. pro Dom.* et *Philipp.* II. *cap.* 43. si consulas, id minime docent: nempe tres Flamines et Rex Sacrificulus proprie quidem inter quindecim Pontifices, a Sylla constitutos,

ſtitutos, non continebantur, neque enim idem Pontifex et ſimul Flamen, ſed collegio Pontificali erant ſupra numerum adſcripti, omnesque illi, ut reliqui Pontifices, uni Pontifici Max. erant ſubjecti: de Rege Sacrorum vid. unus LIVII locus *Lib.* II. *cap.* 2. Flamines autem, quamquam DIONYSIVS *Lib.* II. *pag.* 124. (vix credo tamen, ſatis vere), peculiare ac diverſum ab Numa collegium iis aſſignatum, ſcribit, eidem Pontifici dicto audientes quoque fuiſſe, patet ex LIVIO *Lib. XXXVII. cap.* 54. et *Epitom. Liv. Lib. XIX.* quin a Pontifice Max. dicebantur *capi*, vid. VALER. MAX. *Lib. VI. cap.* 9. ANT. AVGVSTINVM *Dialog. X.* ratum, Flamines majores fuiſſe Pontifices, recte notavit GVTHERIVS *de Jur. Pontif. Lib. I. c.* 32. ipſe tamen, cum Flaminem Dialem Pontificum collegio non adſcriptum arbitratur, propterea, quod, ut alii duo, a CICERONE *h. l.* non commemoretur, a vero aberrat: certe nihil probat CICERONIS locus; nam pari modo Pontificem Max. hinc evincat collegio non attributum fuiſſe, cum et ejus nulla fiat mentio: nempe quia huic judicio non interfuit: ſed vel maxime ſilentio praetereundus erat Dialis Flamen, quia per iſta tempora nullus aliquot jam annis creatus eſt. Quamvis vero, ut equidem exiſtimo, extra ordinem, Flamines cum Rege Sacrorum in collegio Pontificum fuerint cum iisque ſacras cauſſas judicaverint, dignitate tamen reliquis Pontificibus videntur fuiſſe pares, ut ex ordine colligas, quo promiscue, ratione forte habita temporis, quo quisque in id collegium venerat, apud CICERONEM recenſentur: minores quoque Pontifices, licet dignitate inferiores, utpote miniſtros, quique propterea ultimo referuntur loco, non alterius ſpecialis, ut putabant VV. DD. ſed ejusdem fuiſſe collegii, ac reliquorum Pontificum, aperte hic locus oſtendit: ſi quidem, non duo collegia, ſed unum de domo ſua judicaſſe, CICERO ſemel atque iterum clariſſime ſignificat.

Itaque ergo, ut ex diſputatis colligimus, unum, quamdiu libertas Romae floruit, collegium fuit Pontificale, neque adeo Pontifices in *majores* et *minores*, ut vulgo exiſtimatur, fuerunt diſtincti, niſi ſub Imperatoribus ſerva demum re publica: qua de re accuratius paullo diſputandum. Flamines, teſte FESTO, in *majores* et *minores* fuere diſtincti, *majores* fuere appellati tres veteres, ab Numa inſtituti, Dialis, Martialis, Quirinalis, ex Patriciis ſemper creandi, reliqui *mino-*

res ex plebe: nondum tamen fatis compertum mihi, an, ficut majores femper ex ordine Patricio, ita Flamines minores neceffario ex plebejis creandi fuerint, ut FESTVS affirmat; an vero potius, ut alii facrorum miniftri, minores illi Flamines parte dimidia ex utroque ordine moris fuerit creari: conf. CICERO *pro Dom. cap.* 14. Dicti procul dubio *majores* et *minores* a majori vel minori dignitate. *Minorum* vero *Pontificum* appellatione ante Augufti aetatem dicebantur tum Scribae, ut vel ex uno CICERONIS loco fupra citato conftat, tum alii honoratiores quidam collegii Pontificalis miniftri, quos inter forte Triumviri Epulones, vid. CICERO *de Orat. cap.* 19. ubi teftatur, veteres Pontifices, propter facrificiorum multitudinem, tres viros Epulones effe voluiffe, cum ex Numae inftitutione ipfi Pontifices ante id tempus ludorum epulare facrificium facere debuiffent: quin multo ante haec tempora ob negotiorum multitudinem Pontifices facra quaedam miniftris fuis, feu Pontificibus minoribus delegaffe, patet ex MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 15. ubi minori Pontifici, fcribit, ante Faftos a Cn. Flavio vulgatos, id eft ante an. v. c. CDXLVIIII. provinciam delegari folitam novae Lunae adfpectum obfervare vifamque Regi Sacrificulo nunciare: tum etiam, idem auctor eft, Pontificem minorem fingulis Kalendis in curia Kalabra Iunoni rem divinam feciffe: neque adeo eft, quod per ludibrium hofce Scribas Pontificum miniftrosque ita vulgo ob potentiam *minores Pontifices* nuncupatos, arbitreris; fed quoniam re vera vice Pontificum quaedam minoris momenti facra collegii mandatu peragerent ac minora Pontificum non nulla exfequerentur officia. Hinc facile fimul etiam intelligimus, non unum tantum, ut putabat DVKERVS *ad Livii Lib. XXII. cap.* 57. minorem olim Pontificem fuiffe, fed plures: apud MACROBIVM enim *loc. cit. minori Pontifici* exponi commode poteft *alicui minorum Pontificum.* Quamquam vero appellatio *minorum Pontificum* fub Confulari imperio cognita fatis fuit itaque dicebantur Scribae collegii et reliqui miniftri ad diftinctionem eorum Pontificum, qui re vera creati et in collegium cooptati erant, ipfa tamen *majorum* appellatio *Pontificum* plane fuit inufitata, fed κατ' ἐξοχὴν illi et fimpliciter *Pontifices* dicebantur: neque ipfum nomen *minorum* Pontificum mox inferre debet, caeteros fuiffe appellatos *majores:* fic Conful, quem penes

penes erant fasces, *major* Consul quidem appellatus, alter tamen propterea non dicitur usquam *minor*. Sed pressa demum libertate coeperunt Pontifices in *majores* et *minores* distingui, neque id adeo antiquorum testimoniis Auctorum, quam vetustis Lapidum Inscriptionibus docemur: titulos aliquot majoribus Pontificibus sacratos vid. apud GRVTERVM *pag.* XXVIII. *n.* I. CCCLX. 4. CCCLXI. I. CCCLXIII. 2. CCCLXX. 3. CCCCXXXIII. 4. apud MVRATORIVM *pag.* CCCLXXXIX. 4. DCCXX. 2. conf. et fragmen Lapidis *pag.* CLII. *n.* 6. et MXXIV. I. Minorum vero Pontificum fit mentio apud GRVTERVM *pag.* CXXIX. *n.* 8. CCCLXXXII. 4. CCCCXI. I. CCCCXXVI. 5. apud GVDIVM *Inscript. pag.* XCIX. *n.* I: 6. 7. CXXXV. 6. apud REINESIVM in *Append. n.* 19. apud MVRATORIVM *pag.* CLII. *n.* 5. Hos inter Lapides quotquot manifestis anni indiciis insigniuntur, aetatem produnt libera re publica multo posteriorem: cumque iis temporibus, quod olim minime licebat, plura saepius in eundem hominem conferrentur sacerdotia, observari meretur, majores Pontifices fere omnes simul *Quindecim viros sacris faciundis* fuisse, minores autem vel *VI. viros Augustales* vel interdum *VII. viros Epulonum* describi, nunquam vero *XV. sacr. fac.* nisi quod apud GVDIVM *pag. III. n.* 9. memoretur *M. Dovius* —— XV. VIR SACR. FAC. X. *vir* SA. *Litibus judicandis VII. vir Epulonum* PONTIF. MINOR. *et VI. vir Augustal.* ac *pag.* CXXXVII. *n.* 5. titulus inscribitur *L. Porcio* —— XV. VIRO SACR. FACIVN —— PONTIF. MINORI: verum, ut fatear ingenue, uterque is Lapis, tum hoc nomine, quod contra morem *XV. virum sacr. fac.* et *minorem Pontificem* jungat, tum, quod ex officina prodeat Ligoriana, mihi suspectus est.

Quaeritur autem, quae ratio distinctionis inter Pontifices majores minoresque et a quo tempore ejus repetenda sit origo? In *Cenotaphio*, seu potius, ut eximius CHISHVLLVS appellandum censet, *Decreto Pisanorum*, bis memoratur T. *Statulenus Juncus* —— PONTIFEX MINOR *publicorum P. R. sacrorum:* verum tamen ista aetate, cujus vulgo hoc habetur monumentum, discrimen inter majores minoresque Pontifices obtinuisse, equidem auctoritate ejus solius Tabulae, haud parum incertae apud me fidei, pro certo non dixerim, imo vix credo. Quamvis enim sub Augusto et insequentibus mox Imperatoribus, praeter XV. Pontifices, lege Cornelii Syllae constitutos,

 alii

alii complures creari coeperint, distinctionem tamen inter *majores* Pontifices ac *minores* diversaque duo utrorumque collegia ante saeculum post C. N. quartum obtinuisse, non arbitror, ex nullo certe monumento vetusto et probato nobis apparet: ast contra non unum mihi deprehendere visus sum argumentum, unde probabiliter admodum colligam, saeculo demum quarto aerae Christianae discrimen illud inter Pontifices *majores* et *minores* coepisse ex eoque tempore duo diversa fuisse Pontificum collegia. Classicus testis est, quippe rem memorans suae aetatis, CAPITOLINVS, qui floruit saeculo IV. in *vita Macrini cap. VII.* ubi Macrinum, Scribam Pontificum minorum, Pontificem Max. a Senatu appellatum tradit his verbis: *eundem, quum Scriba Pontificumesset, quos* HODIE *Pontifices minores vocant: etc.* male intellexit hunc locum GVTHERIVS *Lib. II. de vet. Jur. Pont. cap.* 13. colligens inde, Scribas Pontificum tunc temporis *minores Pontifices* appellatos: relativum Pronomen *quos* non referendum ad antecedens *Scriba*, ut sensus sit, *Scriba ex eorum Scribarum numero, quos hodie Pontifices minores vocant;* sed ad vocem *Pontificum* pertinet idque significat CAPITOLINVS, Macrinum olim fuisse Scribam eorum Pontificum, qui sua aetate distinctionis caussa fuerint appellati *Pontifices minores*. Accedit, quod in nullo Lapide, qui temporis notam vel indicium gerit, majoris minorisque Pontificis mentio occurrat, nisi saeculo post C. N. tertio posteriore: tum LACTANTIVS, ejusdem quoque aevi Scriptor, hos etiam videtur distinguere *Lib. V. de Justitia p. m.* 276. *procedant*, inquit, *in medium Pontifices, seu* MINORES *seu* MAXIMI, *Flamines, Augures, item Reges Sacrificuli etc.* scripsit forte: *seu majores, seu minores, seu maximi;* aut generali nomine *Pontificum* quosvis intellexit Sacerdotes et minoris maximaeque dignitatis sacrorum ministros. Atque ita, si hoc tempore, ut ex CAPITOLINO apparet ac vetustorum titulis Lapidum maxime adstruitur, discrimen obtinuerit inter majores Pontifices ac minores, quorum et diversa essent collegia, explicabimus facile locum FESTI, quem hoc saeculo ad finem vergente floruisse, recte conjiciunt VV. DD. ubi *collegii minorum Pontificum* mentionem facit, ex sui saeculi moribus et instituto loquutus.

Quod vero ad Scribas attinet Pontificum, nullo vel argumento vel testimonio probaturus est GVTHERIVS, illos tempore Capitolini nomine

ne *Pontificum minorum* appellatos; imo contrarium prorfus ex Lapidibus multis apparet, in quibus nusquam Scriba Pontificius titulo infignitur *minoris Pontificis*, fed *Scriba a libris Pontificalibus* nominatur, vid. apud GRVTERVM *pag.* DLXXVIII. *n.* 6. conf. *pag.* CCCVI, *n.* 6. et alibi: libera autem re publica Scribae Pontificalis collegii, *Pontifices minores* vulgo dicti, nusquam *Scribae* appellantur, nifi uno LIVII loco, ubi docet, fcribas illos *Pontifices minores* tum temporis fuiffe nuncupatos: ita fcribit *Lib. XX. c.* 57. §. 3. *L. Cantilius, Scriba Pontificis, quos nunc minores Pontifices appellant* ——— ——— *a Pontifice Max. in Comitio eo usque virgis caefus erat, ut inter verbera exfpiraret.* Quae verba, vitio Librariorum inquinata, fruftra hactenus doctiffimorum Interpretum fatigarunt ingenia nec quisquam expedire fe aut conftrictum nodum fatis commode folvere potuit: inter alia obfervat cl. DVKERVS, quia Cantilius *Scriba Pontificis* nominetur, ex hoc loco patere, unum ifto tempore fuiffe tantum modo Pontificem minorem: in loco autem CAPITOLINI, huic conferendo, illud *hodie* fufpectum fibi atque ex verbis LIVII in margine adfcriptis, dein in contextum videri inculcatum. CREVIERIVS autem dubitat, utrum illos fequatur, qui apud LIVIVM *h. l.* relativum Pronomen *quos* referunt ad τὸ *Scriba*, hoc fenfu: Scriba Pontificis ex eorum Scribarum numero, quos *nunc* (tempore fcilicet, quo fcripfit LIVIVS) *minores Pontifices* appellant: an vero potius eos, qui ad τὸ *Pontificis* referunt hoc modo: Scriba Pontificis, qui quidem Pontifex effet ex eorum numero Pontificum, qui *nunc* (Livii tempore) *minores Pontifices* dicti: in *Notis* autem *pofterioribus* idem obfervat CREVIERIVS ex CAPITOLINI loco, *Pontificum minorum* appellationem demum poft Macrinum invaluiffe; quod fi verum fit, certe Livii aetate notam effe non potuiffe; indeque oriri fibi fufpicionem, hoc additamentum ex altero Scriptore in alterum fuiffe translatum, utri vero affictum fit a Librariis, id aliis dijudicandum fe relinquere: non incompetens harum rerum judex DRAKENBORCHIVS cenfet, fi alterutri affictum fit, id CAPITOLINO potius accidiffe, quam LIVIO, quia Scribas Pontificum non modo ante Macrinum, fed ante, quam LIVIVS hiftoriam fcribere exorfus fit, *Pontifices minores* jam vocatos fuiffe, certiffimum fit ex CICERONIS loco, a cl. DVKERO laudato, et

hinc, ut idem docuerit DVKERVS, de appellatione Pontificum minorum, dudum ante Macrini aetatem recepta, CAPITOLINVM sic loqui non potuisse: itaque, DVKERI subscribens opinioni, uni voci *bodie* apud CAPITOLINVM controversiam movet. Singula haec pluribus examinare aut refellere non instituo. Libera re publica, ut supra vidimus, Pontificum Scribae appellati sunt *Pontifices minores*, dudum ante LIVII tempora, et hinc apud Scriptores eorum temporum nunquam videmus *Pontificiorum Scribarum* fieri mentionem, cum Scribae Aedilicii aliorumque Magistratuum saepius memorantur; sed Pontificii collegii Scribae *Pontifices minores* tum appellati sunt, idque obiter monere voluit LIVIVS, cujus verba hoc loco ita videntur legenda et constituenda: *L. Cantilius*, *Scriba Pontificum* (ita certe quidam libri habent) vel *Pontificius*, *quos* (id est *Scribas Pontificios*) *minores Pontifices appellant* (nempe et olim et Livii etiam temporibus) *a Pontifice Max. etc.* Vocula *nunc*, ineptum tanquam glossema, omnino est ejiciendum, ex verbis CAPITOLINI incommode huc transductum: Pronomen vero *quos* omnino referri debet ad antecedens *Scriba*, ut velit Auctor, ejus modi Scribas Pontificios non hoc nomine, quod vere a scribendi officio ipsis competeret, sed *Pontifices minores* appellari solitos, idque quo significet magis, repetit vocabulum *Pontifices* —— *Scriba Pontificis*, *quos Pontifices minores appellant*; quae vocis iteratio minus fuisset necessaria, si relativum pronomen ad praecedens proxime vocabulum *Pontificis* spectaret; unde quis haud inepte conjecerit, vocabulum *Pontifices* apud *Capitolinum* supervacaneum esse eoque exstirpato sic legendum ibi: *quum Scriba Pontificum esset, quos bodie minores vocant.*

Redeo illuc, unde Pontificum minorum caussa diverti longius. *Scribae* epitheton ita plerique fere Scriptores vetusti Flavio nostro apponunt, ut parum absit, quin credam, cognomenti quasi loco id ei adhaesisse: CICERO *Cn. Flavium M. F.* SCRIBAM appellat; conf. LIVIVS et MACROBIVS supra laudati: et sane hoc situ *Scribae* nomen collocatum magis pro cognomento accipiendum videtur, quam nomine appellativo. Ejus vero modi cognominum ratio et usus in multis apud Romanos obtinuit, ut pleraque casu aliquo imponerentur, saepius ab arte, quam quis professus esset, vel munere derivata; qualia sunt *Cornicen*, *Fullo*, *Pictor*, *Bubulcus* et alia: neque in suo cujus-

cujusque apud Romanos positum olim fuit arbitrio, novam ἐπίκλησιν sibi adsciscere vel repudiare, sed vero cives, quo Magistratus suos aliosve homines illustriores, eodem saepe gentilicio nomine usos, internoscerent facilius, nova iis cognomenta imponebant, quae deinceps usu et consuetudine recepta ad posteros fere transmittebantur: hoc eodem pacto interdum recentioris quoque aevi Auctores in *Annalibus* suis videmus nova cognomenta quibusdam assignare, licet ipsi, dum erant in vivis, ea non habuerint, certe in publicis Monumentis usi non sint. M. Porcius Cato, is qui severissime Censuram morum exercuit, *Censorius* vulgo cognominatur, non quod ipse eo cognomine usus sit, verum longo post fata tempore id illi tributum in *Annalibus*, ut ab nepote et pronepote suo distingueretur: Q. Mucius Scaevola, is qui Consul fuit anno V. C. DCXXXVI. semel iterumque a CICERONE *Augur* appellatur, non tamen, ut quidam arbitrantur, eo cognomine in vivis ipse insignitus fuit neque Muciorum genti id intulit; sed a CICERONE ei datur, ut a *Q. Mucio JCto* distinguatur: conf. cl. D'ARNAVD in *vit. Scaevolar. pag.* 13. et 22. Atque ita pariter Flavium, qui Fastos protulit, *Scribam* cognominatum in *Annalibus* arbitror, non vero quidem cognomine, quo ipse in vita fuerit insignitus, sed quod illi post fata demum adhaeserit, ne cum aliis forte Flaviis confunderetur.

§. 8.

Persequamur reliqua: quod ad Magistratuum honores attinet, a Flavio gestos, res admodum difficilis explicatu est et pugnantibus veterum Scriptorum sententiis apud recentiores incertissima. Flavium Scribae munere functum esse, donec an. V. C. CDXLVIII. Aedilis Curulis crearetur, in iisdemque etiam Comitiis adhuc, quibus ipse Aedilis factus est, ut Scribam Aedilibus apparuisse, disertum est PISONIS testimonium, a GELLIO nobis servatum: *Cn. Flavius —— scriptum faciebat, isque in eo tempore Aedili Curuli apparebat, quo tempore Aediles subrogantur: eumque pro tribu Aedilem Curulem renunciaverunt. At ille, qui Comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum Aedilem fieri: Cn. Flavius dicitur*

tur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse: isque Aedilis Curulis factus est. Idem illud LIVIVS *in quibusdam Annalibus*, puta PISONIS aliorumque, traditum invenisse se testatur, Flavium apparuisse Aedilibus cumque videret, se pro tribu Aedilem fieri, neque accipi nomen, quia scriptum faceret, posuisse tabulam et *jurasse, se scriptum non facturum:* quem ancipitem esse locum, cujus frustra simile quaesiveris apud antiquos Scriptores exemplum, nos monuit TROTZIVS *ad Hugon. pag.* 453. *sq.* Mihi vero neque obscurus neque anceps visus est hic locus: nihil enim de juramento cogitandum solemni, sive quod Aediles Flavio detulerint, seu quod ipse Flavius praestiterit voluntarium: si verba LIVII cum PISONIS loco, unde transcripta sunt, componantur, ille, ubi Flavium ait *jurasse, se scriptum non facturum*, nihil prorsus dixit aliud, quam, quod apud hunc est, Flavium *scriptu sese abdicasse*, neque aliud *jurandi* verbum hic notat, quam Flavium illi, qui isto tempore Comitia haberet Aedilicia, cum is, quod Flavius scriptum faceret, nomen accipere nollet, positis tabulis affirmasse, posthac se scriptum non esse facturum: si quem vero *jurandi* verbum hoc sensu forte offendat, haud incommode loco τοῦ *jurasse* corriget mecum *indicasse;* quo etiam modo hunc LIVII locum citat EBERLINVS *ad Tit. Digest. de O. J. pag.* 46.

Prae iis, quae hactenus disputavimus, majores multo turbas nobis dederunt ac moram injecerunt verba LIVII, quae sequuntur. Etenim, cum, teste LICINIO MACRO, idem Flavius Scriba ante Aedilitatem Tribunatu Triumviratibusque duobus, altero Nocturno altero Coloniae deducendae, fuerit functus, inde colligit Patavinus, aliquanto etiam ante Aedilitatem scriptum facere desiisse Flavium, eo, ut suspicari licet, argumento, quod Tribunatu plebis Sacro Sancto Magistratu ac simul Scribae publici munere fungi et Magistratui apparere prorsus viderentur sibi repugnantia. Caeterum hoc modo sententiae PISONIS, aliorum etiam suffragiis confirmatae, controversiam movisse contentus, in incerto reliquit, secundum quos potissimum in hac caussa sit pronunciandum, utrum secundum eos, qui ad Aedilitatem usque Flavium Scribae functum munere tradiderint, an vero potius, qui statuant cum LICINIO, aliquanto ante,

ante, Tribunatu plebis Triumviratibusque gestis, scriptum jam facere desiisse. PLINIVS, forte ut hanc quodam modo Annalium discordiam tolleret ac simul PISONI adhaereret, affirmanti cum aliis, Flavium, donec Aedilis Curulis creatus est, scriptum fecisse, neque Tribunatum Flavii, a LICINIO relatum, in dubium vocare ausus, mediam quasi ingressus videtur viam, ut statuat, Flavium, utroque simul Magistratu, Aedilitate ac Tribunatu plebejo, eodem anno perfunctum fuisse: *additum*, inquit, *Flavio*, *ut simul et Tribunus plebis esset*. POMPONIVS, ut alibi, ita hic etiam PLINIVM sequutus, adeo scribit gratum fuisse populo Fastorum munus, ut *Flavius Tribunus plebis fieret et Senator et Aedilis Curulis.* Quo in loco, quod de suo JCtus addit, Flavium et *Senatorem* factum, cum nemo tradat alius, merito in dubium revocare licebit, quamvis summus BYNKERSHOEKIVS in *Praeterm. p.* 29. hic etiam suo more defendere POMPONIVM conatus sit: etenim an dicemus, inter illos fuisse Flavium, quos Ap. Caecus ex libertinorum filiis et turba forensi in Senatum allegit? an vero existimabimus, Flavium JCto *Senatorem* appellari, quod jure Magistratus, Tribunus quippe atque Aedilis, in Senatum venerit? quorsum te convertas, cuncta erunt incerta, imo ne quidem veri similia: cum namque Senator fieret nemo, nisi a Censoribus lectus, Appii vero invidiosa lectio mox anno sequenti a Consulibus rescissa sit, vel ipso jure habita fuerit nulla, neque Flavius ab Appio Senator lectus videri possit, utpote Scriba usque ad Aedilitatem seu an. CDXLVIII. neque etiam a Censoribus insequentis Lustri Flavius, Aedilitate jam functus, lectus Senator videatur, equidem cum CORASIO Flavium nostrum arbitror Senatu movendum et POMPONIO remittendum: nisi forte PLINII compilans verba recte scripserit JCtus: *Tribunus plebis fieret* SIMVL *et Aedilis Curulis*; pro quibus verbis Librarii error, vocula *et* ex finali syllaba verbi *fieret* male repetita, ac τῷ *simul* in *Senator* mutato, vitiosam nobis dederit lectionem, quam hodie omnibus tum scriptis tum editis libris videmus propagatam.

Redeo ad Flavii Magistratus: ex recentioris aevi Interpretibus complures quoque hic crucem sibi fixerunt: MANVTIVS quidem *de Civit. Rom. Tom. I. Thes. Graev. pag.* 36. propterea putat, Flavium

 pri-

prius Tribunum plebis fuisse, quam Aedilitatem obtineret, quod Aedilitas patricius esset Magistratus, qui libertinis negaretur: at, si re vera Flavius ante Aedilitatem Tribunus pl. fuerit eumque propter Magistratum Scribae se munere abdicasset, non video, unde tanta illa ob Flavii Aedilitatem Patriciorum exarserit indignatio, de qua uno ore omnes contestantur, ut Nobiles propterea anulos et phaleras deposuerint, in primis, cum jam hoc tempore promiscue, tam ex plebe quam Patriciis, Aediles Curules creari, moris esset. PIGHIVS autem, cum eoque alii, collatis inter se LIVII ac PLINII locis, Flavium non hoc tantum anno Aedilem Curulem ac simul Tribunum plebis, sed eundem quoque, LICINII testimonio adducti, altero ante Aedilitatem anno Tribunum pl. fuisse, existimarunt, adeo ut hoc anno jam iterum Tribunus fuerit. Verum tamen PLINII profecto, quique ejus amplexi sunt opinionem, de duplici Magistratu, quem eodem Flavius anno gesserit, error est manifestus, cum neque more majorum neque jure cuiquam olim apud Romanos duobus Magistratibus eodem anno fungi liceret: conf. quae *Libr. sq. Animadverſ. ad Faſt. Civil.* plura in hanc rem singulari Capite disputabimus.

Ipse igitur LIVIVS, sive, non intellecto probe LICINII loco, haud leviter lapsus, seu errantem sequutus LICINIVM, omnem videtur mihi turbam de Flavii nostri Tribunatu plebejo excitasse; quem quidem ego non tantum propter ejus rei altum in aliorum Annalibus silentium, sed vel maxime ob disertum PISONIS testimonium, scriptum fecisse Flavium, affirmantis, usque ad Aedilitatem, non adducar facile, ut credam, ante Tribunum plebis fuisse, quam crearetur Aedilis: existimabam, forte LICINIVM Scribam Flavium confudisse cum M. Flavio, Tribuno pl. an. v. c. CDXXVI. sed vero intervallum viginti annorum et amplius, utriusque inter Flavii Magistratus interpositum, vix patitur, ut hoc suspicemur, in primis, cum LIVIVS breve temporis spatium significet, *aliquanto ante* Aedilitatem Flavium desiisse scriptum facere, testatus, Tribunatu gesto. Quare nihil LICINIVM peccasse, sed quidquid hic est culpae, uni imponendum LIVIO arbitror, qui cum in *Annalibus* MACRI LICINII legisset, Cn. Flavium ante Aedilitatem aliquanto *Tribunatum* gessisse Triumviratusque duo Nocturnum et Coloniae deducendae, nomine *Tribunatus* simpliciter posito, intelligens, ut fere solet, *Tribunatum*

tum plebejum, visus sibi est inde colligere argumentum, quo contra PISONIS aliorumque Annalium fidem concordem contenderet, aliquanto ante Aedilitatem Flavium scriptu sese abdicasse. At vero, singulis, quae huc spectant, accuratius pensitatis, equidem nullus dubito, quin LICINIVS, ubi scripserit, Flavium *Tribunatu* functum, intelligendus sit de *Tribunatu aerarii*, qui nempe Magistratus non fuit, sed ordo, haud sane multo honestior ordine Scribarum; unde CICERO *Orat. IV. Catilinar. cap.* 7. Tribunis aerarii mox Scribas adjungit, conf. SIGONIVS *de A. J. C. R. Lib. II. c.* 8. *sq.* et GRVCHIVS *de Comit. Lib. II. c.* 2. Nihil autem video caussae obstare, quare Flavius ante Aedilitatem aliquot annis primo Tribunus aerarii, tum deinde Triumvir Nocturnus, ac denique Coloniae deducendae esse nequiverit ac simul Scribae munus continuare ad Aedilitatem: quod si statuas, nihil erit amplius pugnae inter PISONIS aliorumque veterum et LICINII Annales, a LIVIO haud probe intellectos, sed omni prorsus remota difficultate, non erit difficile intelligere, quo fonte omnis error de Flavii Tribunatu plebejo apud PLINIVM caeterosque manaverit.

Non nihil etiam, quod ad Flavii Aedilitatem, difficultatis habet VALERII MAX. locus *Lib. IX. cap.* 3. *ex.* 3. ubi factum notat Romanae Nobilitatis, qui, quod Cn. Flavius *Praeturam* adeptus esset, adeo fuerint offensi, ut anulos et phaleras deposuerint. HEINECCIVS in *Syntagm. Antiquit. Prooem.* §. 7. existimat, Flavium, Aedilitate functum, deinde *Praetorem* creatum fuisse: verum in ipsa Flavii Aedilitate accidisse, ut Nobiles propter ejus rei indignitatem anulos suos abjecerint et phaleras equorum, non ex PLINIO tantum aliisque Scriptoribus, sed vel ex ipso VALERIO *Lib. II. cap.* 5. *ex.* 2. aperte constat. *Praetoris* vocabulum latioris multo est significationis et notat rei cuicumque publica auctoritate praefectum; vid. celeberr. NOODTIVS *Probabil. Lib. I. c.* 6. ipsos initio Consules *Praetores* appellatos, testatur LIVIVS *Lib. III. cap.* 55. et VARRO apud NONIVM *cap. I. sect.* 91. Dictator etiam *Praetor Maximus* dictus est, vid. LIVIVS *Lib. VII. cap.* 3. Postea vero quam proprius juri dicundo Magistratus constitutus est isque *Praetoris* nomine appellatus, vocabulum ad eos potissimum Magistratus videtur translatum, qui jurisdictioni praeessent, unde *Praetor Fideicommissarius*, *Praetor Tutelaris*, *Prae-*

tores Aerarii et *Fiscales*, quibus fingulis quaedam competebat jurisdictio civilis, in Jurisprudentia Romana aliisque veterum Scriptorum libris memorantur. In primis autem, ob concurrentem Praetorum Aediliumque jurisdictionem, factum videtur, ut *Praetor* interdum pro *Aedili* dicatur, vid. PAVLLI *Recept. Sentent. Lib. I. Tit.* 15. §. 2. ibique Interpp. atque ita, ni fallor, recte defendemus VALERIVM hoc loco *Praeturam* Flavio tribuiffe pro *Aedilitate Curuli*; cum re vera Praetura functum fuiffe, nusquam appareat.

§. 9.

Illuc pervenimus tandem, ut, cujus potiffimum rei cauffa omnis *hoc Capite* a nobis fufcepta fuit difputatio, de ipfis nunc *Faftis* et *jure Civili*, a Cn. Flavio in lucem protracto, accuratius difpiciamus. Hic autem variis fententiarum divortiis, tam veterum Scriptorum, quam recentis aevi Interpretum, cuncta adeo videntur primo confpectu intricata ac fibi invicem pugnantia, ut in multis, quid veri vel certi affirmare tuto posfis, vix invenias. Faftos et jus Civile, per annos prope centum et quinquaginta, feu inde a Legibus XII. Tabb. perlatis ad an. v. c. CDXLVIIII. in Pontificum penetralibus repofitum, Flavium rurfus edidisfe, communi Auctorum veterum confenfu atque opinione publica manifeftum eft: vid. Scriptorum teftimonia *fupr.* §. 1. *fqq.* a nobis producta & quae *Cap. proximo* difputavimus.

DIODORVS quidem SICVLVS, cum alia plura, quae de Flavio referuntur, tum illud etiam de *Faftis* et *Actionibus*, ab eo vulgatis, filentio praeteriit, quamvis Aedilitatis ejus mentionem faciat: nemo tamen, opinor, propterea aliorum confenfui omnium quidquam fidei derogaturus eft. Miror magis, in ampliori PISONIS teftimonio nullam quoque *Faftorum Actionumve legis* mentionem fieri, cum certe eam rem in ipfius Annalibus minime praetermitti oportuerit. Equidem non crediderim, filentio involviffe PISONEM hanc hiftoriam, quoniam LIVIVS, qui et ipfe in hac re exponenda PISONIS Annalibus ufus eft, fatis certo fignificat, illud de *Faftis* et *Actionibus* a PISONE in Annales quoque relatum eumque in hac cauffa nihil a LICINIO aliis-

aliisque dissensisse vetustioribus, si quidem Fastos et jus Civile, a Flavio editum, inter illa referat, de quibus haud discreparet in Annalibus Scriptorum, quos duces sequutum se profitetur: quare omnis silentii hujus caussa uni tribuenda est GELLIO, qui Flavii illud adversus Nobilium superbiam plebejae libertatis documentum, ex PISONIS *Annali* excerptum, nobis retulisse contentus, caetera, quae ibidem loci de Fastis Actionibusque, tum etiam de aedis Concordiae dedicatione Nobiliumque indignatione, super Flavii Aedilitate suscepta, fuerant memoriae prodita, in *Noctes* suas *Atticas* non transposuit.

Nulla etiam inter vetustos Auctores est pugna, quam quidam deprehendisse sibi visi sunt VV. DD. ubi alii Scriptores Flavium *Fastos* tantum modo, ut CICERO *pro Muren.* PLINIVS et MACROBIVS *ll. ll.*; alii autem *Actiones* solum, nulla *Fastorum* mentione facta, ut POMPONIVS; alii denique simul et *Fastos* et *Actiones* evulgasse memorant. Quod ad loca attinet MACROBII et POMPONII, defungi possum, si respondeo, illum *Fastos* duntaxat a Flavio editos scribere, cum de Fastis et anni ordinatione ibi tantum agatur; hunc vero JCtum *Actiones* solum memorare, si quidem illic de formulis tantum modo Actionum solemnibus, seu modo et ratione agendi, non vero etiam de legitimo tempore, quod ex Fastis docemur, tractare sibi proposuerit: CICERO autem *pro Muren. cap. II. Fastorum* nomine procul dubio *Actiones legis*, de quibus potissimum ibi disputare contra Juris Consultos instituit, complectitur: adeo, ut si Scriptorum, qui de hac re meminerunt, loca invicem conferas, appareat, alterum alterius appellatione semper contineri et tam *Fastos*, quam *legis Actiones* partem esse *juris Civilis* intelligere debeamus: quare perperam omnino VORSTIVS *ad Valer. Max. Lib. II. c. 5. ex. 2. jus Civile*, a Flavio vulgatum, intelligit illud jus, quod *XII. Tabb. Legibus* contineretur; cum eoque eundem errans errorem ibidem GLAREANVS, cum jus Civile *XII.* Tabularum centum annis ante (tot enim, temere POMPONIVM sequutus, a Decemviris ad Flavium computat annos, at vid. *supr. Cap. praeced. §. ult.*) vulgatum sit, nequicquam miratur, VALERIVM scribere, id a Flavio demum vulgatum, et *Fastos* duntaxat, non vero et *jus Civile* a Flavio propositum, arbitratus est: nam ex LIVIO, CICERONE et POM-

PONIO ſatis aperte conſtat, Flavium non *Faſtos* tantum, ſed et *Actiones legis* in publicam lucem ex recondito Pontificum penetrali rurſum protraxiſſe: Faſti autem et Actiones *juris Civilis* appellatione deſignantur, non vero etiam leges ſive XII. Tabularum, ſeu quae deinceps aliae perlatae ſunt, eo nomine veniunt: atque ita *jus Civile Papirianum*, de quo ſupra diſputatum *Cap.* 2. §. 3. a ſacrorum rituum Tabulis, ab eodem Papirio in uſum reductis, forte diſtinguendum, Faſtos et ſolemnes formulas Actionum, quibus in jure utebantur litigantes, videtur complexum, non autem, ut ex POMPONIO hactenus creditum eſt, leges quoque Regias, ſeu jura, Regum Romanorum legibus praeſcripta, quae nunquam ditioni Pontificum commiſſa ſunt ab iisque occultari potuerunt. Jus itaque Civile Flavianum continebat Faſtos et ex Legibus *XII.* Tabb. compoſitas ab Juris Conſultis Patriciis Pontificibusque per Diſputationem fori Actiones; id enim jus κατ' ἐξοχὴν *jus Civile* appellatum. Caeterum, ut recte obſervat cl. DVKERVS *ad Livium loc. cit. Faſtos* inter atque *Actiones* id obtinuit proprie diſcriminis, ut, quem ad modum Actiones docerent modum rationemque agendi, ſic Faſti, quo legitimo tempore et die poſſet lege agi, ſignificarent. Quamvis autem utrumque illud myſterium enunciaſſe Flavium, manifeſto conſtet, alterius tamen appellatione expreſſa alterum interdum tacite continetur, neque adeo, cum alii *Faſtos*, alii *Actiones* tantum a Flavio evulgatos ſcribant, repugnant ſibi aut diſſentiunt, ſed alterius nomine rei ſimul utrumque ſignificari voluerunt; dies enim agendi legitimos noviſſe, ſine formularum ſcientia, aut contra Actiones legis ſcire, ubi tempus judicio experiundi ignoraveris, aeque prorſus inutile erat: hinc, ni fallor, COLERVS, a DVKERO notatus *ad Livii loc. cit.* defendi poteſt, quando, in *Not. ad Valerii Max. locum Faſtos*, ex POMPONIO interpretatur *librum, qui jus Civile Flavianum poſtea dictus eſt.*

Duo adhuc reſtant nobis accuratius hoc loco inveſtiganda: alterum, quo modo ipſe Flavius hanc Faſtorum legisque Actionum notitiam ſibi acquiſiverit: alterum, quo modo, quando et qua auctoritate jus Civile evulgarit Faſtosque propoſuerit? Quod ad prius attinet; cum inde a Decemvirorum temporibus Pontifices jus Civile, ſeu Faſtos et Actiones, intimis penetralibus ſuis repoſitum, anxie et ſumma cura occultaverint, mirum ſane non poteſt non videri, qua uſus occaſione, qua tandem

tandem arte aut via, Cn. Flavius, humillimae fortis homo, libertini filius et Scriba, hanc fcientiam compilare et Patricios de posfesfione Jurisprudentiae deturbare valuerit? Tefte LIVIO, Flavius *callidus* erat vir et *facundus*; PLINIVS *fagax* illi tribuit *ingenium:* fed neque fola calliditas neque facundia aut fagax ingenium fufficere illi potuiffent ad Pontifices decipiendos illorumque cornicum oculos configendos, nifi et fimul tempus idoneum atque opportuna accesfisfet occafio. Videamus, ecquid lucis veterum teftimonia Scriptorum nobis fuppeditent, unde conjecturam facere posfimus in re obfcura probabilem: CICERO in *Orat. pro Muren. cap.* II. Flavium *cornicum oculos confixiffe*, fcribit, *et fingulis diebus* EDISCENDOS *Faftos populo propofuiffe et ab ipfis cautis Juris Confultis eorum fcientiam compilaffe:* quibus in verbis, licet nullo variante codice ita conftanter exhibeantur et nemo Interpretum de lectione dubitaverit, mihi tamen vitium quidem leve, at minime praetermittendum, latere videtur: neque enim Flavius *fingulis diebus edifcendos Faftos populo propofuit*, id eft quotidie aliquam Faftorum particulam populo edifcendam exhibuit: fic namque fraude facili detecta negotio, continuo huic rei impedimentum paraffent Pontifices: fed fimul uno eodemque tempore Flavius univerfos Faftos atque Actiones publicavit; unde VALERIVS MAX. *paene toto foro expofuisfe*, ait; neque vult Orator, Flavium *fingulis diebus edifcendos Faftos propofuiffe*, id eft, quos populus fingulis diebus edifceret: quo etiam nihil minus vero fimile: non etenim, cum jus illud Civile propofitum loco publico effet, opus fuit, ut quotidie populus edifceret vel dies faftos vel folemnes formulas; fed, quoties lege agendum erat, ex albo diem et Actionem, ut ante a Pontificibus, cuique petere licebat. Integritati haud difficulter reftituemus locum, fi pro *edifcendos*, una literula fub finem demta, legamus *edifcendo*: nempe hoc dicit TVLLIVS, Flavium, quos affidue et fingulis diebus confultando edidicerat Faftos et Actiones, populo propofuiffe: atque hunc verborum effe fenfum, ipfe prodit CICERO, cum mox addat, ita Flavium ab ipfis cautis Juris Confultis eorum fcientiam *compilaffe*, id eft, fingulis diebus juris Civilis particulam aliquam edifcendo paullatim memoria excepiffe totam hanc fcientiam: idem hoc confirmat PLINIVS, fcribens, Flavium Ap. Caeci hortatu excepiffe faftos dies *confultando affidue fagaci ingenio.*

In

In alia vero omnia abit POMPONIVS: *cum*, inquit, *Appius Claudius proposuisset et ad formam redegisset Actiones*, *Cn. Flavius* —— *subreptum librum populo tradidit*: G. EBERLINVS in *Explicatione in Tit. D. de Orig. jur. pag.* 45. hoc loco verbum *proposuisset* τῇ τῶν προθέσεων ἐτερώσει interpretatur *composuisset*; ut contra apud CICERONEM *Lib. VI. Ep.* 1. *ad Attic.* Flavium *composuisse* dici putat *Actiones*, loco τοῦ *proposuisse*: idem sentit ampl. BYNKERSHOEKIVS, quem vid. in *Praeterm. ad Pompon. pag.* 25 et 28. Verum tamen, ut fatear ingenue, mihi nondum certo satis apparuit, POMPONIVM aliosve Scriptores *componendi* ac *proponendi* verbis promiscue usos fuisse, sed Librarii potius ex scripturae compendio, quo praepositiones in verbis compositis notari solent, confudisse saepius haec duo videntur: quare in POMPONII quidem loco cum MVRETO in *Not. ad h. l. Tom. IV. Thes. Jur. Ott. pag.* 156. et BACHIO *Hist. Jurispr. Lib. II. c.* 2. §. 4. legendum arbitror *composuisset*, id est compilasset et in ordinem digessisset Actiones; atque ita apud CICERONEM Flavius dicitur *composuisse Actiones*, quod non exponendum cum EBERLINO *proposuisse*, sed *compilasse*, *digessisse*. Quae sequuntur verba POMPONII; *ad formam redegisset has Actiones*: ita accipit ill. Praeses in *Praeterm.* ad *h. l. et* §. 12. ut *formam* interpretetur *modum et ordinem verborum, quem Ap. Claudius praescripsit et continere voluit agendi regulam: conf.* HEINECCIVS *ad Brisson. de Verb. Signif. voc. forma.* Verum tamen, si ita locum accipiamus, haud vera mihi loquutus videtur Juris Consultus, sed pugnantia scripsisse: etenim, cum, perlatis *XII.* Tabb. Legibus, mox legis Actiones, id est, agendi formulae, seu modus et regula agendi, a Juris Consultis, sive Pontificum collegio, perscriptae et compositae sunt, ut docet POMPONIVS §. 6. non equidem video, quo modo possit §. *sq.* idem JCtus scribere, aut ita cum Interpretibus intelligi, Ap. Claudium, circiter centum et quinquaginta annis post, modum et verborum ordinem atque adeo regulam agendi, demum praescripsisse: nisi quis forte cum PANCIROLLO *Var. Lect. Lib. II. c.* 2. Ap. Claudium, hoc memoratum loco, intellexerit *Decemvirum* Appium, quod de viro ampl. suspicari nolim: certe cum Flavius, qui surreptum librum dicitur populo tradidisse, hic describatur *ejus* Appii *Scriba*, ostendit, designari nullum alium, quam *Ap. Caecum*, Censorem. Recte, ni fallor, ac facile interpretabimur

POM-

POMPONIVM, ſi hoc loco *componere* et *ad formam redigere* accipiamus ſignificatione ſynonyma, ut dicatur Ap. Claudius *compoſuiſſe et ad certam redegiſſe formam Actiones*, id eſt, formulas agendi in concinnum ordinem digeſtas et redactas conſcripſiſſe in libro, quem deinde librum Flavius Scriba Appio ſurreptum dicitur populo tradidiſſe: §. autem 12. cum ſcribit JCtus, *legis Actiones* eſſe, *quae formam agendi continent* τὸ *forma* pro *formula verborum ſolemni* ponitur, quae eadem ſignificatio priori loco obtinere non poteſt, nam dicere *Actiones*, id eſt formulas agendi modumque et ordinem verborum, ab Ap. Claudio *in formam*, id eſt, in modum et verborum ordinem, eſſe redactas, plane abſurdum eſt.

Caeterum POMPONIVS, CICERO ac PLINIVS hoc diſcrepant, quod ille Ap. Claudium compoſuiſſe has Actiones, Cn. vero Flavium librum illi ſurreptum populo tradidiſſe; hi autem ipſum Flavium, virum ſagaci ingenio, aſſidue conſultando et ſingulis diebus ediſcendo, Faſtos et Actiones compoſuiſſe atque in lucem edidiſſe, auctores ſint. Haec qua via in concordiam redigi poſſint, haud facile dixerim: nulla fortaſſis videbitur commodior, niſi, ut ſtatuas, Flavium, Scribam Aedilicium et Praetorium, cum illis quotidie Magiſtratibus appareret, apud quos faſtis diebus lege ageretur, quosque adeo et Faſtos et legis Actiones probe cognitas habuiſſe, neceſſe eſt, ſingulis diebus ediſcendo et hortatu ipſius Appii, ut PLINIVS addit, conſultando, memoria paullatim excepiſſe illos dies atque Actiones, in iisque componendis et certo ordine digerendis Ap. Caecum, Juris Civilis apprime peritum ac tum Nobilitati infeſtum, operam Flavio commodaſſe: quem poſtea librum Flavius, quaſi ſurreptum et clanculum Appio ſubductum, in Aedilitate evulgavit. Vnde ſimul etiam colligitur, qua opportuna uſus videatur Flavius occaſione, Faſtos et Actiones compilandi. PANVINIVS *in Comment. in Faſt. Lib. I. pag.* 5. conjicit, Ap. Claudium *Pontificem* forte fuiſſe, cumque faſtos dies apud ſe haberet, Flavio Scribae ejus occaſionem fuiſſe, eos una cum formulis Actionum ex Tabulis Pontificum excipiendi: qua eadem, ut videtur, impulſus ratione SICCAMA in *Comm. in Faſt. Kalend. Cap. I. pag.* 39. obſervat, Ap. Claudium Pontificem fuiſſe Maximum. Verum tamen, hoc quidem anno, quo Flavius Faſtos propoſuit publice, non Claudium Caecum, ſed Cornelium Scipionem Barbatum ſummo

functum Sacerdotio fuisse, evincit LIVII auctoritas *Lib. IX. cap.* 46. conf. *supr. h. cap.* §. 2. *pag.* 100. In Pontificum vero collegium an fuerit hoc tempore Appius cooptatus, ut arbitratur ONVPHRIVS, nullo, quod sciam, veteris Scriptoris testimonio docemur: neque enim, quod Appius Fastos Actionesque legis probe cognitas habuerit, neque quod apprime fuerit juris sciens, uti ex LIVIO *Lib. X. c.* 22. constat, ubi inter callidos sollertesque juris atque eloquentiae Consultos celebratur; neque tandem, quod contra Decium Murem, lata lege Ogulnia de *Sacerdotiis cum plebe communicandis*, Patriciorum caussam defendens in primis certasse memoretur *ibid. Lib. cit. cap.* 7. inde continuo colligere est, Pontificem quoque eum fuisse. Quamvis enim initio, perlatis XII. Tabularum legibus, Jus Civile, seu omnis leges interpretandi scientia, penes collegium fuerit Pontificum, teste POMPONIO *l.* 2. *de O. J.* §. 6. neque adeo, usque ad Cn. Flavii tempora, quisquam videatur de jure respondisse, nisi Pontifex; fuere tamen his temporibus, praeter Pontifices, alii bene multi, ex plebejis etiam, egregie juris civilis periti, quique et fastos dies formulasque legum solemnes sciebant: etenim, cum Flavii aetate Praetores atque Aediles, qui Magistratus praecipue juri dicundo praepositi erant, promiscue tam ex plebe quam Patribus crearentur, necessario illi et Actiones et legitimos agendi dies, quos privati a Pontificibus petebant, novisse debuerunt. Quare sic equidem existimo, Cn. Flavium, dum per plures jam annos, Scribae munere functus, iis potissimum Magistratibus apparuisset, qui jurisdictioni praeessent, consultando assidue ediscendoque singulis diebus Fastos et Actiones, paullatim hanc Juris Civilis scientiam compilasse, impulsum maxime adjutumque ab Ap. Caeco, qui tum temporis, odio Nobilitatis incensus, maximopere plebi favebat: quamvis idem haud ita multo post, relicta plebe et forensi turba, ad Optimates reversus, contra legem Ogulniam acriter certaverit.

Alterum, in quod supremo loco inquirendum nobis restat, est, ut videamus, quo modo, quando et qua auctoritate Flavius Jus Civile et Fastos evulgaverit. Monet ill. Praeses BYNKERSHOEKIVS, alios esse ex Scriptoribus rei Romanae, qui velle videantur, Flavium, jam ante publicationem Fastorum Actionumque legis, Aedilitatem Curulem obtinuisse, alios autem, quos et ipse POMPONIVS sequutus sit, contende-

re,

re, Flavium ex ea demum publicatione hanc meruiſſe dignitatem: et hoc verius putat vir ampliſſimus, cum hominem obſcurum et Scribam, niſi aura populari, quam ante meruerit, in lucem protractum eſſe, non fiat vero ſimile. Prius quam accuratius veterum Scriptorum utriusque opinionis teſtimonia ſub examen revoco, animadvertendum eſt, Flavium, hominem callidum et ſagaci ingenio, Tribunatu aerarii duobusque Triumviratibus jam perfunctum, atque adeo plebi cognitum ſatis, alia potuiſſe habere in promtu, quibus populi favorem meruerit, ut, quamvis Scriba adhuc, a factione illa forenſi ad Aedilitatis honorem promoveretur una cum Q. Anicio Praeneſtino, homine ipſo Flavio etiam magis obſcuro, ut minime neceſſe ſit, cum ill. Praeſide aliisque propterea credere, Flavium ante Aedilitatem Faſtos evulgaſſe. Qui Flavium ante, quam Aedilis crearetur, Faſtos in lucem edidiſſe velint, ex vetuſtis Auctoribus citat HEINECCIVS *Lib. I. Hiſt. Jur. Rom.* §. 48. *in not.* POMPONIVM, GELLIVM et CICERONEM: at GELLIVS quidem, (quem BACHIVS etiam huc citat, *Hiſtor. Jurisp. Rom. Lib. II. c.* 2. §. 4.) ubi ex PISONE Flavium Aedilem Curulem creatum refert, nullam Faſtorum mentionem facit; itaque perperam omnino huc advocatur; credo, virum cl. memoria lapſum, GELLIVM citaſſe loco PLINII, ut recte habet in *Prooem. Antiq. Rom. ad Inſt.* §. 7. ubi tamen CICERONEM inter illos non recenſet: contra vero LIVIVM cum eoque VALERIVM MAX. arbitratur docere, jam tum Flavium, quum iſta Patriciorum arcana evulgaret, Aedilem fuiſſe. Aſt mihi quidem, ut ingenue fatear, unicus tantum modo teſtis produci poſſe videtur, PLINIVS nempe, qui velit, Flavium ante Aedilitatem, dum Scriba adhuc eſſet, myſteria haec enunciaſſe, quippe, *publicatis diebus faſtis*, ſcribit, Flavium *tantam gratiam plebis adeptum eſſe* —— *ut Aedilis Curulis crearetur* —— *ſimul et Tribunus plebis:* POMPONIVM namque, qui totidem fere verbis ex PLINIO haec repetiit, pro altero teſte minime in hac cauſſa puto habendum. Quod vero ad CICERONIS teſtimonium attinet, is, cum ſcribat, Flavium *Scribam* Faſtos protuliſſe et Actiones compoſuiſſe, vid. *Lib. IV. Ep.* 1. *ad Att.* et *pro Muren. cap.* 11. inde nihil certi pro ea ſententia colligi poteſt: nam, vel *Scribam* Flavium Faſtos protuliſſe dicit, ut priſtinam ejus ſignificet conditionem, illum nempe fuiſſe Flavium, qui antea Scriba fuiſſet, vel, ut ſupra jam nobis ob-

ſervatum, *Scribae* nomen illi apponit cognomenti loco; quem ad modum LIVIVS, ſcribens, *eodem anno Cn. Flavius Cn. F. Scriba* —— *Aedilis Curulis fuit;* non profecto voluit, Flavium Aedilitate Curuli functum, cum adhuc Scriba eſſet, ſed Flavium illum, qui antea fuiſſet Scriba; cujus generis modos loquendi nemo ignorat Romanae linguae peritus. Imo vero ex ipſo, quod hic apud CICERONEM eſt, verbo *proponendi* et, quo in eadem re *Lib. I. de Orat. c.* 41. uſus eſt, *exponendi*, colligere mihi videor, id potius indicaſſe TVLLIVM, in ipſo Magiſtratu Faſtos et Actiones a Flavio evulgatas.

Alterius ſententiae et, ut puto, melioris, Flavium in Aedilitate Faſtos protuliſſe, unicum citant Interpretes auctorem VALERIVM MAX. diſertiſſimis verbis teſtatum, Flavium, cum ingenti Nobilitatis indignatione factum Aedilem Curulem, Jus Civile evulgaſſe ac Faſtos paene toto foro expoſuiſſe: vid. *Lib. II. c.* 5. *ex.* 2. De LIVIO enim diſſentiunt, in incerto habentes, utri potiſſimum opinioni faviſſe illum arbitrentur: *Civile Jus*, inquit ille, *repoſitum in penetralibus Pontificum, evulgavit Faſtosque circa forum in albo propoſuit.* Negat cl. DRAKENBORCHIVS in *not. ad h. l.* inde colligi ſatis poſſe, utrum velit, Flavium Jus Civile et Faſtos evulgaſſe prius, quam Aedilis Curulis creatus ſit, an vero poſtea demum, cum jam ad id honoris eſſet evectus. Aſt vero non aliunde usquam majus praeſidium aut certius pro ea ſententia, quae ſtatuit, Flavium in Aedilitate Faſtos propoſuiſſe, reperiri poſſe exiſtimo, quam iſto LIVII loco, non ideo tantum, quod dicit, Flavium in ALBO *propoſuiſſe*, quod a Magiſtratibus fieri ſolebat, ut recte animadvertit jam cl. HEINECCIVS in *Hiſt. Jur. loc. cit.* contra quem nullo jure contendit doctiſſ. BACHIVS *Hiſt. Jurispr. Rom. Lib. II. c.* 2. §. 4. *in not.* inde exiſtimandum non eſſe, Flavium jam tum Aedilem aut in Magiſtratu fuiſſe, *album* enim quamvis eſſe *tabulam*, qua quid populo ſive publice ſeu privatim ſignificetur: nam verbum *proponere*, *proponere in Albo*, et in primis, ſi addatur locus publicus, uti hic *proponere in Albo circa forum*, formulae ſunt apud Scriptores rei Romanae, quibus omnino indicatur, non privatim et propria auctoritate, ſed vi ac jure Magiſtratus aliquid facere palam ac populo evulgare. Sed vel maxime ipſa rerum geſtarum apud LIVIVM ſeries et ordo probat, ejus fuiſſe ſententiae, ut Flavium velit in Aedilitate Faſtos et legis Actiones publicaſſe: Flavius

eo

eo anno Aedilis fuit: diſſentiunt veterum Annales, utrum ad Aedilitatem Scribae munere functus ſit, an vero ante Aedilitatem aliquanto ſcriptum facere deſierit: caeterum, id quod haud diſcrepat, Flavius contumacia adverſus contemnentes humilitatem ſuam Nobiles certavit, Civile jus evulgavit, Faſtos propoſuit, aedem Concordiae dedicavit ſumma Nobilium invidia; ubi ad collegam aegrum viſendi cauſſa veniſſet, ſibique a Nobilibus juvenibus non aſſurgeretur, ſellam afferri juſſit Curulem ac ſede honoris ſui anxios invidia inimicos ſpectavit: quae ſingula, hoc ordine a LIVIO narrata, niſi ad annum Flavii Aedilitatis, quo poſſint referri, non video.

PIGHIVS in *Annal. ad an.* V. C. CDXXXXVII. et TROTZIVS *ad Hugon. pag.* 453. in priore Tribunatu plebejo, quem iſto anno gefferit, Flavium evulgaſſe Faſtos arbitrantur; ſi quidem, ut recte animadvertunt, in Magiſtratu hoc fieri oportuerit, cum alioquin privati Scribae conatibus facile occurriſſet Senatus, itaque ſi ſtatuas, rem omnem putant eſſe in vado. Verum obſtat maxime huic opinioni eamque ſubvertit plane, quod uterque Flavii Tribunatus iſte plebejus, quem finxit PIGHIVS, non tantum ſuſpectus ſed omnino falſus eſt, ut ſupra docuimus; tum etiam, quod nemo in Tribunatu, ſed omnes in Aedilitate Jus Civile a Flavio Scriba evulgatum tradiderint, uno excepto PLINIO, qui tamen ipſe non quidem in Tribunatu hoc factum ſcribit, ſed Flavium Faſtorum publicatione Aedilitatem meruiſſe et Tribunatum plebis. Illud etiam quaero, an in Tribunatu plebejo Flavius, ſi jam concedamus, hoc eum Magiſtratu functum, Faſtos et Actiones publice proponere potuerit? equidem vix credo: nempe Magiſtratibus quidem omnibus jus competebat edicendi edictaque in albo proponendi, verum de iis tantum modo rebus, quae ad ipſorum curam ſeu Magiſtratum directo ſpectarent, uti ex Cenſorum, Conſulum aliorumque Magiſtratuum edictis manifeſtum eſt. Cum vero Faſti et Actiones, quamvis, ut ſupra diximus, partem conſtituerint juris ſacri inter caerimoniasque Deorum jus illud Civile abditum ſolis notum eſſet Pontificibus, proprie tamen ad jus privatum pertinebant et jurisdictionem civilem, atque adeo ad eorum curam Magiſtratuum, qui de cauſſis privatis jus dicere ſoliti erant. Tribuni autem plebis edicta quidem de jure publico de iisque rebus, quae ad ſui curam Magiſtratus ſpectarent, proponere potuerunt, quem ad

 mo-

modum alii Magiſtratus omnes, eamque edicendi poteſtatem quin a prima inſtitutione habuerint, nullus dubito: de cauſſis vero privatis, quaeque ad jurisdictionem pertinerent civilem, Tribunos non ante propoſuiſſe edicta, quam ultimis rei publicae temporibus, quando demum, propter appellationes ad ſe factas, aliquam ſibi jurisdictionem arrogare coeperint, cenſent juris Romani Doctores, vid. BACHIVS *Hiſt. Jur. Rom. Lib. II. c.* 2. *Sect.* 3. §. 2. *in not.* ſed ne tum quidem judicaſſe arbitror Tribunos plebis de cauſſis privatis et civilibus, aut provocationem civilium cauſſarum ad Tribunos fuiſſe conceſſam; quae enim huc vulgo referuntur veterum Scriptorum loca, cauſſas magis ſpectant judiciorum publicorum; ut alibi accuratius contra receptam vulgo Interpretum opinionem oſtendere adnitar.

His itaque in anteceſſum diſputatis, ſi colligamus ſuffragia, CICERONEM, LIVIVM et VALERIVM MAXIMVM, tres claſſicos teſtes atque omni exceptione majores, videmus unanimi conſenſu probare, Flavium in Aedilitate Curuli, quando vi Magiſtratus de jurisdictione et cauſſis civilibus jus proponendi edicta ipſi competeret, Faſtos et Actiones evulgaſſe, propoſito publice circa forum albo. Vnicus vero PLINIVS teſtis eſt, publicatione Faſtorum Flavium Aedilitatem meruiſſe atque adeo Faſtos ante, quam fieret Aedilis, protuliſſe in lucem: at qualis teſtis? multo minoris profecto fidei aliis, aetate prioribus; quique in eo etiam certiſſime erravit egregie, quod Flavium eodem ſimul anno Aedilitate ac Tribunatu plebejo functum arbitratur. Quare, cauſſa cognita, tum propter teſtium numerum et auctoritatem, tum in primis, quod appareat, Flavium, dum privatus adhuc eſſet et Scriba, Faſtos proponere non potuiſſe, omnino pronunciandum cenſeo ſecundum eos, qui ſtatuunt, Faſtos et Actiones Flavium in Aedilitate publicaſſe, atque adeo Faſtorum evulgationem minime fuiſſe cauſſam Flavianae Aedilitatis, ſed effectum, quando quidem favore plebis, adnitente forenſi factione Ap. Caeci, ſumma Nobilium indignatione Aedilis Curulis factus, teſte LIVIO, adverſus eos, contemnentes humilitatem ſuam, inter alia hac etiam re maxime certaverit, quod Jus Civile evulgaret et Faſtos circa forum in albo proponeret. Si cui tamen non omnino videatur PLINII rejicienda auctoritas, ſed ipſum cum eoque POMPONIVM, ſi qua fieri poſſit ratione, malit cum aliis Scripto-

ri-

ribus vetustis in concordiam redigere, is, per me licet, cum HEINECCIO in *Hist. Jur. Rom. l. c.* statuat, Cn. Flavium, cum Scriba adhuc Praetori Aedilibusque Curulibus appareret, Actiones illas compositas et in libro privata auctoritate digestas, edidisse in vulgus, seu passim ex eo libro apud plebem dies fastos et formulas Actionum, Pontificum mysteria, enunciasse; quo deinde beneficio cum populum universum turbamque in primis Appii forensem sibi devinxisset, Curulem Aedilem creatum in eoque honore publica auctoritate, cum jure Magistratus sui id illi liceret, Fastos et Actiones in Albo circa forum proposuisse.

Caeterum ex hoc tempore Tabula quidem Fastorum, ut vero simile est, publico loco proposita semper mansit, ut dies agendi omnibus civibus inde cognoscere liceret: Actiones vero ex edicto Flavii Aedilicio a privatis peritioribus, qui Juris Consultorum nomen sibi vindicarunt postea, in librum transcriptae, isque liber, teste POMPONIO *Jus Civile Flavianum* appellatus est, *sicut ille* (Papirii liber) *Jus Civile Papirianum*; NAM *nec Flavius de suo quicquam adjecit libro.* Quae verba, vereor, ut recte ceperint Interpretes Juris Romani: non enim, ut arbitrantur RVTILIVS *in vit. JCtor. p. m.* 23. et EBERLINVS *ad Tit. de O. J. pag.* 47. quia gratum munus id fuerit populo, in honorem Flavii, a quo liber populo esset traditus, *Jus Civile Flavianum* appellatum esse, significat POMPONIVS, licet Flavius nihil de suo addidisset, sed ab Ap. Caeco esset compositum: verum eodem prorsus modo JCtus nominatum vult *Jus Civile Flavianum*, quo Papirii liber *Jus Civile Papirianum* esset appellatum; non quod de suo quicquam adjecerit Papirius vel Flavius, sed quod uterque jus illud Civile composuisset atque ordine dispositum ad formam redegisset, idque jus apud Romanos deinceps publicum in foro usum obtinuerit; conf. *supr. cap.* 2. §. 33. *pag.* 67. ubi de appellatione *Juris Papiriani* disputavi; ad quem tamen locum, ut mea obiter vineta hic caedam, nunc animadverto paucis: cum crediderim, sequutus virum celeberrimum, Jus illud Papirianum a SERVIO *ad Virgilium* nomine *legis Papiriae* intelligi, et *pag sq.* contenderim, *Jus Flavianum* aut *Aelianum* ad eam rationem appellatione *legis Flaviae* aut *Aeliae* dici recte non posse, propterea, quia neque Flavius neque Aelius Sextus, vi muneris publici, sive civilis seu sacri, jura illa publice per edicta proposuissent, me, communi opinione dicam an errore, versatum,

tum, ita animum tunc induxisse, ut Fastos et Actiones ante Aedilitatem a Flavio, homine privato et Scriba, arbitrarer evulgatas; cui sententiae hic plane contraria scripsi et, ut puto, ostendi, Flavium quoque jus suum in Magistratu palam in albo et per edictum proposuisse. Quare nunc eam opinionem, sub accuratius examen revocatam, sic muto, ut credam potius, SERVIVM, ubi *legis Papiriae* mentionem facit, non quidem jus illud universum Papirianum, ex Numae regis Commentariis collectum et a Papirio compositum digestumque, sed specialem legem aliquam de *Ritu Sacrorum*, ab ipso Papirio, Pontifice Max. sancitam et publicatam, respexisse; licet forte et lex illa Papiria, una cum Fastis et Actionibus tum legibus quoque sacris Numae Pompilii Pontificumque, eodem illo Jure Papiriano fuerit relata: *Lex* itaque dicitur *Papiria*, cujus ipse Papirius auctor fuit latorque, *Jus Papirianum* collectio est et legum Συναγωγὴ a Papirio digesta atque usu recepta publico.

§. 10.

In CICERONIS loco *pro Murena*, quem supra exposuimus, non nihil difficultatis superest, quod dudum et nunc etiam Juris Romani Interpretibus et doctis Antiquariis insigni caussam controversiae praebuit. Nimirum Orator JCtorum scientiam, tanquam tenuem et in qua nulla possit esse dignitas, elevare conatus, postea quam dixerat, Cn. Flavium Scribam Fastos et legis Actiones (quas certe *Fastorum* appellatione complectitur) proposuisse ab ipsisque cautis Juris Consultis eorum compilasse scientiam, haec addit continuo verba: *itaque irati illi* (Pontifices, qui iidem JCti) *quod sunt veriti, ne, dierum ratione promulgata et cognita, sine sua opera* LEGE *posset* AGI, NOTAS *quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.* Summus CVIACIVS, quamvis in *Observ. Lib. XII. cap.* 40. docuisset, hoc discrimen inter *Notas* et *Siglas* proprie intercedere, quod *Notae* signa essent quaedam a communi literas ducendi consuetudine diversa, *Siglae* autem literae vulgares, a quibus certae voces incipiant, quibusque singulatim positis totae illae voces intelligantur; in *Observ.* tamen *ad Pomponium l.* 2. *§.* 7. *de O. J.* *Notas* in hoc CICERONIS loco interpretatur *formulas*, quae *Notis* perscribi

bi solitae sint, id est *literis singularis*, quae etiam *Notae* dicantur. GRAEVIVS autem in *not. ad Ciceron. b. l.* et HEINECCIVS in *Hist. Jur. Lib. I. §.* 49. arbitrantur, *Notarum* appellatione TVLLIVM intellexisse, non Siglas, sed certa signa, quibus unum verbum aut plura exprimerentur; cujus modi habemus *Notarum* collectionem, subjectam *Corpori Inscriptionum Gruteriano.* MANVTIVS per *Notas* intelligit *verba obscura;* CAMERARIVS simpliciter *formulas Actionum;* alii, ut EBERLINVS, *formulas Notis perscriptas.* Praestantissimus vero ERNESTIVS in *Clav. Cic. v. Nota* totum illud de Notis formularum pro commenticio habet, ratus, *Notas componere* nihil significare aliud, quam obscuras et contortas Actionum formulas excogitare; eamque deinceps interpretationem probaverunt cl. RITTERVS ad *Heinecc. Hist. Jur. Lib. I. §.*49. et BACHIVS in *Hist. Jurisp. Rom. Lib. II. c.* 2. *sect.* 4. §. 5. aliique viri docti. Sententiae suae haec profert argumenta ERNESTIVS, I. Notas, quales vulgo hic intelligunt, non adeo videri vetustas, ut de his CICERO possit intelligi. II. CICERONEM manifeste hic de formulis Actionum loqui; cuncta enim Notarum exempla, quae subjiciantur, formulas esse Actionum. III. *Componere* de formulis recte posse dici, non vero de signis etiam obscuris siglisque. IV. In toto reliquo loco nihil de talibus signis literarum vel siglis memorari. V. Neminem veterum de talibus signis literarum memoriae quidquam prodidisse. VI. Plane opus non fuisse, formulas Actionum illas Notis perscribi, ne a servo iterum vel Scriba publicarentur: cavendum tantum modo, ne in talis hominis manus venirent, qui iis vulgandis gratiam popularem captare vellet ac posset. Denique VII. non per Notas quidem caveri potuisse, ne publicarent ii, qui eas tenerent, ut ab Aelio factum. Quibus motus rationibus lubens accedebam sententiae viri cl., in primis, quod necessario totius orationis nexus, ut recte BACHIVS animadvertit, nos monet etiam, uti *Notas* isto CICERONIS loco *novas formulas* interpretemur: edito enim Jure Flaviano evulgatisque Actionibus legum priscis, Pontifices irati et aegre ferentes, quod vetiti sint, ne jam sine sua opera lege posset agi, continuo, ut amissam Juris Civilis possessionem quodam modo recuperarent ipsique rebus interessent, novas quasdam composuerunt formulas, quas quo minus, cum CVIACIO aliisque, Notis vel siglis perscriptas existimem, facit praesertim, quod nihil prorsus occultior illa scriptura conferre po-

tuit, ut ne rursum in vulgus ederentur postea novae legis Actiones, eodem, ut a Flavio factum, modo exceptae et compilatae per hominem callidum et sagaci ingenio. Imo inutilis plane fuisse videri debet illa formularum scriptura per Siglas vel Notas, si quidem profecto, quoties privati, ut judicio experirentur, Actionis formulam a collegio Pontificali peterent, Pontifex ejus modi formulam, non siglis exaratam, sed integre ac plenis literis perscriptam, consultoribus dare debuerit; quum haud alio modo solemniter in judicio potuisset decantari.

Vnus tamen hac in re mihi restat scrupulus, difficulter, ut puto eximendus: nempe, quod nullum hactenus a VV. DD. exemplum ex vetustis Scriptoribus prolatum est, quo possit satis certo probari, vocem *Nota* pro *formula solemni* olim fuisse adhibitam: unicus ille, quem laudatus ERNESTIVS huc referendum censuit, OVIDII locus ex *Heroid. Epist.* XX. nihil sane persuadet, ut TVLLIVM credam *Notas componere* dixisse pro *formulas obscuras* & *contortas Actionum componere*. Sic Poëta *Epist. cit. vs.* 210. de malo Acontii jacto ad Cydippen:

> *Postmodo, nescio qua, venisse volubile malum,*
> *Verba ferens doctis insidiosa* NOTIS.

idem vir cl. *doctas Notas* explicat *formulam juris jurandi*, vafre excogitatam, qua Acontius amator sui juris faceret Cydippen: at vero τὸ *Notis* eo versu vel aliter paullo exponendum vel levi opera corrigendum existimo: nempe Acontii illud pomum *verba* dicitur tulisse *doctis insidiosa notis*, id est verba seu juris jurandi formulam doctis notis, id est literis, seu docto carmine notatam et scriptam: carmine enim constitisse jus illud jurandum, patet ex *sq. Epist. vs.* 107. et 110. Aut forte ita legendum potius:

> *Verba ferens* TECTIS *insidiosa* DOLIS.

quo possit referri, quod in *ead. Epist. vs.* 39. *sq.* Acontius scribit:

> *Di faciant, plures possim tibi ponere nodos,*
> *Vt tua sit nulla libera parte fides.*
> *Mille* DOLI *restant.*

et

et *Epist. sq. Cydippes vs.* 122.

> *Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt,*
> *Sumque parum prudens capta puella* DOLIS.

pro *doctis* in medio versu obiter quoque emendavi *tectis*, quod epitheton magis videtur convenire modestiae amatoris Acontii: *tectos dolos* dicit commenta, quibus puellae struxerat insidias; ut apud TIBVLLVM *Lib. III. Eleg.* 6. *vs.* 12.

> *Aut si quis vini certamen mite recusat,*
> *Fallat eum* TECTO *cara puella* DOLO.

Quare et in hoc, quem versamus, CICERONIS loco vetus resedisse vitium arbitror, aberrantis Librarii manu vel oculo commissum ac postea per omnes propagatum codices. Et initio quidem pro NOTAS *quasdam composuerunt* scripsisse CICERONEM conjiciebam NODOS *quosdam composuerunt:* ut *nodos* scilicet dixerit Orator formulas ejus modi obscuras contortasque Actionum legis, vafre excogitatas a Pontificibus; quem ad modum, teste cl. ERNESTIO *loc. cit.* hoc verbum HORATIVS de formulis JCtorum in cavendo usurpaverit: sed diligenter quamvis quaesiverim, nondum tamen ego istum Venusini Poëtae locum invenire potui: fere crediderim, respexisse doctiss. virum ad illa IVVENALIS *Satyr. VIII. vs.* 50.

> — — — — *veniet de plebe togata,*
> *Qui juris* NODOS *et legum aenigmata solvat.*

verum neque illic per *juris nodos* intelligenda puto dubia JCtorum responsa vel formulas, quibus utebantur in cavendo, sed obscuras potius legum et juris vetusti quaestiones, quas AMMIANVS quoque *legum Romanarum et veteris juris obscuritatem* dixit. Itaque cum et hoc vocabulum alibi, quod sciam, eo sensu pro formula JCti, qua in jure clientibus caveretur, aut pro legis Actione obvium non sit, ut CICERONI consulamus et in una voce imo una literula laboranti, succurramus, aliud adhibendum erit remedium, quod levi opera ac felici successu tuto posse fieri arbitror, si loco τῶ NOTAS restituamus NOVAS; id quod miror, nemini

Interpretum venisse in mentem: *itaque*, inquit, *irati illi* (Pontifices, evulgato per Flavium jure Civili) *quod sunt veriti*, *ne*, *dierum ratione promulgata et cognita*, *sine sua opera* LEGE *posset* AGI, NOVAS *quasdam composuerunt;* puta *legis Actiones*, ut facile intelligebatur ex proximo praecedenti *lege agi* exque tota oratione praemissa, quae de *legis Actionibus* tractabat. Cujus modi *βραχυλογίαν* nemo, opinor, damnabit hoc loco, sed facile mecum ita exponet, ac si dixisset Orator aut in animo habuisset dicere: *itaque Pontifices irati ac veriti*, *ne*, —— *sine sua opera legis Actiones institui possent* (ex jure nimirum Flaviano, publice jam proposito) NOVAS *quasdam* (legis Actiones) *composuerunt.* Quales loquendi modos, in quibus nomen Substantivum per Ellipsin reticetur, at facile ex intellectu praecedentis membri orationis repetendum, genio linguae congruere atque aliquando apud Scriptores obvios nobis fieri, non est, quod dubitetur: ita PLAVTVS in *Mercatore Act. II. sc.* 2. *vs.* 33. *hodie in ludum occoepi ire literarium:* TERNAS *jam scio:* intellige *literas*, quod non ex usitata Ellipsi, ut alias, quando *literarum* nomen pro *epistolis* ponitur, sed vero inde cognoscitur, quod proxime antecessit de *ludo literario;* conf. VOSSIVS *de Construct. Lib. VII. Art. Gramm. pag.* 19. refero huc etiam locum CICERONIS ex *Lib. I. de Orat. cap.* 41. ubi scribit: *veteres illi*, *qui huic scientiae praefuerunt*, —— *pervulgari artem suam noluerunt: deinde postea quam est* EDITVM, *expositis a Cn. Flavio primum Actionibus &c.* in quibus verbis τὸ *editum* nihil habet, quo referatur, nisi intelligas *Actiones legis* earumque appellatione *Jus Civile.* Vnum adferam exemplum, ut Graecis pariter probem usitatas fuisse ejusdem modi breviloquentias; sic EVRIPIDES in *Phoeniss. vs.* 11.

> Καλοῦσι δ' Ἰοκάστην με. τοῦτο γὰρ πατὴρ
> Ἔθετο.

nominant me Jocastam; id enim pater imposuit: ubi in iis τοῦτο πατὴρ ἔθετο ex praecedenti verbo καλοῦσι cognatae significationis nomen ὄνομα repetendum est; ut docuit celeberr. VALCKENAERIVS, Praeceptor quondam meus, vir incomparabilis, cui et Graecae literae et Graecarum

rum literarum studiosi mecum omnes plurimum debent. Alias ejusdem generis Ellipses paullo abstrusiores alii notaverunt VV. DD. vid: LEISNERVS in *Praefat.* praemissa libello LAMB. BOSII *de Ellipsib. Graec.*

Redeo ad locum CICERONIS; ubi, quas novas legis Actiones Pontifices composuisse, scribit, eas doctiss. RITTERVS in *not. ad Heinecc. Hist. Jur. l. c.* veteres intelligit formulas easdem, sed longiori verborum circuitu explicatas, vel implicatas potius, ita ut, si quis, post excogitatas novas legis Actiones, lege agere vellet secundum Jus Flavianum vel secundum antiquam formulam, is caussa caderet: arbitratur autem illud docere TVLLIVM *cit. Orat. pro Muren. cap.* 12. dum scribit: *cum hoc fieri bellissime posset* (ex formula, ut putat V. D. juris Flaviani) FVNDVS SABINVS MEVS EST: IMO MEVS: DEINDE IVDICIVM: *noluerunt*: sed novam excogitasse formulam verbosiorem, qua in fundo vindicando esset opus, hoc modo: FVNDVS, QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO: INDE EGO TE EX IVRE MANV CONSERTVM VOCO. At vix credo, CICERONEM significare voluisse, quando Pontifices, ut ipsi rebus interessent, novas legis Actiones composuisse, tradit, veteres illas, legibus XII. Tabularum accommodatas et in Jure Flaviano promulgatas, ita hoc modo in verbosiores commutasse: nullam enim CICERO usquam novarum formularum rationem habet aut juris Aeliani, sed omnem legis Actionum totiusque Juris Civilis evulgationem Flavio adscribit, ut paullo post ostendam: tum etiam minime pro solemni Actionis formula habenda sunt verba illa, ut ratus est cl. RITTERVS, quae priori loco ponuntur: *fundus Sabinus meus est: imo meus: deinde judicium*; in primis autem postrema illa: *deinde judicium* perperam omnino ad solemnes Actionum formulas referri, quivis intelligit facile. Equidem sic accipio CICERONIS locum: animum induxerat Orator, Juris Civilis scientiam, non tantum ut tenuem atque inanem, exagitare, sed eam quoque ridendam propinare; ac propterea *cap.* 11. *res*, inquit, *sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus occupatae*: deinde, ut ostendat, enunciatis Pontificum mysteriis, totum illud studium esse contemtum et abjectum, interponit illa de Jure Civili, a Flavio in vulgus edito, deque novis quibusdam Actionum formulis per Pontifices compositis; ac denique *cap.* 12. quasi illuc reversus, unde discesserat, exemplum ejus modi formu-

 lae

lac profert in medium, ut pateat, totum illud ſtudium quam ſit leve et ridiculum; nam, inquit, cum belliſſime hoc modo poſſet lege agi ſine ullo verborum ſolemnitate, ut actor diceret: *fundus Sabinus meus eſt*; reus autem contra contenderet: *imo meus:* atque ita mox judicium inſtitueretur; id ita noluerunt veteres JCti; ſed formulam excogitarunt, ſolemnibus verbis adſtrictam, hoc modo: *Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur &c.* Itaque legis Actiones *novas*, a Pontificibus compoſitas, crediderim potius cum cl. BACHIO, ad alia quaedam genera pertinuiſſe agendi, quam quae jure Flaviano continerentur ac promulgata eſſent, eoque pertinere verba POMPONII *l. 2. §. 7. de O. J. Augeſcente civitate, quia deerant quaedam genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium Sextus Aelius alias Actiones compoſuit et librum populo dedit, qui appellatur Jus Aelianum.* Quo loco JCtus ſuo more rurſum non nihil negotii faceſſet atque aliquam injiciet nobis moram: ſi vulgatam velimus retinere lectionem, nullum erit profecto vinculum CICERONIS inter atque POMPONII loca: ille namque, evulgatis a Flavio Faſtis Actionibusque, Pontifices iratos mox novas agendi formulas compoſuiſſe, docet; hic autem, non Pontifices, neque ſtatim poſt evulgatam a Flavio formularum dierumque faſtorum rationem, ſed Sex. Aelium, atque adeo poſt Flavianum Jus centum circiter annis, quia deeſſent genera quaedam agendi, alias demum vult Actiones compoſuiſſe: quam utriusque Scriptoris diſcrepantiam animadvertens cl. RITTERVS *ad Heinecc. Hiſt. Jur. l. c.* nullam fragmento Papiriano fidem eſſe habendam, pronunciat. Miror autem, ampliſſ. BYNKERSHOEKIVM ſuum hic clientem reliquiſſe omnino indefenſum neque ulla ratione ſtuduiſſe cum TVLLIO ipſum redigere in concordiam; quod fieri tamen poſſe, nondum plane deſpero. Equidem mihi videtur hoc loco JCtus vel a TRIBONIANO vel a Scribis librariis peſſime habitus ac toto corpore laniatus, ſanitati tamen priſtinae reſtitui poſſe, adhibito legitimo Critices remedio. Haloandrina lectio, quam et EBERLINVS *pag.* 49. aliique ſequuti ſunt, *qui praeerant, quaedam genera agendi compoſuerunt*, ab ill. Praeſide damnatur, tanquam peſſima, quando quidem ita ad Pontifices transferatur, quod Sex Aelio eſſet tribuendum ac vis fiat major, ubi non oporteat: denique nec videt, ſententiam eſſe perfectam, niſi alia etiam addantur vel deleantur: in ſuo autem codice MS. absque Gloſſis ita legi teſtatur idem vir ampliſſ.

quia

quia deerant quaedam genera agendi composuerunt: atqui sic rursum ad Pontifices referri culpat, Actionesque, a Pontificibus compositas, distingui ab Actionibus, quas composuerit Sex. Aelius, nulla id jubente necessitate. Cum vero nexus omnino sit, oporteat, inter haec TVLLII et POMPONII loca, verba JCti, in codicibus discrepantia et culpa vel TRIBONIANI vel, quod malim, Librariorum negligentia pessime confusa, conturbata ac distracta, ad hunc modum credo, recte posse constitui atque emendari: *Augescente civitate, quia deerant quaedam genera agendi, non post multum temporis spatium, qui praeerant, alias Actiones composuerunt: quas Sex. Aelius composuit et librum populo dedit, qui appellatur, Jus Aelianum.* Correctionis nostrae paucis reddenda est ratio, ut simul POMPONII verbis non nihil lucis obiter affundamus. *Augescente civitate*, id est *aucta*, velut §. 18. *populo aucto*: inde nimirum a tempore XII. Tabularum, quando legibus iis appositas JCti Pontifices formulas agendi composuerant: non etenim, quoties lex nova deinceps lata esset, continuo et nova legis actio, ei legi accommodata, videtur composita; atque adeo recte sequitur, *quia deerant quaedam genera agendi*, scilicet, post XII. Tabulas, multis jam legibus perlatis, quibus accommodatae nondum Actionum formulae essent, Pontifices, evulgato jure Flaviano, hoc usi praetextu, ut amissam Jurisprudentiae possessionem recuperarent, quaedem genera agendi dixerunt desiderari. *Non post multum temporis spatium:* aetas Sexti Aelii non patitur, ut illa conjungamus cum finalibus Paragraphi verbis, ac dicamus, Sex. Aelium non post multum temporis spatium, quam nimirum Flavius librum, qui Jus Civile complectebatur, populo tradidisset, alias Actionum formulas composuisse ac librum dedisse populo; sed omnino verba illa ad Pontifices referenda sunt, ut dicat POMPONIVS cum TVLLIO, illos iratos veritosque, ne sine sua opera ex jure Flaviano lege posset agi, *non post multum temporis spatium*, quia deessent quaedam genera agendi, alias composuisse novas quasdam Actionum formulas. *Qui praeerant:* ea nobis servavit verba HALOANDER et omnino retinenda arbitror: quum vero vicina essent hic loci et sono affinia, *quia deerant* et mox, *qui praeerant*, Librarii alii aliud eliminarunt, atque inde factum, uti omnes codices scripti, quos hodie habemus superstites, alterutrum omittant, cum necessario utrumque esset servandum: QVIA DEERANT *quaedam genera agendi*, *non*

post

multum temporis spatium, QVI PRAEERANT, *alias Actiones composuerunt:* Pontifices intelligit cum CICERONE, illi namque *praeerant* huic negotio, de quibus *infr.* §. 6. dixerat *praeesse privatis*, et ita *infr.* §. 22. *h. l.* de Quaestoribus Aerarii *praeesse pecuniae*: MACROBIVS de Pontificum collegio *praeesse Fastis* et *praeesse diebus* usurpat: vid. nos *supr. cap. III.* §. 3. *pag.* 88. Deinde quae sequuntur verba: *alias Actiones composuerunt;* hunc sibi locum postulant: τὸ *composuerunt*, aliis in codicibus praetermissum, sive culpa Scribarum, seu quod una cum τοῖς *alias Actiones* inferius paullo relatum ibi evanuerat in verbo *composuit*, sede sua legitima servant HALOANDER et codex BYNKERSHOEKII: caeterum, quod scribit JCtus, Pontifices ALIAS *Actiones* composuisse, plane respondet Tullianis, scribenti, illos NOVAS *Actiones composuisse.* Denique relativum *quas*, quod unicum nullius auctoritate codicis adjutus interposui, ubi jam omnia in hoc JCti loco essent conturbata ac distracta, nihil miror, ab iisdem Scribis librariis foras esse extrusum. Atque ita POMPONIO, vix alibi gravius affecto, utilem videor mihi fecisse medicinam et vulnus inveteratum, urendo licet ac secando, quod in desperatis nemo culpabit, apte medicatus esse.

De *Jure Aeliano* insuper animadvertendum. Ab initio libertatis, praesertim post leges XII. Tabularum perlatas, Fastis legumque Actionibus intimo penetrali suo occultatis, omne Jus Civile moderati sunt Pontifices erantque propterea illi in magna potentia, a privatis enim, quoties judicio esset agendum, consulti diem et formulam Actionis soli docebant: deinde Cn. Flavius consultando assidue eorum scientiam cum privatim compilasset, publice evulgavit: verum tamen illi, de possessione deturbati, compositis mox novis quibusdam formulis, quae ad alia genera agendi pertinerent, Pontifices Patricii suum quodam modo Jus pristinum videbantur recuperasse; donec perlata lege Ogulnia, anno v. c. CDLIII. quinque annis post Fastos a Flavio propositos, ex eaque lege sacerdotiis cum plebe communicatis, in partem quoque legitimae scientiae suo jure vocati sunt plebeji Pontifices; nihilque adeo iis occultari potuit amplius: non tamen propterea, ut sensisse videtur summus BYNKERSHOEKIVS in *Opusc. de Relig. peregrin. pag.* 239. proditis a Flavio Fastis, continuo ad JCtos puto profani Juris curam transiisse, ita ut mox ex eo tempore quicumque studiorum fiduciam haberent, Juris

Con-

fulti nomen profesfis, rebus intereffe agendis licuerit: fed per annos adhuc quinquaginta penes idem collegium Pontificale permanfit de jure refpondendi facultas ufque ad Ti. Coruncanium, qui, anno circiter poft v. c. quingentefimo, primus ex plebe Pontifex Max. creatus, primus quoque Jus Civile publice profiteri coepit difcendique cupidos admifit. Ex eo itaque tempore, non amplius collegii Pontificalis proprium, fed omnium, qui quidem hujus fcientiae cognitionem fibi acquifiviffent, commune fuit de Jure refpondere et Confulti nomen Juris profiteri. Poft Coruncanium fere annis quinquaginta Aelius Sextus, Juris Civilis peritiffimus, id quod nulla jam vetabat religio, novas illas legis Actiones, a Pontificibus poft editum Jus Flavianum concinnatas, compofuit quoque et in vulgus edidit; ifque liber etiam *Jus Aelianum* ex ipfius nomine appellatus eft: cum enim formularia illa, ut ita dicam, Jurisprudentia Sex. Aelii publicum in foro Romano ufum obtineret, hoc ei nomen inditum; vid. quae fupra monuimus *cap. II.* §. 3. *pag.* 67. et *cap. IV.* §. 9. *pag.* 151. nam, quod de Jure Papiriano et Flaviano recte obfervat POMPONIVS, idem de Jure Aeliano eft tenendum, *nihil* Sex. Aelium *de fuo addidiffe*, fed tantum formulas Actionum, quas poft Flavium publica auctoritate novas excogitaverant Pontifices, privata auctoritate, at in ufus tamen publicos, ad formam redegiffe atque, in libro artificiofe compofitas, in lucem emififfe. Vnde expediri poffe cenfeo quaeftionem, in qua VV. DD. hactenus diffenferunt, utrum Jus illud Aelianum idem fuerit, an vero diverfum potius ab Aelii ejusdem Cati *Tripertitis*; qua de re vid. BERTRANDVS *de Jurisper. pag. m.* 171. GROTIVS *de vit. JCtor. Lib. I. c.* 3. §. 17. BEYERI *Pofit. ad Tit. D. de O. J. p.* 10. quos citat. HEINECCIVS *Prooem. Antiq. ad Inft.* §. 8. et in *not. ad Hift. Jur. Lib. I.* §. 49. BACHIVS *Lib. II. Hift. Jurifp. Rom. cap.* 2. *fect.* 4. §. 5. aliique: ego plane diverfum exiftimo fuiffe opus; non enim, fi quae de fuo adjeciffet Aelius, potuiffet *Jus Aelianum* recte appellari: neque obftat, ut vulgo putant, POMPONII auctoritas in *l.* 2. §. 38. *de O. J.* ubi, nulla Juris Aeliani mentione facta, *illius*, inquit, *exftat liber*, *qui infcribitur* TRIPERTITA: *qui liber veluti cunabula Juris continet.* TRIPERTITA *autem dicitur, quoniam lege XII. Tabularum praepofita, jungitur interpretatio, deinde fubtexitur legis Actio:* fcilicet JCtus cum *fupr.* §. 7. *Aeliani Juris*, occafione oblata, meminiffet, hic loci tuto poffe praetermitti putavit,

 quippe

quippe opus, cujus non ipse Aelius Auctor fuisset, sed compositor: deinde in *Tripertitis*, singulis quidem Decemviralium Tabularum legibus praemissis, Aelius explicationi subtexuit legis Actiones, nempe ex jure Flaviano; quae proinde fuerint diversae, necesse est, ab Actionibus illis aliis et novis, quas legibus, Jure XII. Tabularum posterioribus, accommodatas annis circiter centum post Flavium idem Aelius compositás ediderat in vulgus, cuique formularum collectioni nomen *Juris Aeliani* inditum. Possit huc etiam referri CICERONIS locus *Lib. I. de Orat. cap.* 41. ubi scribit: *expositis a Cn. Flavio primum Actionibus, nulli fuerunt, qui illa* (malim *illas*, puta *Actiones*) *artificiose digesta* (leg. *digestas*) *generatim componerent:* quibus significat verbis TVLLIVS, post Flavium neminem alium *generatim*, id est, ad sua quasque genera redactas, omnes legis Actiones, totum Jus Civile, ut Flavius instituerat, concinnasse: ea etenim significatio adverbio *generatim* inesse eo loco arbitror, ut *generatim componere Actiones* non tantum sit ad genera sua et ordine redactas colligere, sed universas quoque; itaque verissime dixit, neminem post Flavium *generatim* composuisse Actiones, si quidem Sex. Catus in suo jure Aeliano, non universum, qua late pateret, Jus Civile cunctasque Actionum formulas, sed speciatim novas tantum modo, et a Flaviano Jure diversas, in ordinem digesfisset: nam quod *nullos* fuisse ait CICERO, qui post Flavium artificiose digestas Actiones composuerint, non ita generaliter accipiendum, ac si plane nullae postea temporis essent collectae; cum ipse in *Orat. pro Muren.* novas a Pontificibus excogitatas fuisse Actiones, tradat, quas per quinquagenta et amplius forte annos occultatas, Sex. Aelium pervulgasse, supra ex POMPONIO ostendimus: caeterum, uti hic, ita et alibi CICERO, illam Juris Civilis partem, quam velut appendicem et supplementum Juris Flaviani postea Aelius luci exposuit, silentio involvit atque universam formularum compositionem et evulgationem Flavio, tanquam hoc nomine magis celebrato, videtur tribuere; vid. pro *Muren. cap.* 11. et 12. eodemque spectant etiam verba Oratoris *cap.* 13. quae, quia perperam intellecta sunt Interpretibus, adscribam: *sapiens*, scribit, *existimari nemo potest in ea prudentia* (Juris Civilis) *quae neque extra Romam usquam, neque Romae*, REBVS PROLATIS, *quidquam valet:* ad quem locum MANVTIVS in *not.* explicat *rebus prolatis* dici, cum feriari liceret, concessa

mune-

munerum urbanorum vacatione, cumque ludi fierent, Votivi, Romani, Victoriae, Plebeji: quam expositionem CAMERARIVS etiam praefert et solam veram esse contendit cl. GRAEVIVS; conf. et ERNESTI *in Clav. Cic. v. prolatus:* at universi nexus orationis aliud suadet; eo enim nomine Orator Juris Civilis studium elevare conatur, quod enunciatis veterum JCtorum mysteriis contemtum jam esset abjectumque, numquam fuisse in ista scientia *dignitatem Consularem*, id est talem dignitatem, qua quis sibi aditum ad Consulatus honorem patefaceret, nihil etiam inesse gratiae; quod enim pateat omnibus et aeque promtum sit, gratum esse non posse; neminem existimari sapientem in arte Juris, quae *rebus prolatis*, id est, evulgatis Patriciorum arcanis et Fastis Actionibusque propositis publice, nihil quidquam valeat amplius vel Romae vel extra Romam: atque in eandem sententiam mox pergit: *peritus ideo haberi nemo potest* —— *in eo, quod sciunt omnes:* unde constat *rerum* appellatione nihil hic posse aliud intelligi, quam *formulas Actionum*, quas paullo ante *hoc eod. cap.* dixerat *res fictas commentitiasque.*

Tandem postremo paucis animadvertendum est, in hac materia non ubique satis recte interpretari VV. DD. verbum *componere: componere Actiones* duplici modo et significatu dicitur, vel enim notat formulas Actionum solemnes *excogitare*, id est certis ac solemnibus verbis Actionem, ex lege instituendam, adstringere; unde et CICERO *pro Muren. cap.* 12. formulam Praetori praescriptam, qua illi utendum esset in judicio *carmen* appellat *compositum;* et hoc sensu *compositae Actiones* dicuntur apud POMPONIVM *l. c.* §. *6.* conf. CICERO *pro Muren. cap.* 11. ubi Pontifices novas quasdam Actiones *composuisse* dicuntur, id est commenti esse: vel *componere Actiones* alio plane significatu est *colligere*, in *ordinem redigere* et *digerere;* uti jungit CICERO *Lib. I. de Orat. cap.* 41. Actiones artificiose *digestas componere:* QVINCTILIANVS *Lib. XII. J. O. cap.* 3. *pag. edit. Burm.* 1067. scribens, M. Tullium aliqua de Jure Civili *componere* coepisse, exponendus minime est de libris TVLLII *de Legibus* ac *de Re publica*, ut quidam rati sunt, sed tantum de *Jure Civili in ordinem redigendo*, quod animo volvisse propositum et coepisse, non vero perfecisse videtur. In primis autem hoc sensu *composuisse* dicuntur Actiones Cn. Flavius et Aelius Sextus, dum uterque formulas rerum agendarum solemnes, ad sua genera digestas et in ordinem redactas, evul-

garunt. Atque adeo ex hac obſervatione patet, apud POMPONIVM *l.* 2. *§.* 7. *de O. J.* loco τοῦ PRO*poſuiſſet* legendum COM*poſuiſſet*, quod ipſe mox explicat τοῖς *ad formam redegiſſet*, quaa in re laborantem ſupra *h. c. §. 9. pag.* 144. vidimus EBERLINVM cum eoque ill. BYNKERSHOEKIVM: recte etiam CICERONEM *Lib. VI. ad Attic. Epiſt.* 1. ſcripſiſſe de Cn. Flavio, *compoſuiſſe* eum Actiones, quod cum eodem EBERLINO minime τῇ τῶν προθέσεων ἐπιςάσει exponendum *propoſuiſſe*, aut cum praeſtantiſſimo ERNESTIO intelligendum de *formulis* Actionum, a Flavio excogitatis, vid. *Clav. Cic. voc. compono.* Denique et cl. RITTERVS *ad Heinecc. Hiſt. Jur. Lib. I. §.* 49. utramque hujus dictionis ſignificationem videtur confudiſſe, cum propterea fidem JCto POMPONIO negandam putet, quod Sex. Aelium dicat Actiones *compoſuiſſe*, quas, teſte CICERONE, compoſuerint Pontifices.

Non poſſum, quin pro Coronide hic addam POMPONII locum ex *l. cit. §.* 36. *Poſt hunc* (Ap. Claudium Decemvirum) *Appius Claudius ejusdem generis maximam ſcientiam habuit: hic* CENTVMMANVS *appellatus eſt* —— —— *hunc etiam Actiones ſcripſiſſe traditum eſt, primum de Vſurpationibus, qui liber non exſtat.* De monſtro cognominis *Centummani* dicam poſt alios in *Animadverſ. ad Faſt Civiles*: hic autem obſervari velim verba illa: *hunc etiam Actiones ſcripſiſſe* &c. quae varie VV. DD. emendant conſtituuntque; mihi autem ex Gloſſemate TRIBONIANI videntur nata: non enim *ſcripſit* Appius Actiones, ut Auctor, ſed ipſo teſte POMPONIO *ſupr. §.* 7. collegit, *compoſuit* ac *redegit ad formam*; qua dictione Juſtinianei Juris primarius Architectus pro ſua ſapientia perperam de Actionibus, ab ipſo Appio Caeco conceptis, intellecta, ſuo more et jure POMPONIVM interpolans §. 36. de ſuo hunc pannum JCto aſſuit, tanquam Appii hujus foetum, memorans librum Actionum, ab eo perſcriptum. Ejusdem quoque farinae ſunt, quae mox admiſcet de *Vſurpationibus:* cum enim ipſe tradat POMPONIVS §. 35. ante Ti. Coruncanium neminem Jus Civile publice profeſſum eſſe, ſed in latenti retinuiſſe ſolumque conſultoribus vacaſſe potius, quam diſcere volentibus ſe praeſtitiſſe, unde duplicem JCtorum proponit continuo ordinem, alterum priorum eorum, qui et ante et poſt Coruncanium Jus Civile occultare ſtuduerint, quorum et in numero ponit Ap. Claudium; alte-

rum

rum eorum, qui vel publice professi vel editis libris jus illustraverint: itaque alterutrum dicas, necesse est, vel scripsisse POMPONIVM pugnantia, vel, quod vero mihi similius est, de Tribonianismo hunc locum videri suspectum. In iis quoque, quae sequuntur apud POMPONIVM, verbis: *idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse, R. literam invenit*; intermedia illa, *qui videtur ab hoc processisse*, nimis diu cruciarunt Interpretes: me sponsore, ut spuria eliminabis, a Librario profecta, qui, ubi loco τοῦ *idem* in suo codice legisset forte *item*, voculam de tertio quodam Appio accipiens, marginali nota, quae postea infelici omine textum occupavit, adscripserat illa: *qui videtur ab hoc processisse*, ratus tertium illum Appium ex Caeci fuisse progenie, quem ad modum ipse Caecus Appius a Claudio Decemviro processerat. Refectis pannis et glossematibus, sic arbitror hunc Paragraphum constituendum —— *post hunc Appius Claudius ejusdem generis maximam scientiam habuit: hic Caecus appellatus est: Appiam viam stravit* —— —— *idem Appius Claudius R. literam invenit. etc.*

CAPVT QVINTVM

DIERVM APVD ROMANOS RELIGIOSORVM INSTITVTIONEM ET CAVSSAS EXPONENS.

§. 1. *Atri dies seu religiosi quando Romae publice instituti? Ea de re* CN. GELLII *et* HEMINAE *locus apud* MACROBIVM *varie illustratur et emendatur.* HEMINA *an praeter* Annales *etiam scripserit* Historias *et libros* de Censoribus. Annales *inter atque* Historiam *quid discriminis intercedat?* PIGHIVS *semel iterumque notatus. Gens* Aquinia *minus olim illustris nec Patricia Sacerdotiis fungi non potuit.* VERRII *locus apud* GELLIVM *de diebus religiosis explicatur et tentatur.* L. Atilius, *Haruspex, an idem, qui ante decennium Tribunus Mil. Cons. pot.?* LIVIVS *obiter correctus. Atilii* Longi *fuere Patricii.* Rem gerere *est bellum administrare.* LIVII *locus de institutione dierum religiosorum producitur et transpositione verbi adjuvatur. Duo eadem de religione dierum* PLVTARCHI *loca proferuntur. Posterior multis examinatur. Posterior multis examinatur. Ellipsis particulae* ὅτι. Lipsius *notatur.* Μετὰ τὰς Εἰδοῦς *definite* postridie Idus. PLVTARCHVS *explicatur et emendatur. Ejusdem versio corrigitur.* Ἀφοσιοῦσθαι ἡμέρας. *Dies* ὁμώνυμοι *quales intelligendi?* PLVTARCHO *iterum fit medicina: idemque explicatur.* §. 2. *Atri dies ob belli cladem instituti. Dies pugnae Cremerensis. Porta* scelerata: πύλαι ἀποφράδες. *Scholiastae* LVCIANI *locus examinatus et emendatus. Clades Cannensis quo die acciderit? Dies* ominalis. MACROBIVS *semel atque iterum tentatus. Dies* communes. *Pridie Non. Octobr. dies religiosus ob cladem Caepionis in bello Cimbrico. Dies Varianae cladis incertus.* Ferdinandus, *Episcopus Paderbornensis, notatus, praeter belli clades etiam aliae atrorum dierum caussae. Dies, quo Julius Caesar interfectus,* Parricidium, *inter nefastos relatus. Dies Antonii natalis, item utriusque Agrippinae, tam uxoris, quam filiae Germanici. Dies obitus C. Caesaris* pro Alliensi *habitus. Praecipue apud Romanos postridie omnes Kalendas, Nonas,*

Nonas, Idusque religiosi fuerunt dies. OVIDII *locus explicatur.* LIVIVS *cum aliis Scriptoribus conciliatur.* §. 3. *Locus* CICERONIS, *a* NONIO *citatus, expenditur et explicatur.* NONIVS *corrigitur.* Turnebus *notatur. Dies* vulgares *an recte dicantur, qui religiosis oppositi? Quo die ad Alliam pugnatum?* LIVII *locus* PLVTARCHO *non intellectus. Errori quid caussam dederit? Diem* pugnae *Alliensis Interpretes confundunt cum die* facrificii *celebrati.* PLVTARCHVS *ope codicis correctus atque expositus. Cum* LIVIO *alii omnes diem pugnae Alliensis reponunt A. D. XV. Kal. Sext. Vnus dissentit Auctor de Vir. Ill. qui, ex numeralibus notis corruptus, restituitur.* Scaliger *et* Andr. Schottus *notati.* MACROBIVS *contra* Lipsium *aliosque vindicatur.* §. 4. *Vrbs Roma a Gallis capta A. D.* XIII. *Kal. Sext.* VERRII *locus contra* Lipsium *explicatus. Vnus* TACITVS *a reliquis circa diem Vrbis captae dissentire videtur.* §. 5. *An eodem die olim ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam foede pugnatum.* LIVII *aliorumque pugna cum* OVIDIO. *Hujus caussa agitur et sententia adstruitur ex rerum gestarum serie. Consules Kalendis sextilibus Magistratum aliquando auspicati.* DIONYSII *locus incommoda crisi liberatur. Alia duo argumenta pro* OVIDII *sententia in medium proferuntur. Error* LIVII *aliorumque unde repetendus? Dies, quo ad Cremeram Fabii caesi, non fuit appellatus* Alliensis. *Dies cladis ad Cremeram cum fuerit* ater, *quo modo simul* festus *et Fauno Sacer?* OVIDIVS *explicatur.*

§. I.

Religioforum dierum apud Romanos inftitutio quamvis centum et amplius annos Cn. Flavio fit antiquior, atque adeo licet, ordine temporum fervato, prius quam de Flavio exponeremus, de iis jam agendum nobis fuiffet, hunc tamen Capiti de ejufce modi dierum origine caufsifque tractationem refervandam duximus, ne in exponenda Faftorum Hiftoria, tum a Pontificibus primum poft perlatas XII. Tabularum leges occultatorum, tum rurfum poft fesqui faeculum fere a Cn. Flavio evulgatorum, rerum feries interrumperetur. Faftorum quidem nefaftorumque dierum difcrimen Rex Numa Pompilius Romae inftituit, feriarum feftorumque et profeftorum dierum

dierum ratione habita, ut alii nempe sacrificiorum Ludorumque solemnium caussa rei divinae essent dicati ac laetitiae publicae, quibus diebus ab omni opere humano foret abstinendum; alii autem publicis privatisque hominum negotiis tribuerentur: vid. quae *supr. Cap.* 1. §. 4. *sqq.* copiosius de his disputavimus. Ad hanc vero divisionem dierum primariam alia post accessit nova in felices operum dies atque eos, qui, insigni clade vel rebus adversis notati, vulgo appellantur *atri*, *religiosi*, aliisque infaustis nominibus sunt insignes: quibus diebus nihil fere, neque sacrae rei neque profanae, seu publice seu privatim, sine piaculo cuiquam suscipere liceret. Hos autem atros dies quamquam dudum ante, ut ubique gentium, sic et apud Romanos, vulgi timore atque opinione superstitiosa receptos, non equidem negaverim, homines meticulosos privatim observasse, publica tamen auctoritate institutos demum arbitror in Fastorumque Tabulis relatos a Pontificibus proximo post Urbem a Gallorum expugnatione liberatam anno, qui fuit post Romam conditam trecentesimus sexagesimus quintus, secundum epocham Capitolinam. Qua uti de re universa accuratius pertractemus, utque horum dierum instituendorum historiam caussasque et observantiam exponamus, meo more atque instituto prius in antecessum veterum aliquot Scriptorum testimonia producam in medium, ex quibus deinde disputatio accuratior rite instituatur.

CN. GELLIVS *Annalium Lib. XV.* et CASSIVS HEMINA *Histor. Lib. II.* teste MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 16. religiosorum caussam dierum atque institutionem sic referunt: *Anno ab Vrbe condita trecentesimo sexagesimo tertio a Tribunis Militum Virgilio, Mallio, Aemilio, Postumio collegisque eorum in Senatu tractatum, quid esset, propter quod totiens intra paucos annos male esset afflicta res publica? Et ex praecepto Patrum L. Aquinium, Haruspicem, in Senatum venire jussum, religionum requirendarum gratia, dixisse: Q. Sulpicium, Tribunum Militum, ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quinctiles: item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis, post sacrificium, die postero celebratum, male cessisse conflictum. Tunc Patres jussisse, ut ad collegium Pontificum de his religionibus referretur: Pontificesque statuisse, postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos.* Paucula lubet in transcursu ad hujus contex-

tum

tum loci obſervare. Quae ex HEMINAE *Libris Hiſtoriarum* hoc loco citantur a MACROBIO, alii potius ejusdem tribuunt *Annalibus:* illi certe, qui veterum aliquot Hiſtoricorum nobis collegerunt Fragmenta, quae plerisque SALLVSTII editionibus adjuncta videmus, cuncta ea, quae ex deperditis HEMINAE ſuperſunt hodie, nomine laudant *Annalium.* Verum tamen, ut verum fatear, parum adhuc mihi conſtat; utrum fuerit unum idemque opus, duplici inſignitum appellatione, ut cenſet VOSSIVS *de Hiſtoricis Latinis Lib. I. c.* 7. aliique: an vero potius, praeter *Annales*, idem CASSIVS ſcripſiſſe quoque videatur *libros Hiſtoriarum?* Et NONIVS quidem MARCELLVS ejus *Annales* non tantum, ſed et *libros Hiſtoriarum* aliquoties citat et *de Cenſoribus:* unde tria diverſa videri poſſint haec opera fuiſſe. Equidem non ignoro, appellationes *Hiſtoriarum* et *Annalium* ſaepius, etiam ab vetuſtis Scriptoribus, confundi, proprie tamen, quoad ſcribendi colorem, differunt ſane: *Annales* breviter ſine ullo verborum ornatu, ſed ſtilo ſimplici, quid quoquo anno factum eſſet et a quibus, ordine enarrabant, quale exemplum illud, quod ex CALPVRNIO PISONE ſupra protuli *Cap. IV. §.* 1. *pag.* 97. *Hiſtoriae* autem virtus eſt, ut elegantiori ſtilo doceat praeterea, qua ratione, quove conſilio res geſtae ſint, in ipſasque adeo rerum cauſſas diligentius inquirat. conf. SIGONIVS et DRAKENBORCHIVS *ad Livii Epitom. Lib.* 1. nihilque adeo prohibet, quo minus HEMINAM CASSIVM credamus, praeter *Annalium* libros, *Hiſtorias* etiam ſcripſiſſe: licet, ut verum fatear, quantum ex verbis, apud MACROBIVM *h. l.* obviis, niſi ea ex GELLIO tranſpoſuerit praecipue, colligitur, ſcribendi color in iſto Fragmine magis Annalium, quam Hiſtoriae proprius videatur. —— Annus Vrbis conditae, quem dicit Auctor *trecenteſimum ſexageſimum tertium*, ſi ad calculos epochae Capitolinae revocaveris, cum PIGHIO aliisque recentioribus *Faſtorum Civilium* Interpretibus erit emendandus, ex numerorum notis, ut alia centena loca, corruptus: niſi dicas potius, vetuſtiores, qui laudantur, Annalium conditores diverſas minusque certas Chronologiae rationes, quam quales poſtea Capitolinae Auctor Tabulae LVTATIVS CATVLVS obſervavit, ſequutos videri; qua de re alibi ad *Faſtos Civiles* dicemus. —— Tribunorum Militum, quos refert MACROBIVS, nomina ex LIVIO atque aliunde corrigenda ſunt, ut pro *Virgilio* et *Mallio* legamus *Virginium* et *Manlium*; conf.

PIGHIVS in *Annal. Tom.* 1. *pag.* 228. ubi tamen quod notat, Posthumium *hoc loco* perperam *Aulum* praenomine appellari pro *Lucio*, in neutra, qua utor editione MACROBII, vel *Veneta apud Gryphium an.* 1574. vel *Gronoviana Lugd. Batavor.* 1670. offendi; imo cum nulli Tribunorum hic loci praenomen tribuatur, si quae forte editiones *Auli* id praenomen habeant, rectius delendum, quam corrigendum, arbitror. Pro *Coelio*, quod *Gryphiana* agnoscit ἔκδοσις, idem PIGHIVS restituit *Cornelium*; recte quidem: at *Gronoviana* editio tamen loco *Cornelii* inter Tribunos hic recenset *Aemilium.* —— *L. Aquinium*, *Haruspicem*, quem MACROBIVS in Senatum venire jussum scribit, VERRIVS *loco mox citando* nominat *L. Atilium*, neque addit, Haruspicem eum fuisse aut in Senatum arcessitum, sed magis indicare videtur, ipsum fuisse Senatorem: in hoc dissensu VERRIO potius accesserim, *L. Atilium* nominanti, quia gens *Aquinia*, nondum hac aetate, de qua agitur, clara, sed postremis tandem rei cadentis publicae temporibus illustris fuit; quin imo, cum gens Aquinia videatur inter plebejos connumerata, ne quidem hoc prisco saeculo, ante perlatam legem Ogulniam, ejus capax esse potuit Sacerdotii. —— Sacrificium, *die postero* celebratum, id est postridie vel Kalendas, vel Nonas vel Idus: hos enim vulgo dies MACROBII aetate *posteros* appellabant et *nefastos*, cum proprie *posterus* dies indefinite dicatur quilibet die priore posterior; quare id vocabulum ex HEMINA aut GELLIO huc transpositum non videtur, sed a MACROBIO ex usu sui saeculi adhibitum: vid. plura de hac notione, quae PLVTARCHO etiam et viris aliquando doctissimis fraudi fuit, *infra Cap. seq.* no anda.

VERRIVS FLACCVS, cujus nobis testimonium ex *Libr. IV. de V. S.* servavit GELLIVS *Noct. Att. Lib. V. cap.* 17. ita rem refert: *Vrbe a Gallis Senonibus reciperata, L. Atilius in Senatu verba fecit; Q. Sulpicium, Tribunum Militum, ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tum exercitum populi Romani occidione occisum, et post diem tertium ejus diei Vrbem, praeter Capitolium, captam esse: compluresque alii Senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res divina postridie Kalendas, Nonas, Idus a Magistratibus populi Romani facta esset, ejus belli proximo deinde proelio rem publicam male gestam esse: tum Senatum eam rem ad Pontifices* re-

rejecit, ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreverunt, nullum bis diebus sacrificium recte futurum. conf. FESTVS in voc. *Nonarum*, ubi sua ex hoc VERRII loco compilavit. *L. Atilium*, qui memoratur, an eundem fuisse dicemus, atque is, qui Tribunus Militum anno V. C. CCCLIV. iterumque eodem insignis Magistratu processit anno CCCLVII? equidem haud facile crediderim. L. enim hic Atilius, Haruspex, Sacerdotiis cum plebe nondum communicatis, fuit procul dubio Patricius: atqui teste LIVIO *Lib. V. cap.* 13. priore anno, praeter unum M. Veturium, omnes alii Tribuni Militum fuere plebeji, M. Pomponius, C. Duillius, Volero Publilius, Cn. Genucius, *L. Atilius:* cum vero *Atilii Longi* fuerint certe Patricii, leve Codices Livianos obsidere vitium arbitror et pro *L. Atilio* legendum *L. Atinium:* vid. quae copiosius de hujus anni Tribunis Mil. in *Animadvers. ad Fast. Civil.* notabimus. —— *Postridie Idus*, puta *Quinctiles*, quod vocabulum videtur a Librariis praetermissum. —— Quae VERRIVS hic partim L. Atilio, partim vero Senatoribus tribuit, ea cuncta, teste MACROBIO, GELLIVS et HEMINA uni Atilio, Haruspici, adscripserunt. —— *Rem publicam male gestam esse:* monet GRONOVIVS, in quodam Codice Gelliano τὸ *publicam* non obvium esse, in cod. autem Vossiano, pro *publicam* legi *populi*; utraque lectio varians *rem publicam* et *rem populi*, apparet, ex compendio *rem p.* nata est: cum autem solemni et usitata phrasi dicatur *rem gerere* pro rem publicam foris et praecipue in bello administrare, dubitari possit, an non Librariis sit tribuendum potius, quod plerique libri Gelliani τὸ *publicam* hoc loco addant: conf. quae alibi suo loco *ad Fast. Civil.* de *Latinitate* et *Formulis Tabulae Capitolinae* observabimus.

Succedat LIVIVS *Lib. VI. cap.* 1. §. 9. *sqq.* ubi Tribunos Militum Conf. pot. ab Interrege M. Furio Camillo creatos hoc anno memorat L. Valerium Poplicolam iterum, L. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Aemilium, L. Postumium; eosque, quum ex interregno Magistratum mox iniissent, nulla de re prius, quam de religionibus, Senatum consuluisse; ac paucis interpositis addit: *Tum de diebus religiosis agitari coeptum, diemque A. D.* XV. *Kalendas Sextiles, duplici clade insignem (quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio Vrbis foede pugnatum) a posteriore clade Alliensem appellarunt insignem-*

 que

que rei nulli, publice privatimque agendae, fecerunt. Quidam, quod postridie Idus Quinctiles non litasset Sulpicius, Tribunus Militum, neque inventa pace Deum post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus divinis supersederi jussum: inde, ut postridie Kalendas quoque ac Nonas eadem religio esset, traditum, putant. Hoc de loco infra uberior erit disputandi copia; nunc tantum moneo, verbum periodi finale *putant* sua sede legitima motum videri, pro LIVII mente paulo superius reponendum, ut hoc legas ordine: *quidam, quod postridie Idus Quinctiles non litasset Sulpicius* —— *etiam postridie Idus rebus divinis supersederi jussum, putant: inde, ut postridie Kalendas quoque ac Nonas eadem religio esset, traditum.* Ea namque LIVII est sententia, ut statuat, ex clade Alliensi diem A. D. XV. Kal. Sext. religiosum esse factum; quosdam vero arbitrari etiam, quia Sulpicius postridie Idus Quinctiles *non litasset*, id est rem divinam dimicandi gratia fecisset, *non inventa pace Deum*, postridie Idus quoque rebus divinis supersederi jussum, seu postridie omnes Idus atros dies habendos; *inde* autem, id est tempore aliquanto post, aucta, ut fieri amat, superstitione, traditum quoque, ut postridie omnes Kalendas ac Nonas eadem foret religio: quam verborum LIVII mentem probe me assecutum esse, duo confirmabunt PLVTARCHI loca, quorum in posteriore nominatim LIVIVM testem atque Auctorem laudat: cumque ita rati sint non nulli, primum dies tantum, qui postridie essent *Idus*, ex decreto Pontificum religiosos fuisse, ea ratione videntur *postriduanus* quidam scripsisse, cum rectius *postridianus*, ut *quotidianus*, *pridianus* et similia per tertiam vocalem exarentur.

PLVTARCHVS in *Camillo Tom.* I. *pag.* 304. Ἐγένετο δὲ ἡ μάχη (ad Alliam) περὶ Τροπὰς Θερινὰς περὶ τὴν Πανσέληνον, ᾗ καὶ πρότερον ἡμέρᾳ μέγα πάθος συνέβη τὸ περὶ τοὺς Φαβίους —— ἐκράτησε δὲ, τὴν ἡμέραν ἀπὸ τῆς δευτέρας ἥττης Ἀλλιάδα μέχρι νῦν καλεῖσθαι διὰ τὸν ποταμόν. Interposita dein quaestione, an atri dies observandi sint, nec ne, pergit, *pag.* 306. ἀλλὰ Ῥωμαίοις ἄυτη μία ἀποφράδων ἐστὶ, καὶ δι' αὐτὴν ἑκάστου μηνὸς ἕτεραι δύο, τῆς πρὸς τὸ συμβὰν εὐλαβείας καὶ δεισιδαιμονίας ἐπὶ πλέον, ὥσπερ εἴωθε, ῥυείσης. *Pugnatum est ad Alliam Plenilunio circa Solstitium aestivale; quo die et antea ingens Fabiorum accepta clades fuerat* —— *caeterum obtinuit, ut dies ex clade posteriore ad nostrum*

usque

usque aevum Alliensis vocaretur. —— *Sed autem Romanis hic dies inter nefastos (atros* malo) *unus est, ejusque caussa alteri singulis mensibus bini, post quam religio ex hoc casu et superstitio, ut solet, increvit.* Alter Chaeronensis locus est in *Libr.* περὶ Αἰτιῶν Ῥωμαϊκῶν seu Κεφαλαίων. *Cap. XXV. p.* 269. in *Thesaur. Graevian. T. V. pag.* 995. Διὰ τί τὴν μετὰ Καλάνδας ἡμέραν καὶ Νόνας καὶ Εἰδοὺς ἀνέξοδον καὶ ἀνεκδήμετον τίθενται; πότερον (ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσι καὶ ΛΙΒΙΟΣ ἱστορεῖ) μετὰ τὰς Κυιντιλίας Εἰδοὺς, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦσιν, ἐξάγοντες οἱ Χιλίαρχοι τὸ στράτευμα περὶ τὸν Ἀλλίαν ποταμὸν ἐκρατήθησαν ὑπὸ Κελτῶν μάχῃ καὶ τὴν πόλιν ἀπώλεσαν; νομισθείσης δὲ μετὰ τὰς Εἰδοὺς ἀποφράδος, προσταγὲν, ὥσπερ φιλεῖ, πορρωτέρω τὸ ἔθος ἡ δεισιδαιμονία καὶ κατέστησεν εἰς τὴν αὐτὴν εὐλάβειαν τήντε μετὰ τὰς Νονὰς καὶ τὴν μετὰ Καλάνδας; Ἢ τοῦτο μὲν ἔχει πολλὰς ἀντιλογίας· ἄλλητε γὰρ ἡμέρᾳ τὴν μάχην ἡττήθησαν, ἣν Ἀλλιάδα διὰ τὸν ποταμὸν καλοῦντες ἀφοσιοῦνται· Καὶ πολλῶν ἀποφράδων οὐσῶν, οὐκ ἐν παντὶ μηνὶ τὰς ὁμωνύμους παραφυλάττουσιν, ἀλλὰ ἑκάστην ἐν ᾧ συνέτυχε. Τό, τε ταῖς μετὰ Νόνας καὶ Καλάνδας ἁπλῶς ἁπάσαις προστρίψασθαι τὴν δεισιδαιμονίαν, ἀπιθανώτατον. Quae sic Latine verto: *Quid est, quod postridie Kalendas, Nonas, Idus urbe exire aut peregrinari non licet? an ideo (ut plerique putant et* LIVIVS *scribit) quod, cum postridie Idus Quinctiles, quas nunc Julias vocant, Tribuni Militum, educto exercitu ad Alliam flumen, proelio victi essent a Gallis Vrbemque amisissent; eo die postridie Idus pro atro judicato, superstitio, ut fieri solet, ulterius morem extenderit atque eidem religioni adstrinxerit postride Nonas et Kalendas? At enim vero illa res haud parum controversiae habet: nam et pugna superati sunt alio die, quem Alliensem a flumine appellantes pro religioso habuerunt: cumque multi sint dies atri, non omni mense dies ejusdem nominis observant, sed unum quemque diem eo mense, quo clades accidit: id autem* (nempe, quod clades illa Alliensis postridie Idus Quinctiles acciderit) *postridie omnes Nonas et Kalendas eam superstitionem simpliciter imposuisse, nullam plane veri similitudinem habet.* Plura ad hunc posteriorem PLVTARCHI locum sunt animadvertenda. Statim ipso principio post πότερον videtur LIPSIVS in *Excurs. A. ad Tacit. Annal. Lib. XV.* desiderasse particulam

ὅτι, ut eſſet legendum πρότερον ὅτι, ὡς οἱ πλεῖστοι &c. vel poſt finem Parentheſeos, ὅτι μετὰ τὰς. verum tamen frequens in his ipſis *Quaeſtionibus Romanis* obſervatur Ellipſis τοῦ ὅτι ac ſaepius πρότερον legitur loco τοῦ πρότερον ὅτι. vid. *cap.* 1. 6. 7. 12. et aliis pluribus in locis: addita vero particula ὅτι occurrit quoque illud πρότερον *ibid. cap.* 2. 9. 11. 13. ac ſaepius. Neque LIPSIVS codicis cujusdam videtur auctoritate id ὅτι addidiſſe, ſed de ſuo; uti ſaepiuſcule in citandis veterum Scriptorum locis minus accurate verba profert, conf. nos *ſupr. cap.* 1. §. 2. *pag.* 6. ——— Μετὰ τὰς Κυϊντιλίας Εἰδοῦς. cum XYLANDRO vertendum *poſtridie Idus Quinctiles:* etenim ἡμέρα μετὰ τὰς εἰδοῦς, vel, omiſſo nomine ſubſtantivo, ἡ μετὰ τὰς Εἰδοῦς, vel denique ſimpliciter, ſed rarius, μετὰ τὰς Εἰδοῦς notat *poſtridie Idus*, ut vel ex uno hoc loco manifeſtum eſt: quod licet notatu vix dignum, non tamen erat praetermittendum nobis, quoniam PETRI LVCENSIS verſioni inhaerens magnus LIPSIVS in *Excurſ. cit.* interpretatur *poſt Idus Quinctiles*, ratus, illud a PLVTARCHO vel *indefinite* aut *falſo* dictum, ſi quidem ejus rei auctorem laudet LIVIVM, qui contra plane ſcripſerit, nempe, cum *poſtridie Idus* non litaſſet Sulpicius, *poſt diem tertium* hoſti objectum eſſe exercitum populi Romani. Sed neque *indefinite* PLVTARCHVS intellexit tempus *poſt Quinctiles Idus*, neque *falſo* videri poſſet ſcripſiſſe μετὰ Εἰδοῦς *poſtridie Idus*, aut LIVIO, quem citat auctorem, adverſari, modo accipias illa: μετὰ τὰς Κυϊντιλίας Εἰδοῦς ἐξάγοντες οἱ Χιλίαρχοι τὸ στράτευμα de die, quo Tribuni Militum exercitum eduxerint, non autem, quo ad Alliam pugnatum ſit; περὶ τὸν Ἀλλίαν ποταμὸν ἐκρατήθησαν, die nempe tertio poſt, ut accurate LIVIVS notat: verum tamen erroris omnino abſolvi PLVTARCHVS nequit et Patavini verba haud probe ipſum perſpecta habuiſſe, infra, ubi de *die pugnae Allienſis* agendum eſt, patebit. Quod dicit: ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσι καὶ Λίβιος ἱστορεῖ, eo ſignificat, alios Auctores alius fuiſſe opinionis: quam veterum Scriptorum diſſenſionem referre poſſis vel eo, quod male intellectis LIVII verbis ratus eſt, apud illum fatalem diem Allienſis cladis indigitari *poſtridie Idus Quinctiles*, unde paullo poſt inter illa, quae opponit ſententiae Livianae, refert

refert

fert quoque, *alio die* ad Alliam Romanos esse superatos; vel eo, in quo praecipue totius quaestionis videtur hic loci cardo versari, an ideo, quod primum postridie Idus Quinctiles dies religiosus ob cladem Alliensem factus sit, deinde, superstitione paullatim eam rem ulterius extendente, omnes etiam reliqui dies postridiani, non Iduum tantum, sed Nonarum quoque et Kalendarum, pro atris fuerint habiti? ita namque cohaerebunt verba: πότερον —— νομισθείσης μετὰ τὰς Εἰδοῦς ἀποφράδος, προσταγὲν, ὥσπερ φιλεῖ, πορρωτέρω τὸ ἔθος ἡ δεισιδαιμονία καὶ κατέστησεν εἰς τὴν αὐτὴν εὐλάβειαν τήντε μετὰ τὰς Νώνας καὶ τὴν μετὰ Καλάνδας; *an ideo quod,* —— *cum postridie Idus ater dies esset judicatus, superstitio, ut fieri solet, ulterius morem extenderit et constituerit, ut postridie Nonas et Kalendas eadem esset religio?* —— προσταγὲν omnino vitiosum est: quid autem significare voluerit Auctor, non ad modum obscurum, idque colligitur satis ex ejus *Camillo loc. cit.* ubi de eadem hac clade Alliensi mentione facta, eum diem scribit apud Romanos fuisse inter atros relatum ac propter eum alteros binos singulis mensibus, τῆς πρὸς τὸ συμβὰν εὐλαβείας καὶ δεισιδαιμονίας ἐπὶ πλέον, ὥσπερ εἴωθε, ῥυείσης. *post quam religio ex hoc casu et superstitio, ut fieri solet, accrevit:* itaque palam est, loco τοῦ προσταγὲν aliud requiri verbum, quod notat *amplificavit, extendit* aut simile quid: cum XYLANDRO haud male poterit corrigi προῆγεν *produxit*, vel, quod mihi in mentem venit προσέταχεν, *insuper jussit*, quod sono et literarum ductu corruptae lectioni magis vicinum est: προσέταχεν —— πορρωτέρω τὸ ἔθος ἡ δεισιδαιμονία *insuper superstitio ulterius morem jussit.* —— Ἢ τοῦτο μὲν πολλὰς ἀντιλογίας. XYLANDER vertit AVT *multa sunt, quae contra hanc opinionem dicuntur;* PETR. LVCENSIS vero AN *hoc multis modis absurdum est:* verum neuter satis commodo sensu, qui postulat, ut hoc loco particulam ἢ reddamus *at enim* vel simili copula adversativa. —— Ἄλλην τε γὰρ ἡμέρα τὴν μάχην ἠτλήθησαν, ἣν Ἀλλιάδα διὰ τὸν ποταμὸν καλοῦντες ἀφοσιοῦνται. in quibus reciprocum ἣν referendum puto ad ἡμέραν potius, quam ad praecedens τὴν μάχην, licet etiam clades illa ab eodem flumine *Alliensis* pariter appelletur: significat enim, eo nomine fatalem diem istum inter

atros in Fastis suis Romanos retulisse et tanquam infaustum atque inauspicatum vitavisse; id namque est ἀφοσιοῦνται· quo eodem sensu hoc verbum legitur in *Caesare Tom. IV. pag.* 163. ubi D. Brutus Caesari, ab Haruspicibus monito, ut diem caedis vitaret, ac propterea cunctanti in Senatum venire, regerit: ἀλλ' εἰ δοκεῖ πάντως τὴν ἡμέραν ἀφοσιώσασθαι, et alibi hac significatione verbum ἀφοσιοῦσθαι jungit τῷ δεδοικέναι. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι, scribens, ἀφοσιοῦνται τὴν ἡμέραν καὶ δεδοίκασιν. —— Καὶ πολλῶν ἀποφράδων οὐσῶν, οὐκ ἐν παντὶ μηνὶ τὰς ὁμωνύμους παραφυλάττουσιν, ἀλλ' ἑκάστην, ἐν ᾧ συνέτυχε. dies ὁμωνύμους intelligit singulis mensibus *postridie* omnes Kalendas, Nonas et Idus: atqui vero illos dies, ut religiosos, observabant Romani vitabantque, etiam PLVTARCHI adhuc aetate, erant enim, ut scribit, ἀνέξοδοι καὶ ἀνεκδήμητοι· quare forsan a Scribis librariis negativa particula οὐκ ex sequenti versu incommode huc transposita est legendumque videtur hoc modo: καὶ πολλῶν ἀποφράδων οὐσῶν, ἐν παντὶ μηνὶ τὰς ὁμωνύμους παραφυλάττουσιν, ἀλλ' οὐχ ἑκάστην, ἐν ᾧ συνέτυχε. *cum autem multi sint dies atri*, (quibus nempe ingens clades obvenit rei publicae) *observant homonymos* (seu postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus) *non vero unum quemque diem eo tempore, quo clades illa accidit.* Sic puto intelligenda haec verba: nempe PLVTARCHVS, ut convellat eorum opinionem, qui statuant, postridie omnes Kalendas, Nonas Idusque religiosum fuisse et atrum propter eam caussam, quod male pugnatum esset istis diebus, duo profert argumenta, primo, quod alio die, quam postridie, ad Alliam clades accepta sit, tum, quod cum multi essent dies atri, quibus aliquando grave damnum res publica esset perpessa, quosque adeo pro religiosis haberi oporteret, non tamen illos observent quotannis Romani eo tempore et die, quo clades facta sit, sed singulis mensibus eosdem dies, postridie scilicet omnes Kalendas, Nonas et Idus. Atque hunc esse verum loci sensum, ex iis quoque patet, quae mox sequuntur: τό, τε ταῖς μετὰ τὰς Νώνας καὶ Καλάνδας ἁπλῶς ἁπάσαις προστρίψασθαι τὴν δεισιδαιμονίαν, ἀπιθανώτατον. quibus significat, ne quaquam vero simile videri, id quod quidam voluerint utque ipse supra ex aliorum sententia retulisset, diem cladis Alliensis atrum, qui dies fuerit postridie Idus Quincti-

Quinctiles, ἁπλῶς, id est nulla interveniente aliarum cladium caussa, eadem religione involvisse reliquos dies omnes homonymos, ita ut, propter unum istum diem cladis Alliensis, postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus religiosum fuisset habitum.

§. 2.

Quod ad causas attinet atque originem dierum atrorum apud Romanos, *supra Cap.* 1. *Animadvers.* §. 3. *pag.* 18. *sq.* vidimus, apud Graecos ejus modi dies religiosos, ἀποφράδας vulgo dictos, ob publicam praesertim calamitatem institutos esse et belli cladem, istis ante diebus acceptam. Eadem quoque superstitio Romanos tenuit, ut ab infelici eventu belli omen his diebus inesse crederent, eosque, tanquam inauspicatos, fugerent in posterum atque abominarentur. De die, quo ad Cremeram Fabiorum exercitus caesus, DIONYSIVS HAL. *Lib. IX. pag.* 581. τήνδε ἡμέραν, inquit, ἐκείνην, ἐν ᾗ τὸ πάθος ἐγένετο μέλαιναν τε καὶ ἀποφράδα τίθεται (ἡ πόλις) καὶ οὐδενὸς ἂν ἔργου ἐν ταύτῃ χρηστοῦ ἄρξαιτο, τὴν τότε συμβᾶσαν αὐτῇ τύχην ὀττευομένη. *Diem vero illum, quo clades accidit, populus inter atros retulit et nefastos nihilque boni operis eo die auspicaretur, calamitate ejus dici in religionem versa.* De eadem Fabiorum clade DIO etiam CASSIVS in *Fragm. Peiresc. pag.* 13. *edit. cl.* REIMARI testatur, Romanos eum diem inter funestos (εἰς τὰς μιαρὰς) adscripsisse, ipsamque portam, qua egressi essent Fabii ad bellum, infamem habitam, ut nulli Imperatori liceret per eam transire, et in posterum isti portae nomen *sceleratae* datum esse: ob infelicem namque belli exitum huic etiam portae omen inesse crediderunt, quo respicit OVIDIVS *Fast. Lib. II. vs.* 204.

Porta caret culpa, sed tamen omen habet.

Scelerata dicuntur loca, ut ex hoc DIONIS loco discimus, ἄπμα, quae ob calamitatem aliquam infamia sunt et religiosa ac propterea vitabantur; quo sensu *campus* et *vicus sceleratus* dicitur; porta autem scelerata, non quod infamia notetur, quia clades ibi facta sit, sed tanquam

 mali

mali cauſſa, conf. *infr.* ubi de religione dierum poſtridianorum, non ob cladem ipſam, iis diebus acceptam, ſed cladium cauſſam, ſacrificium nempe infauſtum, notatorum. Cum *ſcelerata porta* Romanorum V. D. *ad* LVCIANI *Scholiaſt. ad Pſeudologiſt. initio, Tom. III. Oper. pag.* 161. *edit Reitz.* comparat Athenienſium πύλας ἀποφράδας· diverſa tamen origine cauſſaque Athenis aliisque in urbibus Graecorum πύλαι ἀποφράδες ſunt appellatae: ſic Scholiaſtes *l. c.* Ἀποφράδας ἡμέρας καὶ ἀποφράδας ἁπλῶς καλοῦμεν τὰς σεσημειωμένας· παρήχθη δὲ ἡ λέξις ἀπὸ ἱστορίας τοιᾶσδε· ἔθος ἦν τοῖς Ἀθηναίοις τοὺς κακούργους καταδικαζομένους ἔξω φέρειν τῆς πόλεως, καὶ διδόναι αὐτοῖς τὴν ἀπήκουσαν δίκην· ἐξῆγον γοῦν αὐτοὺς ἀπὸ τινῶν σεσημειωμένων πυλῶν, καὶ οὐκ ἀπὸ τῶν συνήθων τοῖς ἄλλοις πολίταις, ἅστινας ἐκάλουν ἀποφράδας. Quibus verbis principio vitii aliquid adhaerere videtur defectu: nihil enim mos ille Athenienſium, quod, ut memorat, criminum reos convictosque extra urbem per portas ἀποφράδας ad poenam educerent, congruit voci ἀποφράς, qua ponitur ſignificatione pro *die atro* vel *religioſo:* credo, ita locum conſtituendum, ut ad Libri titulum, περὶ τῆς ἀποφράδος κατὰ Τιμάρχου, notet Scholiaſta: Ἀποφράδος. ἡμέρας · καὶ ἀποφράδας ἀνθρώπους καλοῦμεν τοὺς σεσημειωμένους· παρήχθη δὲ ἡ λέξις *etc.* Quod in libri titulo erat περὶ τῆς ἀποφράδος, exponit ἀποφράδος ἡμέρας· dein addit, homines etiam ἀποφράδας appellari, ἀνθρώπους ἀποφράδας (vocabulum ἀνθρώπους compendiſacte ſcriptum peperit vulgatum ἁπλῶς) παρήχθη δὲ ἡ λέξις *etc.* nempe ſignificat, uti diem infamen, ἀποφράδα, ita et homines *infames* ἀποφράδας appellari, eamque λέξιν ſeu notionem vocabuli ex ejusmodi hiſtoria ſeu conſuetudine derivatam, quod Athenienſes homines nefarios condemnatosque, ut ſupplicium ſumerent de iis, extra urbem educere ſoliti ſint per portas quasdam infamia notatas, ἀποφράδας, unde et ipſi homines nefarii ἀποφράδες appellati ſint: an vero potius ita ſuppleamus: Ἀποφράδος· ἡμέρας ἀποφράδας ἀνθρώπους, καὶ ἀποφράδας πύλας ἐκάλουν τὰς σεσημειωμένας· παρήχθη δὲ ἡ λέξις *etc.* nempe, ut doceat,

ceat, praeter dies ἀποφράδας, homines etiam et portas urbis quasdam, per quas puniendi educerentur, ἀποφράδας similiter dici, quod essent σεσημειωμέναι infames et sceleratae seu religiosae: videtur Scholiastes ob oculos habuisse locum PLVTARCHI in *Libr.* περὶ Πολυπραγμοσύνης, ubi non tantum de urbe Athenarum, sed in genere de quibusvis aliis urbibus refert: αἱ πόλεις, scribit, ἔχουσί τινας πύλας ἀποφράδας καὶ σκυθρωπὰς, δι᾽ ὧν ἐξάγουσι τοὺς θανατομένους καὶ τὰ λύματα καὶ τοὺς καθαρμοὺς ἐκβάλλουσιν, ἐναγὲς δὲ οὐδὲν οὐδὲ ἱερὸν εἴσεισιν οὐδὲ ἔξεισι δι᾽ αὐτῶν.

Quod vastissima pugnae Cannensis clades facta esset ante diem IIII. Nonas Sextiles, teste Q. CLAVDIO *Annal. Lib. V.* cum non tantum diem, sed et singulis mensibus diem ante diem IV. Kalendas omnes, Nonas Idusque *ominalem* habuerunt Romani, vid. GELLIVS *N. A. Lib. V. c.* 17. et MACROBIVS Gelliana describens *Lib. I. Saturnal. cap.* 16. ubi dies *ominalis* est ater, religiosus, quique, ut alibi dicitur, *tristi omine* infamis est; Codices tam Gelliani, quam Macrobiani, alii *inominalem*, alii *nominalem* praeferunt vel *innominalem*; at dudum SALMASIVS in *Libr. de Ann. Climacteric. pag.* 824. recte restituit GELLIO *ominalem*; uti hic legendum quoque: atque adeo facile carebimus toto MORESTELLI *Dialogo* XXI. *de innominalibus diebus*, *Tom VIII. Thes. Graev. pag.* 783. Haec vocabula *omina*, *nomina* et *omnia* quoties confundantur in MStis, nemo ignorat: unde forte *cap. cit.* idem MACROBIVS bis corrigendus: primo, ubi *dies*, inquit, *postridianos* AD OMNIA *majores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros, velut infausta appellatione, damnarunt:* malo *ob omina* infausta, quae his inesse diebus, vulgo creditum: et mox *ibid.* scribit: *eosdem* (atros dies) *tamen non nulli communes, velut ad emendationem* NOMINIS, *vocitaverunt:* ubi litera N ex finali proxime prioris vocabuli litera M sequentis vocis principio adhaesit, unde facile corrigitur *ominis*: cum autem dies atros, velut ad *emendationem ominis*, quosdam *communes* vocitasse, scribit, intelligendum id est de MACROBII aetate; nam olim hoc nomine dies religiosos esse nominatos, nusquam mihi compertum est: postea quam vero veteri illa dierum religione posterioribus temporibus jam essent hominum animi exsoluti, ut, nisi a superstitiosis, non observarentur amplius, isto jam omine cessante, quidam atros dies

 ma-

maluerunt appellare *communes*, quasi dicas, id habentes ominis, quod omnium esset commune dierum, ut per se neque boni essent neque mali.

Quod olim pridie Nonas Octobr. Caepionis exercitus fuisset a Cimbris oppressus, istum propterea diem quoque atrum esse vitandumque, Lucullum, flumen transmissurum, ut cum hoste confligeret, monuerunt quidam Duces; vid. PLVTARCHVS *Tom. III. pag.* 176. Denique, ut alia praetermittam exempla, ipse Augustus Imperator quotannis Varianae cladis diem moestum transegit et lugubrem, teste SVETONIO in *vit. cap.* 23. quem diem, quasi ex composito silentibus Historicis vetustis, perperam, saltem incerto, HADR. IVNIVS *in Fastor. Libr.* et plerique alii ante diem IIII. Non. Sext. ponunt. vid. praeter CASAVBONVM ad *Sueton. l. c.* FERDINANDVS, Episcopus et Princeps Paderbornensis, in *Monum. Paderborn. pag.* 32. ubi, cum moneat, non nullos esse, qui cum AVENTINO hunc diem referant *ad a. d. IV. Non. Julii*, haud scio, quos eo nomine notaverit; certe ipse AVENTINVS *Lib. II. Annal. Boior. pag. m.* 56. diem Varianae cladis reponit quoque *A.D.* IIII. *Non. Sext.* Tum caussa etiam, quam interserit Furstenbergius, ideo forte diem cladis ejus Scriptores nescivisse definire, quod teste DIONE *Lib. LVI. pag.* 820. *sq.* triduo sit dimicatum, haud sane mihi videtur probabilis: cum certe ultimus pugnae dies, quo quippe universus Romanorum exercitus occidione est occisus, fuerit funestus ille, quem Imperator quotannis moestum habuisse dicitur ac lugubrem; itaque ut, si quo triduo noverint Scriptores pugnatum esse, quod sciri profecto potuit, minime ignoraverint illi ipsum cladis Varianae diem. Quare crediderim potius, diem istum, ut rem vulgo satis notam, vel quod non publica, sed privata Augusti haec fuerit religio, Historiarum conditores memorare neglexisse.

Atque ita ex memoratis hactenus exemplis apparet, uti apud Graecos, sic etiam Romae, atrorum dierum caussam fuisse praecipuam infelicem belli eventum et tristia damna, sub adverso Marte lata: vid. OVIDIVS *Lib. I. Fastor. vs.* 58. unde et atros dies *rebus adversis notatos* dicit MACROBIVS *Lib. I. Saturn. cap.* 16. praeter belli tamen clades, alias quoque calamitatum caussas videntur Romani observasse: diem, quo Caesar Julius in curia interfectus est, qui fuit Idibus Martiis, cum alioquin isto die Senatum haberi solemne esset, Triumviri R. P. C. atrum fore

fore pronunciaverunt: vid. DIO CASSIVS *Lib. XLVII. pag.* 504. isque dies *Parricidium* in *Fastis* appellatus est, teste SVETONIO in *Caesare cap.* 88. Superato Antonio, quum, honorifica multa Augusto decernerentur, illius etiam dies natalis a Senatu religiosus est judicatus; vid. idem DIO *Lib. LI. pag.* 650. Agrippinam, Germanici uxorem, eodem die defunctam, quo biennio ante poenas luisset Sejanus, TACITVS notat *Lib. VI. Annal. cap.* 25. ob eamque rem grates Tiberio actas, decretumque a Senatu, ut quinto decimo Kalend. Novembr. utriusque necis die, per omnes annos donum Jovi sacraretur: et SVETONIVS in *Tiber. cap.* 53. etiam suasisse refert Tiberium, diem Agrippinae natalem inter nefastos referendum. Sic pariter natalem diem Agrippinae, ejusdem Germanici filiae, jussu Neronis interemtae, censuit Senatus inter nefastos reponendum: vid. TACITVS *Annal. Lib. XIV. cap.* 12. Denique Pisani, si qua fides Decreto, quod eorum nomine circumfertur, diem illum, quo C. Caesar obiit, qui fuerit A. D. VIIII. Kal. Mart. *pro Alliensi* habendum jusserunt.

Cum autem Graeci ipsos tantum modo dies cladis et publicarum calamitatum ἀποφράδας esse voluerint, hoc amplius constituerunt Romani, quod non illos solum dies, quibus male esset pugnatum, sed praeterea eos quoque, quibus belli gerendi gratia Magistratus militaris ante proelium, facto solemni sacrificio, non litasset, inter atros religiososque Pontificum decreto retulerint, haud minus diem rei divinae, non inventa pace Deum factae, quam ipsum cladis diem, ominosum ac funestum esse, rati; quoniam ex infelici illo sacrificio, omine capto ab eventu, omne malum derivandum censerent: atque ita omnino intelligendus OVIDIVS *Lib. I. Fastor. vs.* 58. *sq.* ubi proximos omnibus Kalendis, Nonis Idibusque dies atros fuisse dicit toto anno:

> *Omen ab eventu est, illis nam Roma diebus*
> *Damna sub adverso tristia Marte tulit.*

Non enim Fastorum Auctor et temporum peritissimus significat, propterea dies postridianos omnes atros fuisse, quod illis ipsis exercitus populi Romani caesus sit; sed, quod, postridie non litato, proximo deinde proelio res infeliciter esset gesta, uti aperte constat, si huic Poëtae loco conferas GELLII, HEMINAE ac VERRII testimonia, *supr.*

§. 1. *citt.* qui ne significant quidem, diem ipsum cladis pro religioso habitum esse, sed tantum memorant, Pontifices, ad quos ea res ab Senatu relata, constituisse, postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros fore dies, *ideo quod, quotiens belli gerendi gratia postridie res divina facta esset, ejus belli proximo deinceps proelio male cessisset conflictus:* conf. et LIVIVS *loc. laud.* qui tamen et ipsum cladis Alliensis diem *religiosum* fuisse notat; *diem*, scribens, *a. d.* xv. *Kal. Sext. duplici clade insignem*, quo neupe Fabii ad Cremeram caesi et deinde ad Alliam foede pugnatum, *insignem rei nulli publice privatimque agendae fecisse* Romanos; conf. et PLVTARCHVS *l. c.* idemque probant *Fastorum Fragmenta*, *Amiterninum*, in quo dies Alliensis notatur et postridie Idus Quinctiles et mox A. D. xv. Kalend. Sext. atque ita pariter in alio *Fastorum Fragmento*, quod effossum est Antii, A. D. xv. earumdem Kalendarum Sextilium ejusdem vestigia quoque *diei Alliensis*, quamvis corrupte, exhibita supersunt. Haec autem ut, quo optimo fieri possit modo, in concordiam redigamus, sic existimo statuendum, diem pugnae Alliensis, tum quo Fabii ad Cremeram caesi, aliosque omnes, quibus ingens accepta clades esset, vulgi opinione et terrore ac populi consensu, inter atros quidem dies fuisse reputatos, non vero etiam religione publica ac decreto Pontificum religiosos esse factos: etenim Pontifices propterea tantum quod, quoties belli gerendi caussa postridie Kal. Non. vel Idus inauspicato esset sacrificatum, res male gesta et proximo inde proelio exercitus Romanorum caesus esset, suo jure, quod in omnia sacra exercebant, constituerunt, uti postridie omnes Kalendas, Nonas atque Idus dies forent religiosi nullumque sacrificium iis diebus recte fieret. Imo multa sunt argumenta, quibus colligi potest, Romanos veteres multo observasse religiosius ejus modi dies postridianos et inauspicati sacrificii, quam quibus ipsa clades fuerat accepta. Lucullus, monitus quamvis a Ducibus, pridie Nonas Octobres diem esse atrum ac propterea cavendum, nihil veritus est, eo ipso die manum conferere cum hoste, vid. PLVTARCHVS *T. I. p.* 306. et *Tom. III. p.* 176. cumque adeo ex privata magis observatione pro cujusque metu dies, rebus adversis notatos, pro infaustis habuisse videantur et vitasse, quam quod auctoritate Pontificum publica aut jussu Senatus fuerint damnati, praeter unum forte Alliensis cladis diem, quem modo memoravimus in qui-

quibusdam Faſtorum Fragmentis eſſe notatum, reliqui dies cladium in publicis Faſtorum Tabulis ne quidem locum obtinuerunt, aut inter atros nominatim relati ſunt; id nobis conſtat non ſolum ex OVIDIO, qui diem pugnae Fabiorum Cremerenſis, tantum abeſt, ut inter religioſos computet, ut etiam feſtum fuiſſe oſtendat, quippe ſacratum Fauno Agreſti, quamvis DIONYSIVS et DIO CASSIVS, quos ſupra laudavi, conteſtentur, Romanos hunc diem inter atros retuliſſe: conf. *infr.* §. 5. *in fin.* tum idem ex aliis *Faſtorum Tabulis*, quae ſuperſunt nobis, apparet, ubi nusquam dies, cladibus inſignes, ut religioſi adſcribuntur; nam neque omnium praeſtantiſſima *Faſtorum Tabula Maffejana* Allienſem aliosque omnes ejusdem generis calamitoſos dies commemorat, neque, quod in duobus *Fragmentis* aliorum Faſtorum *A. D.* xv. *Kal. Sext.* dies Allienſis notatur, eo arbitror ſignificari aliud, quam fide hiſtorica, ut plura ejus modi alia Faſtis adſcribi ſolebant, eo die ad Alliam eſſe pugnatum, non vero etiam propterea iſtum diem fuiſſe adhuc atrum vel religioſum, quoniam in utriſque notatur is dies litera C. id eſt, *Comitialem* fuiſſe, qualis eſſe nequibat dies religioſus; ſed maxime etiam probat hanc ſententiam, quod veteres Auctores, ubi ex profeſſo de religioſis diebus tractant, non memorant plane illos dies, quibus adverſo Marte pugnatum eſt, ſed poſtridianos, qui ex decreto Pontificum ex aequo omnes religioſi et rei nulli agendae inſignes facti ſunt, vid. MACROBIVS *Lib. I. Saturn. cap.* 15. tum alia claſſicorum teſtium teſtimonia, *ſupr.* §. I. relata: unde et FESTVS *ſex et triginta* tantum, ſeu ternos ſingulis menſibus, poſtridie ſcilicet omnes Kalendas, Nonas, Idus, dies atros numerat potiſſimum, quo de loco conf. nos *infr. Cap. ſq.*

§. 3.

De die Allienſi plura ſuperſunt nobis diligentius inquirenda; atque inter alia primo quidem loco diſputabimus, quo die fuerit ad Alliam pugnatum? deinde, quo die poſt cladem Vrbs a Gallis capta ſit? ac tertio, an eodem die fuerit olim pugna Fabiorum ad Cremeram commiſſa, quo poſtea acciderit Allienſis, ut diſerte LIVIVS affirmat atque inde PLVTARCHVS. Quod ad primum; CICERO *Lib. IX. Epiſt. ad Attic.* 5. *Semper,*

Semper, inquit, *caussae eventorum magis movent, quam ipsa eventa* —— *ut majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam Vrbis captae; quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus: sic ego etc.* totidem verbis hunc TVLLII locum profert GELLIVS *Noct. Att. Lib. IV. cap.* 9. et NONIVS in voc. *Religiosus pag. m.* 184. hic tamen variante non una lectione ita habet: NON *majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam Vrbis captae; quod hoc malum ex illo: itaque* ALITER *religiosos etiam nunc dies*, ALITER in *vulgus.* Sic quoque, loci principio addita particula negativa, ex CICERONE verba citat SICCAMA in *Comm. ad Fast. pag.* 58. ast nullam quidem ex codicibus scriptis memorant Interpretes *ad locum Ciceronis* lectionis diversitatem omnesque omittunt pariter τὸ *non*, uti desideratur quoque apud GELLIVM *loc. cit.* et profecto vulgata lectio sola proba est ac menti Auctoris congrua: cum enim caussas magis eventorum dicat nos movere, ipsis eventis, eam ut exemplo illustret sententiam ex Antiquitate, dicere haud potuit, Romanos veteres *non funestiorem* esse voluisse diem Alliensis pugnae, quippe caussam eventus, quam diem Vrbis captae, qui erat eventus ipse; sed plane contra: diem fatalis pugnae, velut caussam exitii Vrbis, *funestiorem* Majoribus habitum, ipso eventu, seu die Vrbis captae: *quod hoc malum ex illo:* id est, quoniam caussam Vrbis expugnatae ex foedo funestoque ad Alliam conflictu censerent repetendam. Imo rectius etiam scripsisset TVLLIVS, et sic intelligendus forsitan, Romanos funestiorem habendum censuisse diem, quo belli gerendi caussa res divina postridie Idus Quinctiles facta esset, quam ipsum diem pugnae et Vrbis captae, quod haec mala ex illo: atque ita hic TVLLII locus egregie illustrat quoque id, quod supra paullo ante monui, diem sacrificii, non litato neque inventa pace Deum, postridie facti, velut caussam proximo inde proelio acceptae cladis captaeque post tertium diem Romae, ipsis eventis ac diebus, quo ad Alliam infelici omine pugnatum et Vrbs capta est, fuisse multo magis funestum Romanis. Vnde crediderim fere, ut supra de OVIDIO vidimus, quando postridie omnes Kalendas, Nonas et Idus atros esse dies pronunciat, omine ab eventu petito, quia istis diebus sub adverso Marte damna tulissent Romani, intelligere illum non sane

ſane dies ipſos cladium, ſed quibus inauſpicato ſacrificatum eſſet: et, quem ad modum MACROBIVS, atros dies ſcribens *rebus adverſis notatos*, reſpicit potius dies infelicium ſacrificiorum, quam pugnarum, ſic pariter CICERONEM etiam *hoc loco* appellatione *diei Allienſis pugnae*, non tam intellexiſſe puto diem ipſum, quo clades illa accepta eſt ante diem XV. Kalend. Sext. ſed poſtridie potius Idus Quinctiles, quo die ante eam cladem fuerat a Magiſtratu, proelii committendi cauſſa, res ſacta divina: quippe qui dies poſtridie Idus Quinctiles, propter cladem, proximo inde ad Alliam proelio acceptam, velut omnium cauſſa malorum, vulgo *Allienſis* quoque appellatus eſt: quo nomine et inſignitur in *Faſtis Amiterninis*; eademque religione ex Pontificum decreto involvit poſtridie Kalendas omnes, Nonas et Idus, ut dies eſſent religioſi atque Allienſes. Caeterum, ut revertar ad NONIVM, facilis, puto, ei fiet medicina, ſi τὸ NON, quod ita compendifactum erat exaratum, legas *nono*, ut ſcripſerit: *M. Tullius ad Atticum nono*, puta *libro*, ubi etiam nunc is locus eſt obvius: quam eandem certiſſimam correctionem, video nunc, etiam in mentem veniſſe ANDREAE SCHOTTO *Lib. III. Nodor. Ciceron. cap. 6. pag.* 347. Quae ſequuntur apud NONIVM verba: *itaque aliter religioſus etiam nunc dies, aliter in vulgus*, vel a Librariis peſſime habita ſunt, vel ab ipſo NONIO jam olim vitioſe deſcripta et perperam intellecta; ut pote quibus videtur ſignificare voluiſſe, aliam proprie eſſe apud vetuſtos Auctores *diei religioſi* ſignificationem, nempe pro *die atro*, aliam vero in vulgus eſſe cognitam, ut *religioſus* dicatur dies, qui religione ac Deorum cultu inſignis eſt. Doctiſſ. autem TVRNEBVS *Adverſar. Lib. XXX. cap. 9.* τὸ *in vulgus* exponit hoc loco *vulgare*, ut docere voluerit Grammaticus, alterum diem, nempe cladis Allienſis, religioſum fuiſſe, alterum vero Vrbis captae *vulgarem*, id eſt non religioſum: at dies ejus modi *vulgares*, oppoſitos *religioſis*, vellem, exemplis ex Antiquitate boniſque Scriptoribus vir doctus illuſtraſſet: equidem plane ignorare me fateor; hoc tamen auſim affirmare, eam explicationem NONIO, multo autem minus CICERONI, haud commode ſatis aptari poſſe. Ille etenim, ſi vere ſic verba, uti vitioſa et ſub finem una voce *ignotus* detruncata, nunc leguntur, ex corruptae lectionis codice Tulliano excepérit, nihil voluit profecto aliud indicare, quam diverſimodi *religioſum* diem appellari. Cum vero altera illa ſignificatio,

qua *religiosus* dies ponitur pro sacro et festo, plane, ut arbitror, antiquis Auctoribus ignota fuit, potius, quidquid hic est culpae, Scribis tribuerim, cumque TVLLIO scripsisse crediderim NONIVM: *itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus:* quod ita expono: diem cladis Alliensis seu inauspicati sacrificii, postridie Idus Quinctiles, funestiorem a Romanis habitum, ut pote ex qua fonte omnis clades fluxisset in patriam, illumque diem suo adhuc tempore religiosum fuisse in Fastorumque notatum Tabulis publicis, quam diem Vrbis captae, qui dies, licet Historiarum prisci aevi peritis non lateret, vulgo tamen, quoniam Fastis non adscriptus esset neque pro atro babitus, jam ignoraretur.

Sed videamus accuratius, quo tandem die fuerit ad Alliam cum Gallis Senonibus pugnatum. LIVIVS bis eodem loco pugnae diem designat *A. D.* XV. *Kalend. Sext.* et primo quidem expressis verbis scribit: *diem A. D.* XV. *Kal. Sext. duplici clade insignem*, quo ad Cremeram Fabii caesi, quo item ad Alliam foede pugnatum, a posteriore clade *Alliensem* appellatum insignemque rei nulli publice privatimque agendae fuisse: tum mox iterum ex quorundam opinione referens: *postridie Idus Quinctiles* non litasse Sulpicium, et *post diem tertium*, id est *tertio die post*, hosti objectum esse exercitum Romanum. Hunc, laudato Auctore, ob oculos habuit locum PLVTARCHVS *in Quaest. Rom. cap. XXV. supr. cit.* §. 1. *pag.* 173. ubi vid. Verum tamen, verbis haud probe intellectis, id sibi colligere visus est velle LIVIVM significare, plerosque diem cladis ad Alliam conferre in *postridie Idus Quinctiles*: hanc enim plerorumque esse sententiam ex LIVIO collegisse Chaeronensem, inde patet, quia mox, ut eam refutet opinionem, *alio die*, quam *postridie Idus Quinctiles*, Romanos ad Alliam flumen superatos esse, observat. LIPSIVS quidem in *Excursu ad Tacit. Annal. Lib. XV. c.* 40. *indefinite* aut *falso* PLVTARCHVM loquutum existimat: ast contra puto: non enim μετὰ τὰς Κυϊντιλίας Εἰδοῦς *indefinite* dixisse, supra ostendi: an *falso* autem? equidem non credo: neque profecto de mala fide suspicio est. Cum tamen satis certo constet, ex LIVIO aliisque pluribus eam collegisse opinionem PLVTARCHVM, ac si statuissent illi, ipso postridie Idus pugnam Alliensem esse commissam, videamus, quid forte caussam praebuerit errori. LIVIVS cum priore periodi membro

membro definiisset diem pugnae *A. D.* xv. *Kalendar. Sext.* posteriore membro ex quorumdam sententia, GELLII inter alios et CASSII HEMINAE ac VERRII, expositurus, qua de caussa ejusdem occasione cladis postridie omnes Kalendas, Nonas et Idus dies religiosi sint judicati, non necesse habuit, iterum eundem pugnae diem repetere, uti neque supra laudati Scriptores, quorum Patavinus refert sententiam, quidquam, nisi indefinite, de die pugnae monuerunt, sed de sacrificio tantum inauspicato, postridie Idus Quinctiles instituto, loquuntur: itaque LIVIVM scripsisse arbitror: *quidam, quod postridie Idus Quinctiles non litasset Sulpicius, Tribunus Militum, neque inventa pace Deum, objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus etc.* omissis illis *post diem tertium*; quae, a Librariis ex superiore periodi membro repetita, postea videntur Livianis verbis interposita: quod si autem LIVIO verba ista, praeter necessitatem iterata, abjudicare nolis, quod omnes ea servant codices et libri, profecto dicendum est, PLVTARCHVM in suo, quo usus est codice Liviano, ista non reperisse; atque ita ex hac posteriore periodi parte plerorumque sententiam sic collegisse, ac si voluissent, cum postridie Idus Quinctiles, non litato neque inventa pace Deum, sacrificium esset factum, mox eodem die objectus hosti fuisset Romanorum exercitus. Neque, ut puto, PLVTARCHVS, cum scribit: ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσι καὶ ΛΙΒΙΟΣ ἱστορεῖ, LIVIVM quoque ejusdem opinionis, atque alios plerosque, de die cladis Alliensis postridie Idus Quinctiles, auctorem facit vel fautorem; contra enim suis usus oculis scire hoc ipso ex loco potuit et scivisse, nullus dubito, si quidem mox animadvertit; non *postridie Idus Quinctiles*, sed *alio die* ad Alliam proelio superatos esse Romanos: verum hoc tantum modo voluit, quosdam Auctores, *referente* LIVIO, ita existimasse. Ac sane, cum non nulli Scriptores vetusti fatalem pugnae Alliensis diem, a die sacrificii triduo ante celebrati distinguendum, haud accurate satis designaverint, sed cum HEMINA aliisque ita fere rem exposuerint, ut credas facile, eodem prorsus die et sacrificatum et pugnatum esse; tum etiam, cum postridie Idus Quinctiles, tanquam totius caussa cladis, nomine *Alliensis* diei in quibusdam *Fastorum Tabulis* forte signatus esset, non potuit non proclivi errore PLVTARCHVS in suspicionem videri venisse, ut inde

 existi-

existimaret, plerosque Auctores diem pugnae Alliensis reposuisse postridie Idus Quinctiles: quin imo, si quis contendat potius, OVIDIVM non tantum et MACROBIVM, quorum loca §. I. *hoc Cap.* aliter exposuimus, sed et ipsum TVLLIVM in *Epist. ad Attic. sup. cit.* in eo errore versatos fuisse, ut diem facti sacrificii cum die pugnae commissae confuderint, ei quidem haud magnopere repugnabo. Atque idem illud, quod antiquis Scriptoribus accidisse suspicamur, recentiori aetate Interpretibus etiam accidit doctissimis, ut, eodem CASSII HEMINAE loco vel decepti verbis VERRII aliorumve, sacrificii diem inauspicati cum die infelicis pugnae confuderint temere pro eodemque habuerint *Pridie Idus Quinctiles:* nam et ANT. AVGVSTINVS in *Not. ad Festum, voc. Religiosus*, diem Alliensem *postridie Idus Quinctiles* fuisse, scribit, auctoritate GELLII *Lib. V. cap.* 17. et MACROBII *Lib. I. Saturn. cap* 16. quod si accipias, ut pro mente FESTI necessario accipere debuit V. D. de *die Alliensis pugnae*, aberravit triduum: similiter in eadem re, sed apertius, peccat nobiliss. HEINSIVS *ad Ovid. Fast. Lib. I. vs.* 58. eorundem fide, ut ratus est, Scriptorum notans, Romanum exercitum ad Alliam *postridie Idus* caesum. Alios, qui eundem offenderunt ad lapidem, praetereo sciens.

PLVTARCHVS, quem ad modum in *Quaestionibus loc. cit.* ubi tantum obiter *sacrificii diem* a *die pugnae* diversum fuisse animadvertit, sic in *Camillo* etiam *Tom. I. pag.* 304, quo die fuerit ad Alliam pugnatum, non ausus est accurate definire, veterum, ut credo, Auctorum dissensu rem ratus incertam: pugnam etenim commissam scribit: περὶ Τροπὰς Θερινὰς, περὶ Πανσέληνον· quod vertit Interpres *Plenilunio circa Solstitium aestivale:* vid. quoque ill. SCALIGER in opere *de Emendat. temp. pag.* 415. et SAM. PETITVS in *Eclog. Chronol. Lib. V. pag.* 345. Solstitium aestivale, Τροπαὶ Θεριναὶ, ut in *Fastis Rusticis Farnesianis* ac *Vallensibus* nec non *Lambecianis* notatur, incidit *A. D.* VIII. *Kal. Julias*, seu *die* XXIV. *Junii*, conf. et COLVMELLA *de R. R. Lib. II. c.* 2. et 14. Cum vero *Plenilunium*, quod innuit *hoc loco* PLVTARCHVS, a *die Solstitiali* longius sit remotum, neque adeo satis apte hi temporis characteres committi possint, ex *variantibus Lectionibus*, quas e *Cod. Bodlej. A.* depromtas, nobis suppeditat doctiss. editor

editor Anglus ad calcem *Tom. I. pag.* 57. rectius, credo, legemus: *μετὰ τροπὰς Θερινὰς, περὶ Πανσέληνον· post aestivale Solstitium, circiter Plenilunium.* Caeterum cum LIVIO, qui definite Alliensis pugnae diem ponit *A. D.* xv. *Kalend. Sext.* conspirant probe omnes reliqui: TACITVS *Lib. II. Histor. cap.* 91. funesti ominis loco acceptum, scribit, quod Vitellius Imperator, Maximum Pontificatum adeptus, de caerimoniis publicis edixisset xv. *Kalendas Augusti, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus:* conf. eadem de re SVETONIVS in *Vitell. cap.* 11. unde discimus, Imperatorem *die Alliensi* summum id Sacerdotium cepisse. SERVIVS quoque ad *Virgil. Aeneid. Lib. VII. vs.* 717. Gallos *decimo quinto Kalendarum Augustarum die* exercitum Romanorum delevisse, testatur. Vnus tantum videtur dissentire Auctor *de Vir. ill. cap.* 23. scribens, exercitum Romanum apud Alliam fluvium a Gallis Senonibus caesum, *die* XVI. *Kalend. Augusti:* ubi in *Notis ad istum locum* ANDR. SCHOTTVS et *Lib. III. Nodor. Ciceron. pag.* 347. observat, TACITVM *Lib. XV. Annal. cap.* 41. hunc diem Alliensis pugnae numerasse *quartum decimum Kalendas Augusti*; idem antè scripserat SCALIGER in *Libr. de Emend. temporum*, eo nomine notatus a LIPSIO in *Excursu citato ad hunc Taciti loc.* sed uterque *diem pugnae Alliensis* confudit cum *die Vrbis captae incensaeque* a Gallis tertio diè post pugnam; vid. quae *infr.* §. *sq.* mox disputabimus. At ill. SCALIGER quidem, errore deprehenso, in postrema aeterni operis editione istum TACITI locum praetermisit plane intactum: miror autem magis, SCHOTTVM Scriptori anonymo de *Vir. ill.* propterea lubentius voluisse assentiri, quod *pridie ejus diei*, nempe *postridie Idus Quinctiles*, pro felici ejus pugnae successu sacris fuisset operatum: ceu vero necesse sit, ut semper, pridie diei ante proelium, dimicandi gratia, res divina fuerit facta. Equidem nullus dubito, quin Auctor *de V. ill.* numeralibus notis corruptus, quo genere errorum nihil peccant frequentius Librarii; cum LIVIO scripserit *die* xv. *Kal. Aug.* ac sane haud difficulter unitatis nota ex sequentis literae K priore parte numero xv. adhaesisse censeri potest. Obiter hic vindicandus MACROBIVS, quem duplici taxavit nomine LIPSIVS in *Excurs. cit. ad Tacit.* primo, quod pro sua consuetudine *descripserit Gelliana*, tum etiam, quod *improvide* ac *falso* videatur asserere, *die postero*, quam Sulpicius male sacrificasset, pugnatum

 fuisse,

fuisse, atque adeo *ante diem* XVI. *Kal. Sext.* Alliensem accidisse cladem: ad prius quod attinet *descripsisse* Saturnalium Auctorem *Gelliana*, quamquam eodem crimine insimulatur ab HEINSIO *ad Ovid. Fast. Lib. I. vs.* 58. et IAC. GRONOVIO *ad Gell. Lib. V. c.* 17. omnis profecto culpae immunis est: uterque enim tam MACROBIVS, quam GELLIVS, alius alios Auctores sequuti vetustiores, quos nominatim diversos laudant, ille CN. GELLIVM et HEMINAM, hic vero VERRIVM, hujus rei historiam eodem prope modo ac sine ulla fere diversitate enarrarunt: quare non oportet, MACROBIVM propterea plagii reum arcessere. Quod autem *falso* etiam atque *improvide* idem Auctor visus est LIPSIO scripsisse, *postero die*, quam esset sacrificatum, cladem eam accidisse, atque adeo foede pugnatum *A. D.* XVI. *Kal. Sext.* id equidem contra, *falso* et *improvide* magnum Belgam asseruisse, contendo: fide enim antiquissimorum Annalium usus, verbis scripsit clarissimis: Q. Sulpicium *rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quinctiles: item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis post sacrificium, die postero celebratum, male cessisse conflictum:* nemo, opinor, probe oculatus, aliud hic videre poterit, nisi indefinite significari, post sacrificium, belli gerendi gratia *postero die*, seu *postridie Kalend. Non. Idusque* institutum, proximo deinde proelio rem male gestam esse; conf. *Verriana* apud GELLIVM *loc. cit.* imo, cum indefinite de proeliis quibusque, sacrificium, postero die sive Kalendarum, sive Nonarum, seu denique Iduum celebratum, sequutis hic agatur, neque necesse sit, ut continuo proximo die post, quam dimicandi gratia sacris sit operatum, pugna committatur, certus a GELLIO, HEMINA aut VERRIO dies cladis Alliensis definiri non potuit nec debuit. LIPSIVM dum GELLIANA ex MACROBIO describit, in errorem abduxit vel codex vitiosus, in quo τὸ *celebratum* perperam fuerat praetermissum, vel, quod vero est mihi similius, suo more V. D. hic etiam nimis confisus est memoria, qua delusus, insonti tribuit Scriptori atque innoxio culpam, quae ipsum redarguat.

§. 4.

§. 4.

Triduo post pugnam et cladem, ad Alliam flumen acceptam, Vrbs a Gallis capta est *A. D.* XIII. *Kalendas easdem Sextiles*; quo etiam de die accuratius disputabimus post LIPSIVM in *Excurs. A. ad Tacit. Annal. Lib. XV.* et SAM. PETITVM *Lib. II. Obs. cap.* 13. cujus tamen libellus haec scribenti non est ad manus. VERRIVS Sulpicium, memorat, rem divinam dimicandi gratia fecisse, *postridie Idus Quinctiles*; TVM *exercitum populi Romani occidione occisum*, *et* POST DIEM TERTIVM *ejus diei Vrbem*, *praeter Capitolium*, *captam esse*: quibus verbis arbitratur LIPSIVS, si haec insit sententia, ut velit, tres dies medios fuisse ac quarto demum die pugnatum, cum LIVIO eum sentire ac TACITO (quippe qui Vrbem captam incensamque statuant *postero post cladem die*) atque adeo pugnae diem esse reponendum *decimo quinto Kalendarum*: si vero quis aliter sentiat ac velit, *post diem tertium* significare *ipsum diem tertium*, tum se profecto fateri, diem pugnae fuisse XVI. *Kalendas.* Sed in uno hoc loco plus simplici vice LIPSIVM a veritatis tramite deflexisse longius, faciam, haud difficulter intelligas. Equidem enim vix crediderim, *post diem tertium* satis Latine dici de *die quarto*; sed semper, puto, significari *ipsum tertium diem:* atque adeo *post diem tertium ejus diei*, quo nimirum ad Alliam Romanorum exercitus occidione occisus est, omnino hic capiendum de *tertio die post:* quo eodem modo sensuque, ne alia exempla proferam, LIVIVS, *postridie Idus* non litasse, scribens, Sulpicium, ac *post diem tertium* objectum esse hosti exercitum Romanum, ad Alliam pugnatum significat *ipso die tertio* post postridie Idus. Quod deinde animadvertit LIPSIVS, cum LIVIO, qui *postero*, post acceptam cladem, die velit Romam captam esse, consentire VERRIVM, insignis hallucinatio est, uti mox et paullo inferius, ubi de Liviana sententia videbimus, manifesto patebit. Denique, tertio, observandum, perperam hunc VERRII locum cepisse virum doctum et interpretatum esse de *die pugnae Alliensis*, cum omnino exponendus sit de *die Vrbis captae;* imo verbis clarissimis dicitur: *post diem tertium ejus diei Vrbem* CAPTAM *esse;* nihil igitur de *die pugnae*, vel XV. vel XVI. *Kalend. Sext.* referendo, hic nobis fit obvium. Quod si jam verba illa *post diem tertium ejus diei* refe-

ras ad praecedentia *poſtridie Idus Quinctiles*, diem inauſpicati ſacrificii, expugnatae dies Vrbis erit ex VERRII quidem ſententia *A. D.* XV. *Kal. Sextiles*, quo eodem die, ſecundum aliorum omnium opinionem, ut ſupra vidimus, ad Alliam pugna fuit commiſſa. At enim vero, ne ita temere capias locum, vel ſola te monebit particula *tum*, qua hic non ſignificatur *eodem tempore* eodemque prorſus die, ſed indefinite *brevi poſt*, tribus nempe diebus, poſt ſacrificium, poſtridie Idus Quinctiles celebratum, exercitum populi Romani caeſum eſſe, *proximo* ſcilicet *proelio*, ut paullo infra hoc loco ſcribit ipſe VERRIVS. Quare igitur, cum Romam dicit captam *poſt diem tertium* EIVS *diei*, neceſſario id explicandum de die tertio poſt cladem Allienſem; quae cum accepta ſit *A. D.* XV. *Kal. Sextil.* neque VERRIVS iſtum pugnae diem potuerit ignorare, quippe cognitum in vulgus ac *Faſtis* inſcriptum, neque hac in re a communi omnium Annalium conſenſu ſolus videatur et tacitus disſidere, ſequitur omnino, expugnatae Vrbis diem repoſuiſſe VERRIVM *A. D.* XIII. *Kalend. Sextiles.*

Eundem probat calculum POLYBIVS loco inſigni *Lib. II. Hiſtor. cap.* 18. ubi de Gallorum expeditione ita ſcribit: μετὰ δέ τινα χρόνον μάχῃ νικήσαντες Ῥωμαίους —— ἑπόμενοι τοῖς φεύγουσι τρισὶ τῆς μάχης ἡμέραις ὕστερον κατέσχον αὐτὴν τὴν Ῥώμην, πλὴν τοῦ Καπιτωλίου· *verum aliquanto poſt, parta de Romanis victoria,* —— *per tres dies inſequuti fugientes, ipſam mox Romam praeter Capitolium ceperunt.* Sic interpretatus locum ſummus CASAVBONVS lectori, minus attento Graecis, at verſioni, ut ſaepe fieri ſolet, inhaerenti, non nihil difficultatis peperit aut ſuſpicionem praebuit erroris, ceu vero hac in re graviſſimus Auctor cum aliis diſſideat ac velit, Gallos poſt cladem Allienſem per tres dies perſequutos fuiſſe fugientes Romanos: cui ſane opinioni adverſantur plane LIVIVS et PLVTARCHVS, qui contra monent, Gallos, Romanis in fugam verſis, miraculo victoriae tam repentinae ſtupefactos, ſubſtitiſſe ac ſpolia legiſſe caeſorum: quin hic diſerte teſtatur, ſi poſt pugnam continuo Galli perſecuti fuiſſent Romanos fugientes, Romam mox funditus everſam fuiſſe omneſque, qui ibi remanſisſent, deletos; tanto enim pavore, qui Romam ex fuga ſe recepiſſent, civitatem miſcuiſſe. Omnis facile tolletur difficultas et controverſia, ſi

si distinctione posita post verbum Φεύγουσι, illa περὶ τῆς μάχης ἡμέραις ὕστερον cum sequentibus conjungamus, κατέσχον αὐτὴν τὴν Ῥώμην, ut Galli dicantur, sequuti fugientes Romanos, *tribus post pugnam diebus ipsam Romam cepisse:* atque adeo POLYBIVS cum aliis probe conspirat in die Vrbis occupatae *A. D.* XIII. *Kalend. Sext.* Caeterum duobus aliis locis idem POLYBIVS captae Vrbis mentionem injecit, die tamen non designato; quorum alteri, non possum, quin obiter aliquid lucis affundam eumque a crisi, ingeniosa quidem, sed, ut mihi videtur, incommoda vel minus necessaria, liberem: is autem locus est *Lib. I. Histor. cap.* 6. Γαλάται δὲ, inquit, κατὰ κράτος ἑλόντες αὐτὴν τὴν Ῥώμην κατεῖχον πλὴν τοῦ Καπιτωλίου· *Galli Romam ipsam per vim a se occupatam tenebant, Capitolio excepto:* sic reddit versio Casauboniana pariterque ita accepit SAM. PETITVS *Eclog. Chronolog. Lib. V. cap.* I. *pag.* 344. cum vero nullus tradiderit veterum, captam esse Vrbem *per vim*, sed contra LIVIVS testetur, Gallos sine ira, sine ardore animorum ingressos, patente Collina porta in forum pervenisse, cum tamen, eodem teste Patavino, Galli Vrbem diripuerint atque igni ferroque vastaverint, non minus quam si per vim cepissent, putat vir doctissimus, idem docere POLYBIVM, si rescribas: Γαλάται δὲ, καθὰ κράτος ἑλόντες etc. ut καθὰ κράτος idem sit, ac si scriptum foret, καθὰ κατὰ κράτος· *perinde ac si vi cepissent:* largior facile, fide omnium Historicorum, Gallos nemine resistente Vrbem invasisse, idemque aperte POLYBIVS testatum reliquit *Lib. II. cap.* 22. ubi de Gallis scribit: οὐ μόνον ἐνίκησαν μαχόμενοι Ῥωμαίους, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν μάχην ἐξ ἐφόδου κατέσχον αὐτὴν τὴν Ῥώμην· *non solum proelio Romanos vicerant, sed etiam a pugna Romam ipsam primo impetu occupaverant:* haud vero memor hujus locutionis formulae, alibi obviae, ubi καθὰ κράτος ponitur pro καθὰ κατὰ κράτος, difficulter PETITI crisin admittendam censeo; tum praesertim, quod alia ratione vulgatum κατὰ κράτος faciles habet explicatus: nempe κατὰ κράτος, dicit POLYBIVS Romam Gallos cepisse, non *per vim* aut *pugnando*, sed *maxima vi* et *impetu quodam ingressos*, κατὰ τὸ καρτερὸν, *quam maxime possent*: vel τὸ κατὰ κράτος jungen-

 dum

dum verbo κατεῖχοι, ut dicantur Galli *per vim* et *imperio tenuisse*: vel denique levi mutatione loco τοῦ κατὰ κράτος refingas μετὰ κράτος, *post victoriam*, tribus diebus ante reportatam: horum quid eligas potius, nihil intercedo; mihi praeplacet primum, ut κατὰ κράτος sit pro κατὰ τὸ καρτερόν.

Consentit quoque PLVTARCHVS in *Camillo Tom. I. pag.* 308. Τρίτῃ, scribit, δὲ ἀπὸ τῆς μάχης ἡμέρᾳ παρῆν ὁ Βρέννος ἄγων ἐπὶ τὴν πόλιν στράτευμα· καὶ πάσας πύλας εὑρὼν ἀνεῳγμένας —— εἰσελάσας διὰ τῆς Κολλίνης πύλης εἷλε τὴν Ῥώμην. Cum velit Chaeronensis, tertio demum die post pugnam Brennum, Gallorum ducem, exercitum ad Vrbem admovisse, in eo haud probe LIVIVM Auctorem consuluit, qui quippe eodem illo, quo pugnatum est, die, sub solis occasum, ad Vrbem pervenisse Gallos, testatur: sed nihil morabitur nos haec levis momenti discrepantia, si quidem in die captae Romae minime a communi sententia deflectit, *tertium diem* numerans a clade, ad Alliam accepta. Idem quoque PLVTARCHVS deinceps *pag.* 318. sed indefinite ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον τῶν Κυϊντιλίων Εἰδῶν· *paucis diebus post Idus Quinctiles*, Romam Gallos occupavisse, tradit, et per totos septem menses in sua potestate retinuisse, nam ejectos hostes περὶ τὰς Φεβρουαρίας Εἰδοῦς, *Idibus fere Februariis*: quare nimis definite SIGONIVS in *Commentar. ad Fast. an.* V. C. CCCLXIII. verba accepit PLVTARCHI, cum, eo teste, tradat, *Gallos, Idibus Quinctilibus Romam ingressos, Idibus Februarii expulsos esse.* Obiter quoque in transcursu hic monendum, in numero mensium, quot fuerit Capitolium a Gallis obsessum atque Vrbs retenta, cum PLVTARCHO conspirare quidem POLYBIVM *Lib. II. c.* 22. alios vero Auctores non nihil videri dissentire: etenim SERVIVS *ad Virgil. Aeneid. Lib. VIII. vs.* 652. *menses octo*; VARRO autem *de Vit. Pop. Rom.* apud NONIVM *pag.* 421. et FLORVS *Lib. I. c.* 13. §. 15. tantum *sex menses* numerant: verum PLVTARCHO, quia, addito utriusque mensis nomine, et quo Vrbem cepere Galli, et quo deinde expulsi sunt, Librariorum corruptelae minus fuit obnoxius, fidem potius adjungendam arbitror, quam aliis, quorum loca, superaddita vel detracta unitatis nota, in numeris haud difficulter potuerunt depravari:

nisi

nisi forte, quae mihi semper praeplacet sanandi ratio, studeas dissidentes hoc modo in concordiam redigere, ut in PLVTARCHI loco τὰ περὶ τὰς Φεβρουαρίας Εἰδοὺς exponas *paullo post Idus Februarias*, ante Kalendas tamen Martias: cui explicationi, cum alia, tum in primis favent, quod ipse Auctor, paucis post Idus Quinctiles diebus, occupasse Gallos Romam scribat, et μῆνας ἑπτὰ τοὺς πάντας *per integros septem menses* retinuisse, qui septimus mensis plenus esse non potuit, nisi aliquot diebus post Idus Februarii. SERVIVM vero, cum dicat, *octo integris mensibus* cuncta Gallos in Vrbe vastasse, intelligas, eum partes mensium primi ac postremi computasse pro solidis. Restat conciliandus VARRO, ita de pugna Alliensi scribens: *ut noster exercitus ita sit fugatus, ut Galli Romae Capitolii sint potiti: neque inde ante sex menses cesserint:* FREINSHEMIVS *ad Florum loc. cit.* vocem *Capitolii* putabat expungendam: SCHOTTO autem *Nodor. Ciceron. Lib. III. p.* 347. loco τοῦ *Romae* placebat legere *paene:* utrumque ego retinendum censeo ac sic legendum: *ut Galli Romae ac paene Capitolii sint potiti; neque inde ante sex menses cesserint.* Cum autem VARRO eumque sequutus FLORVS tantum *sex* numerant menses obsessi Capitolii, plena non tantum intellexisse videntur mensium spatia, sed numero etiam usi rotundo, deductis de summa mensium partibus primi et postremi, Quinctilis puta, quo Vrbs capta, ac Februarii, quando Camilli Dictatoris virtute Galli expulsi sunt.

Jam, quid LIVIVS de die Vrbis captae sentiat, cognoscamus. Is cum pugnae diem definiat XV. *Kal. Sext.* et praecedente libro Gallos *postero die* Romam, patente porta Collina, affirmasset ingressos esse, existimavit LIPSIVS, ipsum cum TACITO captae incensaeque Romae diem retulisse in *A. D.* XIV. *earumdem Kalendarum.* Sed et hic rursum incomparabilis Belga, haud satis attentus, apertum latus errori praebuit: LIVIVS enim, postea quam ingentem Romanorum stragem exposuisset, ad Alliam flumen factam, *Lib. V. cap.* 38. mox *cap. sq.* tradit, Gallos, miraculo victoriae tam repentinae obstupefactos, primum pavore defixos stetisse ac veluti ignaros, quid accidisset: deinde insidias veritos, ac tandem legisse spolia caesorum: tum demum viam ingressos, *haud multo ante solis occasum pervenisse ad Vrbem* ——

ibi *noctem* veriti et ignotae situm Vrbis, Romam inter atque Anienem consedisse —— Romanos, post quam hostes adesse, nunciatum sit, omne tempus suspensos tenuisse *ad lucem alteram* —— nequaquam tamen *ea nocte*, neque *insequenti die*, similem illi, quae ad Alliam tam pavide fugisset, civitatem fuisse: ac denique, commemoratis iis, quae sequenti isto die, post Gallorum accessum ad Romam, ad defendendum Capitolium sint comparata, tandem *cap.* 41. pergit: Gallos *postero die* Vrbem ingressos. Qua ex rerum gestarum serie, tum verbis clarissimis, non potest non maxime manifestum fieri, *postero die* ex mente LIVII haud esse exponendum de postridie diei pugnae, quo ipso sub solis occasum ad Romam venerunt Galli, sed omnino *posterum diem* esse intelligendum, de eo, qui intermedium sequutus diem est. Atque adeo apparet, ex LIVII etiam sententia Romam a Gallis esse occupatam *post diem tertium*, quo ad Alliam foede pugnatum est *A. D.* itaque XIII. *Kalendas Sextiles.* Caeterum, quod minime est dissimulandum, aliquid difficultatis superest, ubi haerere quis possit incautus; verba nempe, quae LIPSIO forsitan fraudi fuerunt, haec legimus *cap.* 41. §. 4. *Et quia interposita* NOCTE *a contentione pugnae remiserant animos, et quod nec in acie ancipiti usquam certaverant proelio, nec tum impetu aut vi capiebant Vrbem, sine ira, sine ardore animorum ingressi postero die Vrbem etc.* Vnde colligas forte, Gallos, *una* tantum *nocte* interposita, mox die sequenti Romam occupasse: cum vero ex ipsa rerum serie modo expositarum palam constet, integrum diem pugnam inter Alliensem captamque Romam intercessisse, a contentione vacuum, tertioque demum die post cladem acceptam Vrbem ingressos esse Gallos, haud mihi quidem fit vero simile, LIVIUM uno eodemque loco tam sibi invicem contraria scripsisse ac repugnantia: unde non levis suspicio, vel Scribarum culpa non nihil excidisse, vel unam vocem loco alterius inepte repositam, legendumque: *interposita nocte et die*; aut, quia sic nondum omnis eximitur scrupulus, cum, non una, sed duae fuerint noctes interpositae, neque adeo necesse sit, Lectorem moneri, *per noctem* Gallos a contentione pugnae animos remisisse, ita potius corrigo: *interposito die:* ac sane videri possunt veteres Librarii offendisse ad illa verba: *postero die ingressi Vrbem*, rati *diem posterum* eum significari, qui pugnam proxime sequutus esset quoque et Galli ad Romam pervenissent;

nissent; atque adeo persuasi, nullum hic intermedium diem, pugnam inter captamque Vrbem, sed unam modo noctem, posse locum habere, *die* in *noctem* mutato, vitiosam nobis procurasse videntur per cunctos deinceps codices propagatam lectionem, quae hodie omnes occupat omnino editiones. Vt autem nihil supersit dubii, quin statuas mecum, *diem posterum* hoc LIVII loco, non de *postero die cladis* esse accipiendum, ut voluit LIPSIVS, sed, ex mente Auctoris, *tertio* demum post pugnam Alliensem die, seu XIII. *Kal. Sext.* Senones Vrbem occupasse, animadvertas velim, non tantum PLVTARCHVM loco supra laudato, sed et alios, qui LIVIVM, ut apparet, sequuntur auctorem, pariter *tertium* diem post proelium numerare. Sic SERVIVS *ad Virgil. Aeneid. Lib. VII. vs.* 717. scribit, *decimo quinto Kalend. August. die, deleto exercitu, Gallos post triduum etiam Vrbem delevisse:* quocum conferendus est alter ejusdem Grammatici locus *ad Lib. VIII. vs.* 652. ubi Gallos, dicit, post quam venissent ad Vrbem, *alia die*, id est, sequenti seu postera, insidias timentes, cunctatos esse. Denique etiam ZONARAS *Annal. L. VII. p.* 356. quamvis a LIVIO diversus abeat in eo, quod non ipso die pugnae sub occasum solis, uti hic, sed postridie ejus diei ad Romam Gallos accessisse tradat, caeterum cum aliis probe consentit, affirmans, veritos insidias uno die substitisse ac tertio demum die post pugnam ingressos. Ex quibus cunctis, hactenus productis, veterum Scriptorum testimoniis, manifestum est, Vrbem triduo post pugnam Alliensem *A. D.* XIII. *Kalend. Sext.* ab Gallis captam esse.

Vnus a reliquis omnibus dissentire videtur TACITUS *Lib. XV. Annal. cap.* 41. ubi, de incendio urbis Romae agens, quod sub Nerone accidit, fuisse memorat, qui annotaverint, ejus principium incendii ortum esse *A. D.* XIV. *Kalendas Sextiles*, *quo die et Senones captam Vrbem inflammaverint.* Sed neque SVETONVS in *Nerone cap.* 38. neque DIO CASSIVS *Lib. LXII. pag.* 1014. ubi de eodem hoc agitur incendio, neuter eorum principium ejus diemque designarunt; hic tantum, isto incendio quemque recordatum, ait, ita pariter quondam a Gallis maximam partem Vrbis flammis periisse; atque iterum post paullo, quo ad vim ignis, utrumque illud incendium comparat. Denique et nulla sit mentio diei, quo incendium illud Neronianum exortum sit, in *Inscriptione Mazochiana* apud GRVTERVM *pag. LXI. n.* 3. quam, licet saepius a

VV. DD. adductam multisque illustratam, nullus dubito cum ill. Marchione MAFFEIO in *Art. Crit. Lapid. Lib. III. cap.* 4. *col.* 281. spuriam plane falsamque pronunciare, ut pluribus alio loco docebimus. Quod si autem ipsa TACITI verba attentius consideremus, non quidem ipse quidquam certi hac in re videtur affirmare voluisse, sed potius, velut commenta hominum nimis curiosorum, hoc et, quae mox sequuntur, referre, alios memorans, *eo usque cura* (id est *curiositate*, ni forte ita reponendum) *progressos, ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent.* Quare ego sic censeo, vel corruptas esse numerorum notas, aut forte, cum re vera Neronianum id incendium esset ortum *A. D.* XIV. *Kal. Sextil.* cumque dies captae Vrbis a Gallis, teste CICERONE, jam in vulgus ignoraretur, id velle nobis significare TACITVM, quosdam Auctores, quo magis mirus esset iste dierum utriusque incendii concursus, hos dies ita commisisse: ut adeo gravissimo Annalium Scriptori, ex aliorum commentis hominum haec referenti, nihil temere imputes culpae, ubi nihil commeruit; quo etiam referas velim, verborum, qua utitur, structuram, quando dicit: *quo die et Senones captam Vrbem inflammaverint:* sic enim pro vulgato *inflammaverant* legendum omnino ex *editione principe Spirensi;* a qua lectione non alienum se profitetur celeberr. ERNESTIVS in *Not. ad h. l.*

§. 5.

Postremo quaerendum restat, an eodem quondam die ad Cremeram Fabii caesi, quo postea ad Alliam flumen XV. *Kalend. Sextil.* Romanorum exercitus fatali clade affectus sit: LIVIVS, nulla circuitione usus, utramque pugnam eidem assignat diei: *diem A. D.* XV. *Kal. Sextil. duplici clade insignem*, scribit, *quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio Vrbis foede pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt.* Idem quoque non modo PLVTARCHVS, auctoritatem sequutus LIVII, in *Camillo Tom. I. pag.* 304. verum et TACITVS aperte testatus est *Lib. II. Hist. cap.* 91. diem *A. D.* XV. *Kal. August.* dicens *infaustum Cremerensi Alliensique cladibus.* Solus, sed is diligentissimus Fastorum sacrorum Auctor, OVIDIVS *Lib. II. vs.* 193. *sqq.* in alia discessit

cessit omnia, *ipsis Idibus Februariis* Fabiorum caedem ad Cremeram adscribens, his verbis:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.
Haec fuit illa dies, in qua Vejentibus arvis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.

Vnde et in vetustis *Fastis*, qui vulgo *Ovidianis* praeponuntur, ex his compositis, ad ipsas Idus Februarii notatur: *nefastus dies Fabiorum*, seu, ut in GRAEVII codice, cujus variantes lectiones edidit. vir. cl. in *Praefat. Tom. VIII. Thes. Antiq.* legitur; *obitus Fabiorum dies nefastus.* Recentiores autem plerique, imo omnes, quos vidi, Interpretes, plurium testimoniis Scriptorum, ut putabant, adducti, dum LIVIO accedunt potius, NASONI, quod quinque aberraverit mensium προχρονισμῷ, gravem scripsere dicam: quos inter ill. SCALIGER de *Emend. Temp. pag.* 415. et NEAPOLIS in *Anaptyx. ad Ovid. Fast. loc. cit.* ne alios nunc commemorem ejusdem criminis subscriptores. Verum tamen, si accuratius, quam vulgo fieri solet, ipsa rerum argumenta examinemus, equidem fateor, nondum me videre, quare necesse sit, ut, iniquo diu oppressus judicio, optimus et Fastorum peritissimus Auctor caussa cadat. Duo sunt duntaxat hac in re testes, quos diversam sequutos sententiam sibi invicem opponamus, LIVIVM atque OVIDIVM: nam, quod TACITVS etiam eundem esse ratus est diem Cremerensis Alliensisque pugnae, et PLVTARCHVS eodem die ad Alliam, quo ante ad Cremeram, pugnatum testatur, id unius fide LIVII ab iis traditum, arbitror, non quod ipsi aliunde id compertum habuerint. Vter vero hac in re testis erit fide dignior, OVIDIVS, qui ex professo Fastos Romanorum sacros ordinavit, an vero LIVIVS, qui tantum obiter et occasione cladis Alliensis, Cremerensis pugnae dieique injecit mentionem? ipsa postulat aequitas, ut secundum illum pronunciemus, si vel maxime res esset obscura, neque aliunde certiora probandi argumenta suppeterent: nunc vero, cum alia sint in promtu indubitata argumentorum pondera, quae caussam OVIDII non favorabiliorem modo et multo reddant vero similiorem, sed omnem dubitandi ansam praecidant quoque, non pro-

profecto est ferendum, elegantissimum Poëtam diutius succumbere injusto taciturnitatis judicio. Pro OVIDII caussa facit in primis ipsa rerum gestarum series; unde plerumque certiora produci posse existimo temporum indicia, quam ex ipsa, verbis Scriptorum expressa, Chronologia. Tradit DIONYSIVS *Lib. IX. pag.* 572. anno v. c. CCLXXV. cum in Senatu esset actum de bello adversus Vejentes gerendo placitumque, praesidiariorum agmen perpetuo in finibus excubiturum —— huic sese rei Fabios obtulisse gentiles —— qui (*pag. sq.*) prope Cremeram castello communito, inde agrum hostilem infestare soliti essent: *pag.* 574. anno insequenti, Aemilio et Servilio Coss. contra Volscos Aequosque bellum gestum totamque Etruriam, Vejentibus suppetias ferentem —— *pag.* 576. sub finem ejus anni pacem cum Vejentibus initam foedusque percussum —— Anno autem CCLXXVII. ineunte, quo minus Consules novi C. Horatius et T. Menenius rem gererent, civili tumultu prohibitos, irritata plebe nihilque postulante aliud, quam publicum dividi agrum: quibus demum motibus compositis (*pag.* 577.) Vejentes, ab aliis coactos impulsosque Etruscis, misisse Legatos, questum de castello Cremerensi, contra se munito. —— Qua re Romae ex Fabiorum literis intellecta, utrumque Consulem ad bellum proficisci jussum. Horatio autem in Volscos jam profecto, dum Menenius, in Etruriam iturus, cunctantius se parat, interea Cremeram expugnatam gentemque Fabiorum deletam esse ——. Duplicem deinde exponit DIONYSIVS hujus cladis opinionem veterum: alteram, cum instaret solemne Fabiorum gentis sacrificium, Romae in colle Quirinali peragendum, illuc temere incauteque profectos Fabios in itinere insidiis circumventos impeditosque ad unum omnes occisos. Alteram refert *pag.* 578. eamque propius veritati arbitratur: nempe, cum Fabii, prospero rerum eventu elati, longius in dies praedatum excurrerent, Etruscos per noctem opportunis locis insidias posuisse ac sequenti die, cum Fabii pro more in greges, de industria cum paucorum praesidio armatorum emissos, impetum fecissent, hostes interea, undique ex insidiis prosilientes, dispersos palantesque praedatores oppressisse —— *pag.* 581. pergit: Etruscos, post Fabiorum cladem captamque inde Cremeram, adversus Menenium movisse, —— eumque aggressos, expugnatis etiam castris, devicisse ——; sequenti die Vrbem versus duxisse exer-

exercitum ac ſedecim inde ſtadia monte occupato Janiculo, ex caſtris erumpentes quotidie praedas egiſſe in agro Romano: donec (*pag.* 583.) alter Conſul Horatius cum exercitu ex Volscis adventaret. Tum demum Romanos, eductis quoque militibus Vrbe, poſtea quam ſemel atque iterum cum Etruſcis dimicatum eſſet, a timore tandem vacuos reſpiraſſe: *ſimulque*, addit Scriptor temporum obſervantiſſimus, *is annus exiit. Sequenti anno circa Solſtitium aeſtivale, menſe Sextili, Conſulatum inierunt Sp. Servilius, A. Virginius.* Haec DIONYSIVS, unde paullo plura deſcripſi eo conſilio, ut Liviana cum iis comparare inſtituam. Hic autem, ut ſolet in libris prioribus, compendioſius Hiſtoriam rei Romanae perſequutus, minus accurate temporum momenta obſervavit aut diſtinxit ſatis *Lib. II. cap.* 48. *ſq.* In hoc quidem cum DIONYSIO conſpirat Patavinus, quod iisdem Conſulibus, quibus ille, Fabios domo Cremeram profectos ibique praeſidium communiiſſe, referat —— L. Aemilium inde et C. Servilium Conſules factos: cujus geſta anni et pacem, cum Vejentibus initam, breviter exponit, ac mox *cap.* 50. ita pergit: *Rurſus cum Fabiis erat Vejenti populo, ſine ullo majoris belli apparatu, certamen: nec erant incurſiones modo in agros aut ſubiti impetus incurſantium, ſed aliquoties aequo campo collatiſque ſignis certatum; gensque una populi Romani ſaepe ex opulentiſſima, ut tum res erant, Etruſca civitate victoriam tulit: id primo acerbum indignumque Vejentibus viſum: inde conſilium ex re natum, ferocem hoſtem captandi, gaudere etiam, multo ſucceſſu Fabiis audaciam creſcere. Itaque* etc. ubi hoſtium inſidias, pugnam et Fabiorum cladem enarrat; et *cap.* tandem *ſq.* 51. *Quum*, inquit, *haec accepta clades eſſet, jam C. Horatius et T. Menenius Conſules erant: Menenius adverſus Tuſcos, victoria elatos, confeſtim miſſus: tum quoque male pugnatum eſt et Janiculum hoſtes occupavere obſeſſaque Vrbs foret —— ni Horatius Conſul ex Volſcis eſſet revocatus: adeoque id bellum ipſis inſtitit moenibus, ut primo pugnatum ad Spei ſit aequo Marte, iterum ad portam Collinam. Ibi quamquam parvo momento ſuperior Romana res fuit, meliorem tamen militem, recepto priſtino animo, in futura proelia id certamen fecit. A. Virginius et Sp. Servilius Conſules fiunt.* Singula non perſequar operoſius; vel ex ipſa comparatione Livianae narrationis cum DIONYSII Hiſtoria, facili patebit negotio, illum haud rite ſatis cuncta ſuis digeſta temporibus propoſuiſ-

ſe: quae enim toto *cap.* 50. tradit, ita fere cuncta ſunt relata, tanquam anno jam ſuperiore accidiſſent, Conſulibus L. Aemilio C. Servilio; cum geſta ſint anno demum ſequenti, ut ex DIONYSIO patet: quin ipſe LIVIVS, niſi, ab omni ratione Chronologiae alienus, unius anni geſta peſſime dicatur diſtraxiſſe, id ſubmonuiſſe videtur, ſcribens, uti ego legendum puto, *quum baec accepta clades eſt* (pro *eſſet*) *jam C. Horatius et T. Menenius Conſules erant:* ita ſi accipias LIVIVM, quodam ſaltem modo uterque Scriptor ſecum redigetur in concordiam, alioquin in diverſa nimis abeuntes. Aut forte Conſulum nomina ex marginali gloſſemate intruſa ſunt, et LIVIVS tantum modo ſcripſit: *quum baec accepta clades eſſet, Menenius adverſus Tuſcos, victoria elatos, confeſtim miſſus.*

Jam videamus, quid nobis praeſidii ex memorato rerum geſtarum ordine poſſit pro OVIDIO depromi. De Conſulibus, ſub quibus Cremerenſis clades accidit, res eſt certiſſima; fuerunt illi *C. Horatius* et *T. Menenius:* at quo anni menſe honorem illi ſunt auſpicati? an Kalendis Sextilibus? id enim fere colligas ex anni inſequentis Conſulibus, quos DIONYSIVS *menſe Sextili* iniiſſe Magiſtratum teſtatur: idemque LIVIVS videtur aſſerere *Lib. III. cap. 6.* ubi de anno v. c. ccxc. *creati,* inquit, *Conſules L. Aebutius P. Servilius, Kalendis Sextilibus, ut* TVNC *principium anni agebatur, Conſulatum ineunt.* DIONYSIVS autem, licet indefinite dicat: περὶ τὰς Θερινὰς μάλιστα Τροπὰς, Σεξτιλίου μηνὸς· *circa Solſtitium aeſtivale, menſe Sextili,* cum vel *Kalendis* vel *Idibus* Conſules ſolemniter Magiſtratum inirent, *Kalendas* potius *Sextiles,* quippe Solis converſioni, VIII. *Kal. Quinctil.* propiores, quam *Idus Sextiles,* videtur intellexiſſe: atque ita pulcre cum eo conſpirabit LIVIVS, qui cum ſcribit, an. v. c. ccxc. Conſules Kalendis Sextilibus iniiſſe, *ut* TVNC *principium anni agebatur,* minime eſt accipiendus, ceu velit, iſto primum anno coepiſſe morem, ut Kalendae Sextiles ſolemnis eſſent dies auſpicandi Conſulatus, ſed *tunc,* id eſt iis circiter temporibus. DIONYSIVS vero, diligens temporum obſervator, haud obſcure ſignificat, an. v. c. CCLXXVIII. jam iſtum coepiſſe morem: quare nulla prorſus eſt cauſſa, quare cum GLAREANO hunc locum pro minus ſano habeas, aut cum SYLBVRGIO emendes: περὶ τὰς χειμε-

ρίου μάλιστα Τροπάς, Δεκεμβρίου μηνός· quae certe mutatio, praeter ullam necessitatem instituta, nimium est audax, uti recte censuit PORTVS, quocum potius corrigendum existimo μετά, pro περί· Kalendae namque Sextiles longius sunt a Solstitio remotae, quam, ut iis praepositione περὶ comittantur; conf. quae *supr. pag.* 189. dixi ad PLVTARCHI locum. Jam vero si anni praecedentis, quo Fabii sunt caesi, Consules, Horatius et Menenius deposuerint Magistratum *Kalendis ipsis Sextilibus,* haud sane spatium est satis amplum et copiae rerum gestarum capax, inter cladem Fabiorum, xv. *Kalendas* ejusdem mensis proximas, atque exitum Consulatus, ut intra dies quindecim, post cladem acceptam Cremeramque expugnatam, his rebus Romae compertis, et Menenius Consul adversus Tuscos mitti cum iisque manum conserere, hostes Vrbem propius accedere, ibique Janiculum occupare, quotidie, excursionibus inde factis, praedas agere, alterum Consulem Horatium e Volscis domum revocari, ac denique semel iterumque sub ipsis moenibus Vrbis proelium committi potuerint: quibus demum rebus post cladem Fabiorum confectis, exitu anni prius, quam novi inirent Consules, significat etiam non obscure DIONYSIVS, rem publicam fuisse tranquillam. Quae cuncta si recte consideres, vix est, ut intra quindecim dies gesta dixeris, sed facile mecum assignaveris spatium quinque mensium, adeoque Fabios ad Cremeram caesos videri mense Februario. Huic argumento, ex rerum serie petito, duo adjungam alia: prius est, quod DIONYSIVS, ex quorundam opinione referens caussam cladis Cremerensis, Fabios narrat, cum instaret solemne gentis sacrificium, temere atque inarmatos Romam profectos, in itinere a Vejentibus oppressos esse: quamvis vero hanc sententiam rejiciat alteramque longe vero similiorem amplectatur, quam et LIVIVS atque OVIDIVS sequuti sunt, festus tamen ille dies Fabiae gentis quodam modo debuit cum die concurrere, quo vastissima illa clades ad Cremeram accidit, ut inde Scriptoribus non nullis haec fingendi fuerit occasio: jam vero istum diem solemnitatis Fabiorum a die xv. Kal. Sext. longissime remotum fuisse, ex ipso LIVIO poterit doceri, ubi *Lib. V. cap.* 46. memorat, C. Fabium Dorsonem, dum Capitolium a Gallis obsideretur, ut sacrificium id anniversarium in colle Quirinali celebraret, domestica sacra manibus

gestan-

geſtantem, deſcendiſſe perque medias hoſtium ſtationes egreſſum, in collem Quirinalem perveniſſe, ibique ſacris ſolemniter peractis, eadem via in Capitolium ad ſuos reverſum: cum autem Capitolium per ſeptem, ut jam vidimus, circiter menſes ſuerit a Gallis obſeſſum, inde a die XIII. Kalend. Sext. usque ad Idus fere Februarias, περὶ τὰς Φεβρουαρίας Εἰδοῦς, ut PLVTARCHVS habet, id eſt *paullo poſt Idus Febr.* ut ſupra *pag.* 195. expoſuimus; cumque memorabile iſtud Dorſonis facinus, langueſcente jam obſidione videatur patratum, uti ex rerum ſerie colligas apud LIVIVM et PLVTARCHVM, non modo is ſtatus ſacrificii dies abeſt longius a die XV. Kalend. Sextiles, quo nondum Capitolium obſideri coeperat, ſed proxime, imo vel ipſo menſe Februario reponendus erit, forte poſtridie vel Kalendarum vel Nonarum. Alterum denique argumentum nobis ſuppeditat DIONYSIVS *pag.* 583. ubi, inito Conſulatu a Sp. Servilio et A. Virginio poſt Solſtitium aeſtivale Kalendis Sextilibus, ſcribit, intermiſſo bello, utile viſum fuiſſe, curam ad res domeſticas conferri, *nam proxima hieme deſertum incultumque fuiſſe agrum Romanum propter occupatum montem vicinum et continuas inde hoſtium excurſiones.* Ex quibus egregie illuſtrantur, quae ſuperius conjectura aſſequuti ſumus, nimirum, poſt cladem Fabiorum, prius quam novi Conſules Magiſtratum auſpicarentur, circiter quinque praeterfluxiſſe menſes; ut adeo ſit vero ſimillimum, cladem iſtam menſe Februario, haud ita multo poſt ſtatum Fabiae genti ſolemne ſacrificium, accidiſſe. Cumque Fabiorum caedes ab OVIDIO referatur *ipſis Idibus Februarii*, ejusque cladis diei cauſſa et religio repetita quoque ſit ex infauſto ſacrificio, ante id proelium proxime, et quidem poſtero die celebrato, vid. HEMINA et GELLIVS apud MACROBIVM *loc. ſupr. cit.* §. I. *pag.* 168. facili conjectura adducor, ut credam, illud Fabiae gentis ſolemne *poſtridie* vel *Kalendas* vel *Nonas* Februarii fuiſſe celebratum.

Accedamus paullo propius, ut, ſi fieri poſſit, fontem Liviani erroris indagemus. Referunt HEMINA et GELLIVS, L. Atilium in Senatu dixiſſe, Q. Sulpicium, adverſum Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia feciſſe *poſtridie Idus Quinctiles:* itemque apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis, poſt ſacrificium, *die poſtero* celebratum, male ceſſiſſe conflictum. Quae forte verba cum legiſſet LIVIVS,

LIVIVS, ubi tantum modo concursus infaustorum dierum, velut caussa cladium notabatur, quibus postridie Kalendarum, Nonarum vel Iduum inauspicato sacrificium esset factum, undeque Haruspex caussam cladis, proximo inde proelio acceptae, fuisset interpretatus, putavit, eandem quoque convenientiam indicari dierum infelicium, quibus et ad Cremeram et post ad Alliam foede esset pugnatum: eoque factum est errore, ut falso atque inprovide scripserit, *A. D.* xv. *Kal. Sext. duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio Vrbis foede pugnatum, a posteriori clade Alliensem Romanis appellatum fuisse ac pro religioso habitum.* Caeterum tanto magis creditum vulgo recentioribus Interpretibus, eodem prorsus mense dieque, *A. D.* xv. *Kal. Sext.* utramque accidisse cladem, quod fere ubique Scriptores vetusti pugnam Cremerensem Alliensemque conjungere amant, quippe utramque fatalem prope ac rei publicae exitiosam: quo praeter alia etiam posset referri locus FLORI *Lib. I. cap.* 13. §. 7. ubi haec verba: *conversis igitur* (Gallis) *a Clusio Romamque venientibus ad Alliam flumen cum exercitu Fabius Consul occurrit. Non* TEMERE *foedior clades. Itaque hunc diem Fastis Roma damnavit.* Non omnino culpanda est quarundam vetustarum editionum lectio, *non* CREMERAE *foedior clades*; cujus τὸ ἄχρηστον frustra arguere conatus est SALMASIVS nullumque existimavit hic locum habere *Cremeram*, si quidem cladis Cremerensis Alliensisque haud rite institueretur comparatio, cum hic multa hominum millia sint caesi, illic vero perierint tantum trecenti: at contra pro lectione *Cremerae* plurimum sane facit, quod utroque in loco, tam ad Cremeram, quam ad Alliam, cum exitio paene Vrbis pugnatum fuit, neque solum Fabii illic ceciderunt trecenti, ut arbitratur vir magnus, sed quinque insuper millia ex eorum clientibus; tum in primis, quod mox etiam, post cladem Cremerensem, tanquam hoc malum ex illo, Menenii Consulis exercitu fuso fugatoque, ipsa Vrbs, parum absfuit, quin occuparetur: satis igitur apta utriusque cladis est comparatio. Addit cl. DVKERVS, τὸ *Cremerae* etiam *hoc loc.* posse quodam modo confirmari ex OROSIO, qui, cum et alibi ipsa FLORI verba habeat, de clade Alliensi scripserit *Lib. II. c.* 19. *testatur hanc Fabii cladem fluvius Allia, sicut Cremera Fabiorum:* sed, ut ingenue fatear, nihil prorsus video, quod OROSIVS ex FLORI *Epitome*

huc transposuerit: non enim ille adeo clades inter se confert, quam quidem monere nos voluit de infelicitate gentis Fabiae in utroque hoc funesto proelio. Si quem forte offendat τὸ *Cremerae* ac putet *Cremerae clades* non Latine satis dici pro *clade Cremerensi* vel *ad Cremeram*, hunc jubeo, desinat esse sollicitus, dictio enim est poëtica, quales FLORVS habuit in deliciis: sic enim et IVVENALIS *Satyr. II. vs.* 55.

Quid Cremerae legio et Cannis consumta juventus.

et SIDONIVS *Carm. IX. vs.* 239. *sqq.*

Tantum dans lacrymas suis Philippis,
Vt credat Cremerae levem ruinam,
Infra et censeat Alliam dolendam.

Haec pro lectione quorundam veterum librorum dicta sunto: caeterum mihi praeplacet codicum manu exaratorum scriptura nunc vulgo recepta: *non temere foedior clades;* quo eodem modo et alibi idem FLORVS adverbio *temere*, gradui comparationis juncto, usus est eleganter, ut *hoc Lib. cap.* 18. §. 26. *nec enim temere ullus pulcrior triumphus*, et *Lib. II. cap.* 18. §. 3. *non temere ullius caussa belli injustior.*

Denique observandum, ex eodem quoque fonte erroris repetendum, quod LIVIVS ex eoque PLVTARCHVS scripsere, diem pugnae ad Cremeram ex posteriore clade, ad Alliam accepta, et ipsum *Alliensem* esse appellatum: equidem putavi aliquando, quem ad modum postridie omnes Kalendas, Nonas Idusque ab inauspicato sacrificio, postridie Idus Quinctiles peracto, religiosi dies fuerunt facti, sic pariter quoscumque dies atros et insigni clade notatos ab uno isto, quo ad Alliam est pugnatum, die dictos vulgo esse *Allienses*: qua in opinione alios plures video mecum consentire: at vid. quae infra *Cap. sq.* ad locum FESTI disputabimus: caeterum cladis diem Cremerensis nomine dici *Alliensis* alicubi obvium fuisse LIVIO, haud magis crediderim, quam diem acceptae cladis ad Cannas eadem posse insigniri appellatione; qui dies *Cannensis* recte nominatur a loco pugnae, uti et diem *Actiacum* et *Pharsalicum* apte satis appellare quimus; ut LVCANVS *Lib. V. vs.* 391. annum

num vocat *Pharsalicum*, quo in campis Pharsalicis proelium commissum est et de summa imperii concertatum.

Tandem ad OVIDII redeo locum, cujus non inviti caussam contra LIVIVM aliosque satis, ut spero ac confido, feliciter atque ex voto supra egimus, ejusque, licet unius, sed classici testis, sed peritissimi Fastorum conditoris, fide ac testimonio standum esse, probavimus: nihil restat amplius, nisi ut unum hoc conciliemus, nempe, cum dies cladis Cremerensis fuerit ater et religiosus, ut DIONYSIVS et DIO CASSIVS *supr.* §. 2. *pr.* a nobis citati, verbis expressis contestantur, quo tandem modo possit Poëta, hoc loco diem pugnae ad Cremeram describens, affirmare, eundem simul sacrum atque agresti Fauno dedicatum fuisse, cum quidem ea potissimum atrorum dierum haberetur religio, ut rei divinae prorsus supersederetur nullumque iis diebus rite sacrificium fieri posset? An priorem ejus diei partem dicemus Fauno sacram festamque fuisse, posteriorem autem religiosam atque infamem clade Fabiorum, eoque pertinere, quod in *Tabula Fastorum Maffejana* is dies, Idus Februarii, notetur *NP. nefastus*, seu festus, *priore parte:* sed obstat, quod nulli, quantum sciam, Romanis ejus modi fuere dies observati, qui partim Diis dicati partim religiosi habebantur: nisi forte huc referas diem, in *Fastis* notatum his literis *Q. ST. D. F.* qui fuit mane religiosus quodam modo, donec stercus ex aede Vestae erat delatum; caeterum omnes ita notati dies in Fastis *NP.* nulli erant religiosi, sed priore parte habebantur nefasti, sacrorum sacrificiorumque caussa, parte autem posteriore fasti erant et lege apud Praetorem licebat agi; conf. quae infra de utroque dierum genere disputabimus. Quod vero ad diem Cremerensem, sic existimo, hunc aliosque omnes dies, quibus clades aliqua accidit, vulgi quidem religione et quodam populi consensu pro inauspicatis habitos esse et atris, minime tamen decreto Pontificum, penes quos olim hac de re arbitrium et jus, religiosos fuisse judicatos; nihilque adeo obstitisse, quo posset minus iis diebus populus sacris operari et ferias agere, aut, si fasti essent, judicio experiri: nullos enim, praeter triginta sex dies postridianos, id est ternos singulis mensibus, vere religiosos fuisse, arbitror, ita decreto Pontificum judicatos, quod

quod ſaepius eſſet obſervatum, quoties poſtridie, vel Kalendas vel Nonas vel Idus, belli gerendi cauſſa res divina facta fuiſſet, proximo deinde proelio male ceſſiſſe conflictum, idque aperte teſtantur laudati ſupra veteres Annalium Scriptores GELLIVS, HEMINA, VERRIVS; conf. quae *cap. ſq.* plura hanc in rem ad locum FESTI dicemus.

CAPVT

CAPVT SEXTVM,

Continens

Animadversiones Literarias de diebus atris, & religiosis.

§. I. **V**ox *Ater* origine graeca. Alia simllis formae. *Prosper* a προσπορος. Νεκρὸς peperit Latinorum *Niger*. Ab ἄω simplici, ἄτω, & ἀλάω, quid proprie? Ἄται morbi, qui paludum exhalatione gignuntur. Odor *ater*, fax *atra*, lumen *atrum*. SERVIUS notatur. Ἄλη Dea, vna de Furiis. Erinnyes *atrae*. OVIDII vetus lectio servata. §. 2. Laeta colore albo, ominosa atro carbone notare multis gentibus vsitatum. *Horatii* locus, eiusque Scholiastae explicatur, & illustratur. Infausti dies proprie, & cur *atri*? Eximius de die atro JOBI locus. Lux interdiu obscurata, inter prodigia habita. OVIDIUS explicatus. *Atri* dies & *religiosi* quomodo discrepent. §. 3. *Religiosi* etymon vnde repetendum? CICERO contra LACTANTIUM, aliosque defenditur. Itidem MASSURIUS, ICtus. Vera vocis origio vnde repetenda. AUGUSTINI locus exponitur contra *Vossium*. NIGIDII caussa contra GELLIUM agitur. Adiuncta in *osus* desinentia maximam plerumque denotant copiam, & in vitium vertuntur. §. 4. FESTI locus in voc. *religiosus*, pluribus sub examen vocatur, explicatur, & tentatur. SERVIUS corrigitur. Iudex *religiosus*. *religiosus* pro *superstitioso*. Duo CICERONIS loca in concordiam redacta. *Religiosum* et *Sacrum* differunt proprie. *Alius*, *Allius*, *Ailius* & *Aelius* confunduntur a librariis. CHARISII locus explicatur. Vocis *Sepulcri* originatio, cui *Aelio* tribuenda? FESTI locus in voc. *Sepulcrum* suppletur, & constituitur. *Ernestius* notatur. FESTUS corrigitur, & explicatur. *Sepulcra* improprie res sacrae. SENECAE locus in *Anthologia Latina* vindicatus. *Res atra* pro Sepulcro. Sepulcrum *atrum*. MANILII vetus lectio contra *Bentleium* asserta. *Atrum* quid proprie? Locus *religiosus* quis dicatur? Sepulcra cur per eminentiam *religiosa*? LIVIUS & OROSIUS emendantur. Explicatur lex 4. ff. *de Sepulcris violatis*. Hostium & Servorum Sepulcra an *religiosa*? Cur Cenotaphium sit locus *non religiosus*? MARCIANUS in *leg*. 6. et *vlt*. de *Rerum Divisione* quomodo intelligendus? §. 5. Vox *religio* ambiguae notionis. *irreli-*

ligionis vocabulum, tamquam barbarum damnatur. Adiectiva in *osus*, a Substantivis dubiae notionis progenerata, in malam plerumque partem accipiuntur. PLINIUS corrigitur. Adiuncta in *osus* exeuntia rarius cum praepositione, quam vocant, priuatiua *in* nectuntur: quae a primitiuis dubiae significationis ducuntur, eam compositionem plane repudiant. LIVIUS bis corrigitur. PLINII item et QUINCTILIANI loca restituuntur. *Irreligio* & similia vocabula Christianis Scriptoribus vsitata. PAULUS DIACONUS notatur. §. 6. *Dies religiosus* numquam bono sensu dicitur. Duo SUETONII loca sub examen vocantur. *Religiosus* & *Sacer dies* an Συνώνυμα: DIO CASSIUS illustratur, & corrigitur. Ἀποφρὰς de die, quo Senatus agi non poterat. An diebus *Comitialibus* Senatus habebatur? An *sacris*? Legitimi Senatus dies ab Augusto instituti. DIO CASSIUS cum *Suetonio* conciliatur. *Casauboni* quidem coniectura probatur. Sed variasse tamen singulis mensibus legitimi Senatus numerum ex vetusto *Lambecii Kalendario* ostenditur. Verba SUETONII *Kalendis* & *Idibus* expungi iubentur. Senatus fastis diebus & nefastorum parte altera, quae fasta erat, haberi poterat. Diebus plene nefastis nullo modo. *Siccama* notatur. De *Ciceronis Epistolarum* ad *Brutum* fide & antiquitate dubitatur. Alii dies *festi sacrificiorum*, alii *ludorum* causa. Illis Senatus non cogebatur, his licebat. *Legitimo* Senatui opponitur indictus. *Kalendae Januariae*, etsi Jano sacrae, tamen Senatui habendo idoneae. Aliorum mensium *Kalendae* non item. *Dies sacri* certo intuitu *religiosi*. *Cicero* & *Livius* emendantur. §. 7. Dies religiosi a nuptiis alieni, *Kalendae*, *Nonae*, *Idus*. *Macrobius* emendatur. Rationes, cur nuptiae illis diebus inauspicatae fuerint secundum Plutarchum, expenduntur. *Feriae* virginum nuptiis religiosae. *Hotomannus* notatur. An omnes *Feriae Festique* dies nuptiis aduersentur? *Feralia* nuptiis inimica. Vti & *Anciliorum* solennia. Per quot dies duraverit Anciliorum solennitas? CHARISIUS reprehenditur. Fasti *Hadr. Junii* non sunt vetusti. Nec multo maioris sunt auctoritatis FASTI OVIDIANI. Dies *Saliares* per 30. dies feriati, licet Festum *Anciliorum* paucioribus diebus contineretur. POLYBIUS illustratur. OVIDIUS explicatur. PORPHYRION notatur. *Neriene* cognomen Minervae. VARRO apud GELLIUM emendatur. Mensis *Maius* cur nuptiis infaustus? Glossema in PORHYRIONIS Scholio notatur. *Seldeni* error. PLUTARCHUS contra *Boxhornium* defensus. FESTI locus suppletur, & corrigitur.

§. 1.

Perſpecta ſuperiori Capite religioſorum dierum apud Romanos origine et cauſſa, juvat cum maxime in eodem pergere argumento atque ex iis, quae plura circa hanc rem dicenda ſuperſunt, cumulatim non nulla referre; tum veterum aliquot Scriptorum loca, huc ſpectantia, alia examinare atque illuſtrare, non pauca vero, foede corrupta, priſtino reſtituere ſplendori annitemur. Ac primo videamus, quare potiſſimum dies, quos diri ominis cauſſa evitare ſoliti erant, *atros* vulgo dixerint et *religioſos*. Quod ad etymon vocis *atri* attinet, non vacat mihi de origine ejus nunc multis philoſophari aliorumque commenta Grammaticorum, quos et inter magni nominis, ordine recenſere aut operoſius refellere; quae ſi cui cognoſcere lubet, adeat VOSSIVM in *Etymologico voc. ater:* id ſolum modo dicam, quod prae caeteris viſum fuit mihi vero ſimillimum et linguae rationi maxime congruum, vocabulum *ater* ex Graeco fonte derivandum eſſe, nempe ἀπὸ τοῦ ἀτηρός· Quae eadem analogia in aliis multis obtinet vocibus Graecanicae originis: ſic ab ἀυστηρὸς non tantum eſt *auſterus*, ſed et *auſter*, ab ἄσπορος *aſper*, a πρόσπορος *proſper:* ita namque ab inuſitato προσπορέω, ut εὔπορος ab ευπορέω, derivandum potius cenſeo Latinorum *proſper*, quam cum aliis paſſim a πρόσφορος *utilis:* etenim origine ſua πρόσπορος idem fere eſt, quod εὔπορος, isque πρόσπορος Graecis, ac Romanis *proſper* fuit appellatus, qui facili via et ſecundo rerum curſu, praeter jam parta ac parata, inſuper ſibi alia acquirit; qua notione verbum προσπορίζειν rectiſſime interpretatus eſt H. STEPHANVS in ſuo *Ling. Graec. Theſauro.* Denique, ne addam plura, eodem prorſus modo νέκυς, quod ab νέκω, unde Latinum *necare*, peperit νεκορὸς ac, vocali deinceps brevi, more in talibus ſolemni, eliſa, contractum νεκρὸς. cum autem νεκορός, affinitate ſoni literarum K et Γ. pronunciatum quoque ſit ſcriptumque νεγορὸς, uti ἐγ pro ἐκ, ἔγγονος pro ἔκγονος et ſimilia his centena, intelligemus facile, inde ab Graeco νεγορὸς propagatum Latinorum *neger* et *niger*. conf. SCALIGER *de Subtili-*

tilitate Exercit. cccxxv. *Sect.* 10. Simplex verbum, cui nostrum ἀτηρὸς et *ater* suos debent natales, fuit ἄω, quod, per quinque vocales variatum, nobis dedit numerosissimam prolem, in utraque lingua superstitem; ab ἄω inter alia est ἄτω obsoletum ejusque derivatum proximum in usu ἀτάω, quod reddunt Lexicographi *noceo*, *damnum infero*, *laedo:* omnes tamen hae significationes sunt secundariae: forte (quid enim in re obscura prohibet veri similiter conjectari?) notio simplicis verbi ἄτω primaria fuit *spirando exhalandoque obscuro*, *nubes induco*, *tenebras infero*, unde sensu translato facili tramite secundariae profluxerunt significationes *nigrere* et *per tenebras horrorem incutio*, hinc *noceo*, *laedo*, *noxam* vel *damnum infero*, *clade afficio.* Primaria ista, quam dixi, significatio tum in Latino *ater*, tum praesertim nobis commode fuit conservata in Graeca voce ἄτη, vulgo reddita *damnum*, *noxa*, *clades;* quarum nulla notio origini proxima est. Proprie substantivum ἄτη fuit *exhalatio*, *ater odos*, *nubes* et *caligo tenebricosa*, qua coelum, inductis nubibus atrum ac turpe, horrorem menti humanae incutit; inde autem pro *horrore* ac *metu damni*, ipsoque tandem *damno*, *noxa* et *clade* sensu translato frequentatur. Liceat hoc loco, originem vocis investiganti, observare, id quod in Lexicis praetermissum, ἄται quoque Graece appellatos esse morbos, quos paludis creat vicinitas, teste SERVIO *ad Virgil. Aeneid. Lib.* VII. *vs.* 630. quamquam falso, civitatem *Atinam* inde nomen traxisse, affirmat, quippe quae Pomptinis paludibus fuerit vicina: nam, ut dudum CLVVERIVS *Ital. Ant. Lib. III. pag.* 1042. ostendit, longius inde Atina intervallo distat. A verbo simplicissimae formae ἄω et ἄτω, *halo*, *exhalo*, ἄται sunt *exhalationes* et *odores atri*, *tetri*, *funesti*; VIRGILIVS *Lib. XII. vs.* 591. fumum amarum, quo apes pelluntur, *atrum odorem* dixit; quod SERVIVS nove dictum existimat, quia nullus in odore color: at nihil in hoc novi est; sed ipsam probe attendit Poëta proprietatem in utraque voce (nam et *odor* ab eodem verbo ἄω, quod etiam ὄω pronunciatum, descendit) et *atrum odorem* appellat fumum nigrum, qui tetrum odorem spargat: *facem atram* dixit *Lib. X. vs.* 77. cujus flamma atrum et tetrum odorem ac fumum emittit; et *Lib. VII. vs.* 456. *sq.* Erinnysin *taedas* tribuit

atro

atro lumine fumantes: in quo, etiam licet τὸ *atrum* proprie accipias, nihil eſt abſurdi, ut ſuſpicatur SERVIVS; ſunt enim taedae, emittentes lumen, fumo atro et odore tetro mixtum. Itaque ἆται proprie ſunt *exhalationes* paludum, quae coelum infectant et afferunt morbos, atque inde ipſi quoque morbi eodem nomine inſigniti. HOMERVS *Iliad. I. vs.* 500. Deam nobis depingit Ἄτην, ceu dicas *Noxam*, ex Dea *Nocte*, quae et ipſa a nigrore et caligine atque a *nocendo* appellata videtur, filiam ſecundum HESIODVM *Deor. Generat. vs.* 230. Haec Dea Ἄτη, velut Furiarum aliqua et Erinnys atra, fuſco furvoque colore, unde etiam *Furiae* forte Romanis nuncupantur, terrebat homines ac delicta perſequebatur; quo ſenſu OVIDIVS *Heroid. Epiſt. XI. vs.* 103. Erinnyas *atras* dixit eleganter:

Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae.

ubi vir ſummus, quo nemo melius de Poëta hoc meritus, P. BVRMANNVS, licet minime diſſimulans, Furias AESCHYLO in *Agamemn. vs.* 470. μελαίνας dici, eoque notans pariter alludere CICERONEM in *Vatin. cap.* 13. malebat tamen *atras* legere, ut id potius referatur epitheton ad *faces:* atque ita hunc citat verſum *ad Virgil. Aeneid. Lib. VII. vs.* 456. ſed nihil de emendatione cogitandum: nam Erinnyes NASONI appellantur proprie *atrae;* tum quod Noctis filiae quibusdam haberentur Auctoribus, vid. SERVIVS *ad Virgil. Aen. Lib. III. vs.* 212. Σκότου κόρας et παῖδας SOPHOCLES dixit in *Oedip. Colon. vs.* 41. et 107. tum a colore fuſco, quo et alas totumque corpus eſſent infectae; imo *atrae* appellantur eximie, quod Deae triſtes, funeſtae, furiales ac horridae eſſent cunctaque terrore implerent et odore atro; conf. VIRGILIVS *Aen. Lib. III. vs.* 228.

§. 2.

Dudum ac saepius observatum est aliis, veteres cuncta felicia *albo*, contra autem, quae infausta haberentur atque ominosa, consuevisse *atro* colore notare: PLINIVS *Hist. Nat. Lib. VII. cap.* 40. morem Thraciae gentis memorat, quae calculos, colore distinctos, pro experimento cujusque diei in urnam condere ac supremo die separatim dinumerare solita esset, atque ita tandem de unoquoque pronunciare, utrum hac vita magis prospera, an vero infeliciore usus fuisset. Quam eandem consuetudinem, non Thracibus solum propriam, sed aliarum quoque gentium communem fuisse, inde docemur, quod PHYLARCHVS apud ZENOBIVM *Proverb. IV.* 13. et SVIDAS, hinc sua depromens, in *voc.* λευκὴ ἡμέρα, idem Scythis tribuunt: veteres autem Scholiastae adscribunt Cretensibus ad illud *Horatii Lib. I. Od.* 36. *vs.* 10.

Cressa ne careat pulcra dies nota.

Cressa exponunt *Cretensi: Cretensibus enim*, inquiunt, *mos erat dies laetos albis calculis, nigris contrarios numerare; et ex laetorum dierum numero vitae tempus metiri; malos enim in anni numero non vindicabant:* ita hunc locum arbitror constituendum, adjutus Cod. Membr. Ms. Bibl. Franequeranae. Caeterum, quamvis vetustissimus ille mos, dies bonos malosque lapillis, in arcam, vel, ut alter habet Scholiasta, in pharetram conjectis, numerandi, Cretensibus quoque, ut aliis populis, fuerit forte usitatus, rectius tamen, puto, cum acutissimo BENTLEIO *notam Cressam* interpretabimur *creteam*, id est *candidam:* ac sane bonos laetosque dies *creta*, *calculo albo* vel *lapillo* imo et *gemma*, contra infaustos atque inauspicatos *atro carbone*, apud Poëtas in primis, signandos dici, nemo ignorat. Verum tamen, an inde ex vetusto illo variarum gentium more, dinumerandi dies lapillis signandique albo colore vel atro, *atrorum* appellatio *dierum*, ut vulgo existimatur, sit repetenda, equidem vehementer dubito, ac potius contra arbitror, omina, ab meticulosis mortalibus ex atro candidoque coeli colore capta, uti diebus, sic lapillis ejus modi aliisque rebus omnibus felicitatis aut infelicitatis notio-

tionem indidisse. Eximius hanc in rem locus est, qui, qualis sit *dies ater*, egregie nobis describit, in libro divino, nomine *Jobi* inscripto *Cap. III. vs.* 3. *sqq.* ubi vir probus diris omnibus excruciatus et malis victus, postremo diem natalem his verbis exsecratur: *Pereat dies, quo natus sum: et nox quae dixit conceptus est masculus. Dies iste sit horrens caligo: ne requirat illum Deus desuper, neve radiet super eum lumen diurnum. Vindicent sibi illum caligo et umbra mortis: tentorium figat super illo nubilatio: conterreant eum velut amarulenta diei. Noctem illam! occupet eam occasus; neque gaudeat inter dies anni: in numerum mensium ne intret: sqq.* Ita locum egregie vertit summus Orientalium linguarum Interpres ALB. SCHVLTENSIVS et in *Commentar.* cuncta ex originibus suis suo more pulcherrime illustrat: conf. quoque praestantissimus LOWTH *de sacr. Poës. Hebraeor. Praelect. XIV. pag.* 171. *sq.* ubi cum hoc nostro comparat similem locum, sed minus multo grandem et tragicum, IEREMIAE *Cap. XX. vs.* 14. *sq.* Id unum mihi observare liceat, cuncta, in quae hic vir pius erupit, verba formulasque devovendi diei natalis, probe respondere iis, quae supra de etymo τοῦ *ater* disputata sunt: singula enim, quibus inauspicatum diem istum circumscribit, a caligine, umbra, nubilatione, terrore atro ac horrore desumta sunt: tum etiam cum voce ἄτη, quam primaria notione supra exposui *exhalationem*, comparari poterit Hebraeorum vocabulum *comm.* 5. quod reddit SCHVLTENSIVS *amarulenta diei*; nostrates autem Belgae, *de zwarte dampen des daegs*; *exhalationes* seu *atri vapores diei*, qui in paludibus aestu adurente procreantur et nigrore tetro coelum suffundunt; a qua explicatione minime videtur abhorrere vocis origo, ut cum plerisque consentit Interpretibus modo laudatus vir celeberrimus. Caeterum, quod vel ex uno hoc loco intelligimus, olim obtinuisse Orientalibus populis, idem illud obtinuit ubicumque, ut coagmentata nubium atrarum moles, praesertim si interdiu exorirentur, sua natura terrerent homines, quippe nubes densae ominosae, procellas annunciabant ac malorum erant praesagae: hinc et inter prodigia relatum apud Romanos, si interdiu lux diei obscurata esset: vid. LIVIVS *Lib. XXXVII. cap.* 4. *Lib. XXXVIII. cap.* 37. et OBSEQVENS *cap.* 56. et 124. *Ater* itaque dies proprie appellabatur, qui sole non illustratus, sed inductis nubibus obscurus et horridus funesti ominis loco habebatur: pulcre OVIDIVS, ad inauspica-

 tos

tos dies ipſumque diem Allienſem, atra ac funeſta clade notatum, reſpiciens, *in Ibin vs.* 219. ſimul vocis originem pandit:

> *Lux quoque natalis, ne quid, niſi triſte, videres,*
> *Turpis et, inductis nubibus, atra fuit.*
> *Haec eſt, in Faſtis cui dat gravis Allia nomen,*
> *Quaeque dies Ibin, publica damna, tulit.*

Dies, inductis nubibus atri, ut naturaliter animis hominum, procellae timidorum, metum ſolent incutere atque horrorem, et contra coelum, luce candidum ac ſerenum exhilarare animos, eleganti ſane metaphora Romani dies illos, quos ſibi aliquando infauſtos fuerant experti, quosque propterea, quotannis redeuntes, declinare conſueverant et tanquam anni numero eximere, *atros* appellitaverunt; eosdemque colore atro et carbone ſignare ſoliti fuerunt: contra autem felices operum dies dixere *bonos*, *pulcros*, *albos*, *candidosque* et creta vel albo calculo notandos. Caeterum licet ſermone vulgari atque uſu promiſcuo hi dies infauſti, ob publica damna in Faſtis notati, tam *atri*, quam *religioſi* vulgo appellentur, id tamen videtur obtinuiſſe diſcriminis proprie, ut, quem ad modum res ipſa, ſic et appellatio *atrorum dierum* ex vulgi potiſſimum opinione ſuperſtitioſa videatur recepta; cum *religioſorum* denominatio *dierum* juri divino potius ac pontificali decreto ſit attribuenda; ut adeo dies proprie dicerentur *atri*, quos ſibi quisque, privatim etiam, mali ominis cauſſa vitandos cenſeret; *religioſi* autem, qui publica auctoritate a Pontificum collegio in Faſtis eſſent damnati; quales tantum modo erant triginta Sex, terni ſingulis menſibus, poſtridie omnes Kalendas, Nonas, Idus.

§. 3.

Operae hic etiam pretium erit inveſtigare accuratius, unde *dies religioſi* fuerint appellati. Diverſam prodiderunt veteres Grammatici vocis ἐτυμολογίαν, recentiores autem, multo incertiores, vix vident, quid potiſſimum ſequantur. Qui cum CICERONE *de Nat. Deor. Lib. II. cap.* 28. crediderunt, *religioſos* a *relegendo* appellatos, quod omnia,

quae

quae ad Deorum pertinerent cultum, saepius illi ac diligenter retractarent et tanquam *relegerent*, si in hoc verum vocabuli ἔτυμον situm arbitrati sunt, haud sane rem acu tetigisse videntur vel satis habuisse perspectam: neque tamen, sequutus LACTANTIVM aliosque, ipsum TVLLIVM hoc nomine adeo culpandum censeo, quasi genuinam vocis originem nescierit, ab ipsius aequali, NIGIDIO FIGVLO, verissime expositam: sed CICERO, more Stoicorum Philosophorum et, horum instituta sequentium, JCtorum suae aetatis, his verbis potius videtur breviter descripsisse, quis *homo religiosus* sit intelligendus, quam veram et Grammaticam vocis originem voluisse prodere. Eodemque modo haud difficulter tuebimur JCtum MASSVRIVM SABINVM, quando is, teste GELLIO *Lib. IV. Noct. Att. cap.* 9. vel, ut MACROBIVS *Saturn. Lib. III. c.* 3. auctor est, SERVIVS SVLPICIVS, *religiosum* interpretatur illud, quod propter sanctitatem aliquam remotum sit a nobis ac sepositum, ceu vocis ἔτυμον repetatur a verbo *relinquere*: quam eandem rationem, ut vere etymologicam, ex veteribus multi et quidam recentioris aetatis Grammatici etiam amplectuntur serio, vid. VOSSIVS *in Etymolog.* in *voc.* at omnino frustra: non enim secundum Grammaticorum regulas JCti docent, inde ab isto verbo vocis originem esse arcessendam, sed cum sensu latiore ac minus proprio res divini juris, puta sacrae et sanctae, dicantur quoque *religiosae*, rem quasi ipsam his verbis definire voluerunt MASSVRIVS et SERVIVS significantes, *religiosum* appellari, quod Diis veluti *relictum* et propter sanctitatem commercio hominum exemtum esset ac sepositum a nobis.

Verissima vocabuli etymologia non est aliunde, nisi a *religando* vel *religendo*, quod idem fuit antiquitus verbum, repetenda; ut recte inter alios scribit NIGIDIVS apud GELLIVM *loc. cit. religiosum* testatus appellari, qui nimia et superstitiosa religione sese *alligasset:* quo et refert vetustissimi Poëtae, nescio cujus, versiculum:

RELIGENTEM *esse oportet;* RELIGIOSVM *nefas.*

Hanc eandem respexit ad originem vocis ipsumque NIGIDII locum videtur ob oculos habuisse AVGVSTINVS, vir admirabili doctrina atque insigni praeditus pietate, *de Ver. Religione cap.* 55. et *Lib. X. de Civit. Dei cap.* 4. ubi *hunc*, inquit, *Deum* RELIGENTES (*amiseramus enim*

NEGLIGENTES) *unde* RELIGIO *dicta perbibetur, ad eum dilectione tendimus:* quem locum haud recte videtur percepiſſe magnus VOSSIVS, quando credidit, vocis originem hic repeti ab *re* et *eligo*, cum ex oppoſitis τοῖς *religentes*, unde *religionem* dictam ait perhiberi, et *negligentes* appareat, utriusque ἔτυμον verbi a *ligando* voluiſſe propagatum ſignificare; ut *religentes* ſint, qui vinculo pietatis Deum ſibi obſtringunt ac *religant;* contra *negligentes*, qui *nec*, id eſt *non*, *alligant* ſibi Deum eumque nullo purae mentis cultu devinciunt: quae etiam poſterioris vocabuli etymologia minime eſt rejicienda, quamquam ſcio, plerosque Grammaticos aliter exiſtimare, *negligentiam* ita dictam arbitratos, a verbo *legere* vel *eligere*, quod *negligens* non utatur *delectu*. Porro et eandem vocis *religioſi* probat originem SERVIVS *ad Virgil. Aeneid. Lib. VIII. vs.* 349. *religionem* exponens *metum*, ab eo quod mentem *religet* ad cultum Deorum. Denique eleganter LACTANTIVS *de Ver. Sapient. et Relig. Lib. IV. cap.* 28. *Hoc*, inquit, *vinculo pietatis obſtricti, Deo* RELIGATI *ſumus, unde et ipſa religio nomen accipit; non, ut* CICERO *interpretatus eſt, a relegendo.*

Cognita vocis etymologia, nunc etiam in ejus ſignificatum inquiremus. Idem NIGIDIVS *loc. cit. religioſum* interpretatur eum, qui *nimia* et *ſuperſtitioſa religione ſeſe alligavit:* hujus enim modi vocabula formae, obſervat, ſemper *copiam quandam rei immodicam* ſignificare. Quam Grammatici veteris, prae aliis longe doctiſſimi, opinionem nequicquam GELLIVS conatur dubiam reddere, animadvertens, alio quodam ſignificationis diverticulo *religioſum* quoque pro *caſto*, *obſervanti* et *cobibenti ſeſe certis legibus finibusque*, dici ſolitum: tum vocabula, ab eadem profecta origine, diverſum videri ſignificare: *religioſos* enim *dies* appellari, qui ſint triſti omine infames; at contra *religioſa delubra* non eſſe ominoſa, ſed majeſtatis ac venerationes plena: denique etiam obſervat, non omnino cuncta hujus formae ac terminationis vocabula ſemper *nimium* et *praeter modum* ſignificare: qua propter ille, MASSVRII amplexus etymologiam, *religioſum* exponit, quod propter ſanctitatem aliquam remotum ſit a nobis ac ſepoſitum: ut ex hac interpretatione *templa* quidem ac *delubra*, quia non temere, ſed cum caſtitate, caerimonia ac reverentia adeunda ſint ac reformidanda magis, quam evulganda, *religioſa* arbitretur appellari: contra autem *dies* dici *religioſos*, quos, ex cauſſa plane diverſa, *relinquamus*

quamus propter diritatem ominis. Verum tamen, ſi quid ego judico, fruſtra NIGIDII ſententiam hoc loco convellere inſtituit GELLIVS: nam primo, rectius ἔτυμον vocis repetemus a *religando*, id eſt, *diligenter ligando*, ut exponit SERVIVS *ad Virgil. Aen. Lib. IX. vs.* 352. quam cum GELLIO, ſecundum MASSVRIVM, a verbo *relinquere*: vid. quae ſupra diximus. Deinde obſervandum, cuncta profecto vocabula in *oſus* terminantia, a quocumque nomine ſimplicioris formae derivata, notionem ſemper induere plenitudinis et copiam quandam ſignare rei: cum vero id, quod plenum eſt, nimium facile ſui capiat incrementum in vitiumque vertatur, haud male cum NIGIDIO dixeris, iſtius modi inclinamenta ſaepius *praeter modum* ac *nimium* ſignificare atque *in culpas cadere*; quod in primis obtinet, ſi ejus modi adjectiva nomina in *oſus* a Subſtantivis ambiguae ſignificationis, quale nomen *religio*, oriuntur, conf. *infr.* §. *6. h. Cap.* Hinc adeo *religioſum*, licet origine ſua ſit tantum *religionis*, id eſt *metus* ac *terroris plenum*, cum nimia religio facile in vitium abeat, recte FIGVLVS expoſuit de eo, qui *ſuperſtitioſa religione ſeſe alligaſſet*, hoc in primis loco, ubi in verſu, ex antiquiſſimo carmine producto, *religens* et *religioſus* opponuntur.

§. 4.

Plura, quae ad explicationem ſpectant vocabuli *religioſus*, nobis ſuppeditat FESTVS in *voc.* ea ſingulatim examinabimus. *Religioſi*, inquit, *dicuntur*, *qui faciendarum praetermittendarumque rerum*, *ſecundum morem civitatis delectum habent ; nec ſe ſuperſtitionibus implicant.* Quae totidem verbis leguntur in SERVII *Commentar. ad Virgil. Georg. Lib. I. vs.* 269. modo ſi loco *praemittendarum*, ut ibi habetur, corrigas *praetermittendarum.* Pariter et MACROBIVS *Saturn. Lib. III. cap.* 3. laudato Auctore FESTO, *religioſos* interpretatur, *qui facienda et vitanda diſcernunt.* Quo ſenſu QVINCTILIANVS *Inſt. Orat. Lib. IV. cap.* 1. *judicem* vocat *religioſum*, qui in judicando aequum et bonum ab iniquo novit diſcernere: ac ſimili fere ſignificatu CICERONI *de Orat. Cap.* 9. *aures* dicuntur *religioſae*, id eſt, teretes, delicatae, quaeque facile diſcernant orationem compoſitam ab horrida et barbara. Contra autem, uti ipſa vox *religio* ambiguae eſt ſignificationis, ſic et *religioſus* non nunquam ſenſu mi-

 nus

nus bono dicitur de eo, qui ſuperſtitioni eſt deditus; vid. CICERO *Lib. I. Epiſt. 7. ad Famil.* COLVMELLA *Lib. XI. cap.* 11. *religioſiores* appellat agricolas, qui nimis anxie et ſuperſtioſe quibusdam etiam profeſtis diebus opere ruſtico abſtinerent. Poſteriorem hanc ſignificationem non tangit FESTVS, ſed eam tantum modo attendit, qua vox bona parte accipitur, ſequutus, credo, Philoſophos, qui a *religione* diſtinxerunt *ſuperſtitionem*: CICERO, quamvis alibi, ut modo vidimus, *religioſiſſimos* homines dicat pro *ſuperſtitioſis*, tamen *Lib. II. de Nat. Deor. cap.* 28. teſtatur, non ſolum Philoſophos, verum etiam priſcos Romanos *ſuperſtitionem* a *religione* ſeparaſſe; conf. NONIVS *cap* 5. *voc. ſuperſtitionis.* In neutro TVLLII loco difficultas erit, ſi obſerves, origine ſua vocem *religio* eſſe dubiae ſignificationis, adeoque in pejorem partem pro *ſuperſtitione* poſſe uſurpari, praeſertim derivatum ejus *religioſus*, ob terminationem, quae ſignificatum intendit ac transfert in vitium; conf. ſuperius dicta ad locum FIGVLI, *pag.* 218. alio autem in loco non minus recte *religionem* a *ſuperſtitione* ſeparaſſe ait Philoſophos, rem ſcilicet ipſam reſpicientes, non tam rei nomen.

Pergit FESTVS. *Religioſum ac ſacrum eſt, ut templa omnia atque aedes, quae etiam ſacratae dicuntur: at, quod per ſe religioſum eſt, non uti* (que ſacrum eſt, ut ſepulcra) *quod ea non* (ſacra ſed religioſa ſunt): quae uncinulis incluſa et diverſo literarum charactere ſunt edita, pro ſupplementis accipe Interpretum: caeterum ſic fere crediderim ſcribendum: *religioſum idem ac ſacrum eſt* —— *at, quod per ſe religioſum, non utique eſt ſacrum, ut ſepulcra* —— ſignificat Grammaticus, vocabula *religioſum* et *ſacrum* uſu interdum promiſcuo adhiberi, uti templa, aedes, fana ac delubra, quae proprie licet *ſacra* ſint, etiam dicantur *religioſa*; non autem contra, quod *per ſe*, id eſt κατ' ἐξοχὴν vel proprie et vi nominis *religioſum* ſit, poſſe propterea *ſacrum* appellari; uti *ſepulcra*, quae, cum per ſe *religioſa* ſint, haud recte poſſis dicere *ſacra*: ſic pariter *dies religioſos*, qui per ſe *religioſi* ſunt, perperam appellaveris *ſacros*: quamvis *ſacri dies* improprie *religioſi* haud inepte nominari potuiſſent, ut pote religione et Deorum cultu pleni; ſed uſus tamen ſermonis et loquendi norma repugnat: vid. quae *infr. h. cap.* ad locum quendam CICERONIS notabuntur. Adeo-

Adeoque hoc ait SEX. POMPEIVS: *religiofum* idem eft ac *facrum*, ita ut omne quidem facrum recte dicatur *religiofum;* non vero contra id, quod proprie *religiofum* eft, etiam *facrum* appelletur.

Quae fequuntur verba FESTI, cura aliquanto majore indigent: *religiofus*, inquit, *eft non modo Deorum fanctitatem magni aeftimans, fed etiam officiofus adverfus homines*: haec prima eft Gloffa: cui alteram fubjungit continuo: *dies autem religiofi, quibus, nifi quod neceffe eft, nefas habetur facere: quales funt fex et triginta atri, qui appellantur, et Allienfis, atque ii, in quibus mundus patet.* De numero religioforum dierum infra copiofius difputabitur. Tertiam annectit Gloffam his verbis: (Religiofum) *effe* GALLVS AELIVS (ait) *quod homini ita facere non liceat, ut, fi id faciat, contra Deorum voluntatem videatur facere: quo in genere funt haec: in aedem Bonae Deae virum introire; adverfus aufpicia legem ad populum ferre; die nefafto apud Praetorem lege agere.* Haec ad Gloffam fuperiorem, quo refert SICCAMA in *Comm. ad Faft. pag.* 58. non pertinent proprie; fuperior enim Gloffa exponit *dies religiofos*, quibus nihil prorfus, nifi quod neceffe fit, nefas habeatur facere; in pofteriore autem AELIVS GALLVS explicat, quid quolibet die, non tantum religiofo feu atro, fed fafto etiam atque nefafto Romanis religiofum fit habitum et contra Deorum fieri voluntatem: qualia effent, in aedem Bonae Deae virum introire, legem adverfus aufpicia ferre, die nefafto lege agere: fic pariter religiofum fuit in demortui Cenforis locum collegam fubrogare; quod nulla quidem expreffa lege prohibitum, fed contra Deorum voluntatem fieri videbatur: cujus cauffam rei et originem exponit LIVIVS *Lib. V. cap.* 31. *C. Julius Cenfor deceffit: in ejus locum M. Cornelius fuffectus, quae res poftea religioni fuit, quia eo luftro Roma capta eft. Nec deinde unquam in demortui locum Cenfor fufficitur.* conf. *infr. Animadverf. ad Faft. Civiles.* Caeterum hic FESTI locus initio ftatim duarum vocum defectu laborat, quarum altera ex veteri Orthographiae ratione, nondum vulgo animadverfa aut cognita fatis, fuppleri facile poteft; repetito fcilicet, quo de *hoc loco* agitur, vocabulo *religiofum*, quod compendii cauffa exaratum non erat: cum enim Grammaticus principio novae Gloffae fpatium, hujus ce vocis capax, reliquiffet vacuum, aut linea, in porrectum ducta, fignificaffet, id vocabulum ex fuperioribus verfibus hic Lectori repetendum,

hoc modo: *Mundus patet* —— *esse* GALLVS etc. posterioris saeculi Scribae, nihil deesse rati, lacunam, quae probe fuerat observanda, neglexerunt. Iterato igitur ex praecedenti Glossa τῷ *religiosum*, legendum est: *Religiosum esse* GALLVS etc. conf. quae *supr. Cap. I.* §. 2. *pag.* 6. *sq.* obiter de hac Orthographia diximus, quaeque copiosius notabuntur alibi. Post nomen AELIVS interserere, quod desideratur, *ait*: id facile verbum absorptum fuit τῷ *Aelius* vel *Alius*: quod posterius, nescio, utrum errore Typographi, an aliunde, editio habet D. GOTHOFREDI in *Corp. Auctor. L. L.* *Alius* certe et *Allius* ut pro *Aelius* seu, uti olim scribebant, *Ailius* exaratum sit, nemo negaverit, facilem esse Librariorum lapsum ac frequentem: hinc videri posset CHARISII locus restituendus *Lib. I. Inst. Gramm. pag.* 56. *edit. Putschii*, ubi cum legeretur: *Sepulchrum ab adverbio seorsum et pulchrum alius tractum dicit, quod in hoc nomine componitur semis et pulchrum, quia pulchrum in superficie, et intus plenum ossibus:* vir cl. PETR. BONDAMIVS *Lib. I. Var. Lect. cap.* 2. notans in τῷ *alius* veteris cujusdam nomen Grammatici latere, quod fideliter eorum ingenue, per quos profecerit, nomina CHARISIVS apponat, corrigendum putavit *Valgius*: sed displicuit conjectura, longius a literis vulgatae lectionis deflectens, CANNEGIETERO, peritissimo harum rerum judici, in *Obs. Jur. Rom. Lib. I. c.* 2. *p.* 11. qui ἀντὶ τοῦ *Alius* omnino reponendum existimans *Aelius*, hanc vocis *sepulcri* originem AELIO forte SEXTO tribuendam arbitratur; quod tamen posterius, cum plures fuerint Aelii, qui de *verborum significatione* commentati sunt, haud invitis obtrudendum nobis censuit vir celeberrimus. Tres FESTO aliisque Grammaticis potissimum memorantur *Aelii*, qui de *verborum significationibus* scripserunt, *Catus*, *Stilo*, qui et *Praeconinus*, et *Gallus*. SEX. quidem AELIVS CATVS in *Tripertitis* suis *Leges XII. Tabb.* interpretatus est, addita vocum quarumdam difficiliorum ob nimiamque vetustatem abstrusioris significationis explicatione: conf. *supr. Cap. IV.* §. 10. *pag.* 161. At vero, quo minus ad Aelium Sextum ineptam prorsus vocis *sepulchri* referamus originem, vetat non tantum Aelii hujus eruditio, quam, vix credi par est, in re nullius momenti idque absurdissimum in modum fuisse occupatam, sed vel in primis, quod

quod vocabulum illud *ſepulcrum* in *Legibus Decemviralibus* non videatur obtinuiſſe locum: ita ut credam, duo ſunt argumenta: prius, quod in earum Legum fragmentis, ubi de jure ſepulturae agitur, nusquam vox *ſepulcrum* occurrit, ſed *rogus* ſemper vel *buſtum* dicitur: ſecundo, quod ex FESTI *Schedis* in *voc.* colligere eſt, vocabulum eſſe poſterioris aetatis: ſepul*chrum* (inquit) *eſt, ut ait* GALLVS Aelius, in quo *mortuus ſepultus eſt, quod ant*iqui buſtum appel*labant: hiſque cippis aut ali*qua alia re mor*tui cauſſa deſignatus eſt, intra* quos ſe*pultura eſt facta.* ita ſuppletis lacunis editur; neſcio, an recte ſatis cuncta in integrum reſtituta: voluit FESTVS, vel potius GALLVS AELIVS, *ſepulcrum* a verbo *ſepelire* vel *ſepire* dictum eſſe: quid ſi in hunc modum conſtituas mecum: *ſepulcrum eſt, ut ait* GALLVS AELIVS, *in quo mortuus ſepultus eſt, quod antiqui buſtum appellabant: hinc, quia cippis ſeptus, aut aliqua alia re ager mortui cauſſa deſignatus eſt, intra quos* (cippos) *ſepultura eſt facta, ſepulcrum dicimus.* conf. idem FESTVS in *voc. buſtum*: *Buſtum*, ait, *proprie dicitur, in quo mortuus eſt combuſtus et ſepultus* —— *ſed modo buſtum, eo, quod ſepelitur, ſepulchra vocamus.* Proprium itaque, quod antiquitus et in XII. Tabulis obtinebat, vocabulum fuit *buſtum*, quia vero buſta deinceps *ſepiri* ſolebant vel *ſepeliri*, dixere *ſepulcra.* Nullo igitur jure nobis licet AELIO SEXTO originem vocis *ſepulcri*, qualis apud CHARISIVM eſt, tribuere. An ergo, inquies, L. AELIO STILONI, viro eruditiſſimo, ut GELLIO audit *N. A. Lib. III. cap.* 3. quique Varronis fuit Praeceptor, et ſcripſit *Explanationem Carminum Saliorum* aliaque, quae ad rem Grammaticam pertinent; non vero in *XII. Tabulas*, ut opinatur cl. ERNESTI in *Clav. Cic.* confundens hunc cum AELIO SEXTO: an denique id etymon *ſepulcri* Chariſianum adſcribemus AELIO GALLO, Jcto, qui ſub Auguſto floruit Aegypti Praefectus et *de verborum*, quae ad jus pertinent, *ſignificatione* ſcripſit? equidem neutri facile dixerim ineptas has et difficiles nugas deberi. Si penitius paullo introſpicias CHARISII locum, credo haud difficulter animadvertes, duplicem proponi vocis originem, ex diverſorum Grammatiſtarum ſcholis profectam, alteram ex *ſeorſum* et *pulcrum*, alteram ex *ſemi* et *pulcrum*: quare ita cenſeo legendum: *ſepulcrum ab adverbio ſeorſum et pulcrum alius tractum dicit:* (alius) *quod in hoc nomine* (*componitur*) *ſemis et pulcrum; quia pulcrum ſuperficie et intus plenum*

num ossibus. Non semper autem et ubique nominatim suos Auctores laudare CHARISIVM, ex non uno patet loco; sic *Lib. I. pag.* 84. *suovetaurilia* QVIDAM *putant dicenda, etc.* in primis autem notandus locus *Lib. I. pag.* 79. ubi scribit: *Lactis nominativum* ALII *volunt lac*, ALII *lact*, ALII *lacte.* Verum haec CHARISII caussa ὡς ἐν τῷ παρόδῳ· nunc ad FESTVM redeo.

Ita pergit: *Inter* SACRVM *autem et* SANCTVM *et* RELIGIOSVM *differentias bellissime refert*: (idem nempe GALLVS AELIVS) SACRVM *aedificium consecratum Deo:* SANCTVM *murum, qui sit circa oppidum:* RELIGIOSVM *sepulcrum, ubi mortuus sepultus aut humatus sit, satis constare ait. Sed ita portione quadam et temporibus eadem videri posse. si quidam, quod sacrum* etc. quae posteriora Librariorum vitio sunt depravata, alii loco τοῦ *portione* legunt *proportione* et pro *si quidam* ex Schedis Farnesianis reponunt *si quidem:* dein pro *putant* ill. SCALIGER conjicit *putat, ut* ac refert ad AELIVM; denique pro *qui non jam* suspicatur legendum *quoniam.* Viderint Critici, utrum sic satis cuncta sint ad sanitatem reducta; an vero potius locum ita emendemus: *sed tamen* (aut si mavis, *sed ita tamen*) *ratione quadam etiam Auctoribus eadem videri posse; si quidem quidam, quod sacrum est, idem lege aut majorum instituto sanctum esse putant, ut violari id sine poena non possit: idem religiosum quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod, si faciat, adversus Deorum voluntatem videatur facere.* Correctionis nostrae paucis reddenda est ratio: omnis fere hujus loci corruptela ex scripturae compendiis nata est: pro *tā*, id est *tamen*, Scribae dederunt *ita*, proclivi lapsu; aut potius exaratum fuit *ita tā*, id est, *ita tamen*, quod posterius compendium tā cum syllaba proxime praecedenti coaluit facile vel ea absorptum est; aut, tanquam perperam repetitum, Librarii censuerunt inducendum delendumque: pro *portione quadam* scripsi *ratione quadam*, id est *quodam respectu:* loco τοῦ *temporibus* emendavi *Auctoribus;* pro *si quidam*, vel uti in aliis schedis est, *si quidem*, restitui *si quidem quidam*, quod, confido, pulcre placebit omnibus, quibus arcanum illud artis Criticae de Geminatione et quasi Geminatione vocum curae cordique est: denique pro *putant* dedi, ipso sensu flagitante *putant ut;* et pro *qui non jam* ex aliorum emendatione *quoniam.* Hoc scilicet

scilicet FESTVS docet, AELIVM GALLVM, JCtum, atque adeo eum, qui indagandae verborum proprietati prae aliis maxime studuit, optime retulisse, (in libris nempe de *verborum*, *quae ad jus pertinent*, *significatione*) quid et quo modo differant apud Juris Consultos, *sacrum*, *sanctum* et *religiosum*; quamquam alii Auctores linguae Latinae, ut idem observet AELIVS, has voces quadam ratione confundere ac pro iisdem habere videantur, si quidem non nulli existiment, quod *sacrum* sit, idem lege aut majorum instituto etiam *sanctum* esse, ita ut sine poena (quae legis pars proprie *sanctio* dicitur JCtis) non sit violandum: deinde, eosdem Auctores simili ratione, quod *sacrum* proprie sit, dixisse *religiosum*, nempe, quoniam in sacro aliquid sit, quod homini facere ibi non liceat, namque, si id faciat, contra Deorum videretur facere voluntatem: id namque ex AELII hujus sententia *religiosum* appellari, quod contra voluntatem Deorum sit, supra paullo vidimus. Postremo ex eodem AELIO addit FESTVS: *similiter de muro et sepulcro debere observari*, *ut eadem et* SACRA *et* SANCTA *et* RELIGIOSA *fiant*; *sed eo modo*, *quo supra expositum est*, *cum de* SACRO *diximus*: nempe significat AELIVS, improprie et ratione quadam alios Auctores muros quoque urbis, licet proprie sint *sancti*, dixisse *sacros* et *religiosos*: itemque rursus sepulcra, per se *religiosa*, appellasse *sacra* et *sancta* — Equidem concedo lubens, καταχρηστικῶς tria haec aliquando sic commutari et quadam ratione Auctoribus velut synonyma haberi; non semper tamen et ubique temere sunt confundenda: *sepulcra* proprie sunt *res religiosae*, quodam autem respectu *sacra* etiam appellantur, quippe Dis consecrata Manibus; conf. praeter alios celeber CANNEGIETERVS in *Obs. Jur. Rom. Lib. III. cap.* 5. *pag.* 242. *sq.* eoque sensu in SENECAE *exsulis Querela* in *Anthol. Lat. Lib. III. Epigr.* 153. *Tom. I. pag.* 600.

Res est sacra, *miser*, *noli mea tangere fata*,
Sacrilegae bustis abstinuere manus.

Ubi *rem sacram* exponunt interpretes *sacro sanctam*, quam violari absque scelere sit nefas; quo sensu aptius forte legi posset *sancta*, nam sacrilegium, quo refertur ex *versu sq.* tam in sanctis, quam sacris rebus committitur. Olim legebatur *res est atra*: quam lectionem,

 non

non unius auctoritate codicis firmatam, nullus video, cur TOLLIVS infulsam dixerit atque inficetam; neque, cur aliorum eruditorum suffragio unanimi condemnetur; *res* enim *atra* rectissime dicitur sepulcrum, quippe horrorem inferens ac metum; qua etiam significatione sepulcra per se dicuntur *res religiosae*, vid. *infr. paulo post: atrum sepulcrum* dixit MANILIVS *Lib. V. Astronom vs.* 461.

Nec minus et scelerum facie rerumque tumultu
Gaudebunt, ATRI *luctum memorare sepulcri.*

Acutissimus quidem BENTLEIVS ingeniose, sed audaci manu, corrigit: *vivi bustum memorare sepulcri*, nullo addicente codice: verum apposite satis, sive Antigonae respiciens sepulcrum; de quo SOPHOCLES in *Antigon. vs.* 898. seu intelligens Thyesten, Poëta *atrum* dixit sepulcrum, quippe locum religiosum, tetrum, foedum, incultum atque formidolosum, quorum omnium significatio nomini *ater* veluti propria inest. *Atrum* enim appellatur, quidquid natura sua vel rei adspectu horrorem incutit aut ipsa cogitatione terrificat; unde non tantum *nemus atrum*, *atra specus*, *atrum mare*, *atra cura*, *ater timor*, aliaque ejus modi dicuntur; sed praecipue mortifera quaeque eodem hoc nomine insigniuntur; *sepulcrum* dici *atrum* et *rem atram* modo vidimus; ipsam mortem *atram* appellat ALBINOVANVS in *Carm. ad Liviam vs.* 360. *atram cypressum*, quia funesta est et inferis consecrata, dixit VIRGILIVS *Aeneid. Lib. III. vs.* 64 denique *dies atra* in primis dicitur de tempore mortis, ut in illo VIRGILII *Aen. Lib. VI. vs.* 429.

Abstulit ATRA *dies et funere mersit acerbo.*

Vt vero illuc jam revertar, unde discessi, quamvis tria haec *sacrum sanctum* et *religiosum* interdum promiscuo usu ac ratione quadam apud alios Scriptores permutentur, probe tamen JCti, linguae Latinae verborumque ἀκριβείας observantissimi, inter illa distinxerunt, vid. §. 7 *sqq. Inst. de Rer. divis.* verissima enim vocis Etymologia docet, *religionem* sua origine et notione primaria nihil esse aliud, quam vinculum, quo quis *religatus*, id est, interprete SERVIO, *diligenter ligatus*, ac

sancte

ſancte et ſacro quodam metu obſtrictus eſt, ut aliquid agat, vel non agat; quo et FESTI ſpectat aliorumque interpretatio, *religioſos* eſſe, *qui facienda et vitanda discernant:* ipſaque religio eſt metus, timor ac reverentia, quae obſtringit hominem ad officia pietatis cultusque divini ſecundum morem civitatis: qua etiam eadem ratione jus jurandum, quo ex metu Numinis divini homo homini obſtringitur, *religio* appellata eſt: atque adeo *religioſus*, ut idem FESTVS ait, non tantum eſt *Deorum ſanctitatem magni aeſtimans* ſed etiam *adverſus homines officioſus.*

Locus autem *religioſus* eſt religionis plenus, quique haud temere nec ſine ſacro metu adeundus, animos hominum horrore perſtringit: quo ſenſu VIRGILIVS *Aen. Lib. II. vs.* 365. *religioſa* dixit *Deorum limina*; et CICERO in *Divinat. cap. I. delubra* vocat *religioſiſſima.* Cum vero, ut ſupra notatum, vocabulum *religio* ſua origine ex ipſoque etymo ambiguae ſit notionis et in utramque accipiatur partem, pariter derivata vox *religioſus* mediae ſignificationis eſt, utque *religioſi* dicuntur *homines* non tantum pie Deos reverentes, ſed etiam ſuperſtitioſe timidi, ſic *loca religioſa* non ſolum appellantur religioni caerimoniisque Deorum dedicata, uti *templa* et *fana*; ſed et, quae ex cauſa plane diverſa nobis incutiunt horrorem quaeque diri ominis cauſſa fugimus et abominamur, qualia ſunt *ſepulcra*; quae cur κατ' ἐξοχὴν *loca religioſa* fuerint JCtis dicta, paucis videamus. Etenim, ut ſupra ex GALLO AELIO obſervavimus, ſepulcra quidem ratione quadam et *ſacra*, quia Dis Manibus ſacrata; et *ſancta*, quia lege munita eſſent adverſus violatores, appellantur Auctoribus; vid. quos citat KIRCHMANVS *de Funerib. Rom. Lib. III. cap.* 21. attamen proprie et *per ſe*, ut FESTVS ait, praeſertim in Jure Civili, ſepulcrum *res* habetur ac dicitur *religioſa* eaque appellatione nominatim a rebus *ſacris* et *ſanctis* diſtinguitur. Undenam vero ſepulcra apud Romanos κατ' ἐξοχὴν appellata *res religioſae?* an a *religione* id eſt, cultu divino, Dis Manibus praeſtando, ſi quidem ſepulcra olim maxima colerentur religione, ubi et anniverſaria fierent ſacra et ſolemnes inſtrui ſolerent dapes? vid. celeberr. CANNEGIETERVS *Obſ. Jur. Rom. Lib. III. cap.* 5. atqui vera, vix eſt, ut iſta habeatur appellationis ratio; nam et ita pariter aedes ſacrae cunctaque loca, rei divinae dedicata, imo et ipſa Cenotaphia, ubi et ſacra Manibus fieri conſueverant, proprio ſignificatu recte dicenda forent *loca religioſa*;

 cum

cum tamen contra appareat, ex verborum proprietate JCtos *sacra* di-
stinxisse a *religiosis*. An vero cum aliis, vocis etymon repetendo a
verbo *relinquere*, censebimus sepulcra Romanis dicta fuisse *religiosa*,
quod Dis Manibus veluti relicta hominumque commercio essent exem-
ta? Verum tamen ita rursum cuncta alia, quorum emtio aut venditio
nulla fuit, proprie fuissent *religiosae res* appellitanda. An denique ar-
bitrabimur, Romanos sepulcra vocasse *religiosa* propter anxiam curam,
ne turbarentur defunctorum animae, quae sepulcris conditae quiesce-
rent? Ac sane Romanis, ut aliis plerisque gentibus, sepultura maxime
fuit curae, insepultorum animas quippe et umbras per multos annos
circum errare et discurrere neque recipi posse orco, vulgo sibi habe-
bebant persuasum: vid VIRGILIVS *Aen. Lib. VI. vs.* 325. *sqq.* atque
ibi SERVIVS; conf. ampl. CVPERVS *Observ. Lib. I. cap.* 20. et PERI-
ZONIVS *ad Aelian. Var. Hist. Lib. IV. cap.* 7. ut ingenue tamen fa-
tear, neque haec vera aut probabilis videtur mihi denominationis ratio.
Quid igitur vetat novam, in re nondum, ut puto, explanata, conjec-
turam proponere? Nempe arbitror, veteres JCtos, verborum proprie-
tatis tenacissimos, eadem prorsus de caussa eademque ratione sepulcra
dixisse *loca religiosa*, qua alii Auctores optimi dies quoque atros ob me-
tum et horrorem, quo eos vulgo solebant evitare homines ac declinare
religiosos nominaverunt: quia nimirum sepulcris, ubi cadaver esset ho-
minis illatum, quaedam religio ac veluti horror inerat, quaeque prop-
terea metu, ne polluerentur, religiose et anxie soliti erant evitare: hinc
quae diebus religiosis eadem fere sepulcris quoque seu locis religiosis epi-
theta tribuuntur: utraque *atra*, *tristia*, *funesta*, *ominosa*, *fatalia* si-
milibusque appellationibus aliis nuncupantur. Quae hodie adhuc ple-
rorumque hominum mentibus, eadem vulgo olim mortalibus insedit o-
pinio superstitiosa, ut cadaver hominis, sepulcra et quaecumque mor-
tuos spectant, pro ominosis haberent, atque abominarentur; solebant
enim et Romani τὰ πρὸς τὰς τάφας δυσχεραίνω καὶ φεύγω, ὡς μιασμόν.
vid. PLVTARCHVS in *Quaest. Rom. cap.* 23. Caecilius apud MINVCIVM
FELICEM *cap. VIII.* inter alia objicit Christianis, *quod latebrosa et luci-
fuga natio, in publico muta, in angulis garrula, templa, ut busta, de-
spicerent:* Eximius in primis hanc in rem locus est LIVII *Lib. XXX.
cap.* 25. ubi traditur Hannibal, cum terrae appropinquanti unus e nau-
ticis

ticis escendere in malum jussus, ut specularetur, quam tenerent regionem, dixisset *sepulcrum* dirutum proram spectare, *locum abominatus* esse; nempe ut religiosum: τὸ *locum* ex vetustioribus editionibus, quamquam nunc vulgo omittitur, revocandum censeo, similiterque restituendum OROSIO *Lib. IV. cap.* 19. ubi, verbotenus fere Liviana compilans, scribit: *quidam e nauticis* —— *sepulcrum dirutum se prospexisse respondit. Abominatus dictum Hannibal*—— corrigo *locum.* Accedit, quod Flamini Diali religiosum haberetur, in eum locum ingredi, ubi bustum esset positum, teste GELLIO *N. A. Lib. X. cap.* 15. quod Pontifici quoque et Censori, quando solemne conderetur Lustrum, imo cuilibet, rite divinis rebus operaturo, mortuum adspicere fuerit religiosum et nefas: vid. quae ex vetustis Annalibus plura congessit KIRCHMANNVS *de Funerib. Lib. II, cap.* 21. At vero quaeritur, quo modo JCtus in *l.* 4. *ff. de sepulcr. violat.* scribat; *sepulcra hostium religiosa nobis non sunt?* Equidem existimo, eo significatu, quo supra exposuimus, hostium non minus, quam aliorum, sepulcra Romanis religiosa fuisse habita; cum etiam servorum, quamvis abjecte in puteis plerique conderentur, sepulcra religiosa fuerint, *l.* 2. *pr. ff. de Relig.* ubi expressis verbis hoc docemur: quare miror, hac eadem lege citata, cur V. D. ad. GRVTERI *Corp. Inscript. pag. CCCXL. n.* 4. loco prorsus alieno, notaverit, *servorum sepulcra non esse religiosa, ut dominorum.* Caeterum, ut *dict. l.* 4. *de sepulcr. violat.* cum LIVII loco conciliemus, sic accipio, hostium sepulcra, quamquam et ipsa proprio significatu religiosa erant, id est funesta et ominosa, tamen, quoad poenam violatae religionis sepulcrorum, non eodem jure, quo Romanorum sepulcra censa fuisse: nempe alio quodam significationis diverticulo, ut AELIVS scribit apud FESTVM *l. c. reliosa* quoque dicebantur *loca, ubi sit aliquid: quod homini facere ibi non liceat* etc. quam ad notionem *religiosi* respexisse JCtum, ex verbis patet sequentibus: *adeoque*, ait, *inde lapides sublatos in quemlibet usum convertere possumus, nec violati actio competit.* conf. *l.* 36. *ff. de Religios.* ubi POMPONIVS in eandem sententiam, *cum loca*, inquit, *capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse*; id est, quoad poenam, in violatores constitutam, pro *religiosis* aut *sacris rebus* non habentur. Quo sensu posteriore neque servorum sepulcra religiosa fuisse habita, arbitror.

Jam vero ratione ejus fignificationis, qua per fe et proprie, vidimus, JCtos veteres fepulcra dixiffe *religiofa*, quod illatum hominis cadaver religionem quandam, id eft metum atque horroren inferret, atque propter eam caufam ominofa effent fepulcra et vitanda, apparet continuo, cur locus purus, feu fepulcrum extructum, illato nondum cadavere, pro *religiofo* loco non habeatur, quia fcilicet cadaver, quod eam demum religionem inducit, nondum ibi effet pofitum: fimulque intelligemus, quare et *Cenotaphium* non effe *locum religiofum* JCti pronunciaverint, quia nempe vacuum eft fepulcrum et tumulus honorarius: denique et hinc facile folvemus juris ἀντινομίαν, de *Cenotaphio* faepius inter doctiffimos Interpretes retractatam et varie folutam; inter alios plures vid. in primis eximium elegantioris Jurisprudentiae decus, H. CANNEGIETERVS *Obf. Jur. Rom. Lib. III. cap.* 5. nempe fenfu proprio et Juridico Cenotaphia non effe *religiofa*, veteres Periti Juris, uno tanquam ore, monuerunt; nifi quod folus MARCIANVS in. *l.* 6. *§. ult. ff. de rer. divis.* auctoritate ac teftimonio VIRGILII inductus, affirmaverit, Cenotaphium effe *locum religiofum*; fcilicet non per fe quidem ac proprie, fed ea ratione, qua extra jus Civile apud claffícos Scriptores *religiofa* etiam dicuntur quaevis loca, in quibus religio quaedam, Deorum timor ac reverentia ineffet, uti *templa*, *fana*, *altaria*.

§. 5.

Adjungam his obfervationem de voce *Religiofus* plane Grammaticam. Ex etymo ac notione primaria *religio* vinculum eft, quo metu Numinis et quodam horrore, adftringimur; unde faepius illa promiscue eodem fignificatu ponuntur, utque *religio* fimpliciter fignificat *metum*, fic contra vocabulum *metus* pro *religione* ufurpatur apud VIRGILIVM *Aen. Lib. VII. vs.* 60. uti et *formido* et *horror;* vid. cl. DRAKENBORCHIVS *ad Sil. Italic. Lib. I. vs.* 82. Cumque adeo vocabulum *religio*, ut fupra obfervavimus, ambiguae fit fignificationis, haud admitti facile poteft, imo prorfus aliena eft, hujus vocis compofitio cum Praepofitione *in* contrariae vel adverfae notionis, ut dicatur *irreligio*: quod cum obvium effet in *Auctore Rhetoricorum ad Herennium*

Lib.

Lib. II. cap. 21. rectiſſime contra plerorumque codicum vetuſtam ſcripturam a peritiſſimis Criticis eliminatum nunc eſt: quaelibet enim iſtius modi nomina ambigua hanc componendi rationem ſua natura reſpuunt: talia ſunt *dolus*, *fabula*, *facinus*, *factio* etc. niſi quod unum *fama*, vox mediae ſignificationis, ex ſe producat *infamia:* at dixerim potius τὸ *in*, cum hac voce compoſitum, uti et in τῷ *infamis*, non privandi, ut alias plerumque, ſed intendendi ſignificatus vim habere.

Huic ſuccedat altera obſervatio: cuncta Adjectiva nomina ab iſtius modi Subſtanſtivis dubiae notionis producta atque in *oſus* exeuntia, cum terminatione ſua notionem plenitudinis acquirant vel copiae, rariſſime quidem in bonam, ſed frequenter in malam partem ſumuntur; itaque *doloſus*, *fabuloſus*, *facinoroſus*, *factioſus*, caeteraque fere alia cuncta nunquam bono ſenſu adhibentur; a fama tamen eſt *famoſus*, quod interdum pro *celebri* et *magna boni nominis fama praedito*, obvium eſt, vid. cl. REITZIVS in Libello *de Ambiguis* in *voc.* Pariter ita *religioſus* non nunquam bonam in partem pro *pio*, *probo*, *Deorum ſanctitatem magni aeſtimante*, atque etiam *officioſo erga homines* ſed frequentius in deteriorem partem ſumitur, in primis ſi genere neutro dicitur *religioſum eſt*, pro *nefas*; id quod perperam bono ſenexponas cum DOVIATIO *ad Livium Lib. V. cap.* 52. §. 8. de eo, quod *religioni eſt conveniens*: conf. ib. DRAKENBORCHIVS. Vnus eſt PLINII locus *Lib. XXX. Hiſt. Nat. cap.* I. ubi haec dictio bono videretur ſenſu occurrere: *fuiſſe*, ſcribit illic, *tempora*, *in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat*, *mandi vero etiam ſaluberrimum*: ſed, niſi me omnia fallunt, legendum potius eſt, *religioſum non erat*.

Tertio denique, nomina derivata in *oſus* terminantia, rarius quidem in compoſitione cum particula *in* privativa reperias; paucula tamen hujus formae cogitanti nunc ſe offerunt: *importuoſus*, *incurioſus*, *infructuoſus*, *innumeroſus*, *inofficioſus*, *inopioſus*, quod PLAVTVS habet *Poenul. Act. I. Sc. I. vs.* 2. *inotioſus*, *inſomnioſus*. Caeterum vero, quaecumque a vocibus dubiae ſignificationis ita derivantur, cum plerumque in vitia cadant et deteriorem partem, ea, uti ipſa horum primitiva compoſitionem cum Praepoſitione *in* privante ſignificatu reſpuunt plane atque averſantur: quapropter non invenias uſquam

indolosus, *infabulosus*, *infamosus*, *infacinorosus* aut similia; neque adeo, ut supra de voce *irreligione* animadvertimus, satis Latine dixeris *irreligiosus*: servat tamen illud codex Livianus *Lib. II. cap.* 5. §. 3. *quem campi fructum, quia irreligiosum erat consumere:* at recte notavit DRAKENBORCHIVS in *Notis*, Librarium vim vocis non percepisse: legendum omnino est ex *Cod. Harlej. sec.* unde et fons simul erroris cognoscitur, *quia* ID RE *ligiosum erat*, intellige *far* vel *frumentum.* Miror autem, modo laudatum virum cl. hic loci proprietatis τῶ *religiosi* pulcre memorem et ad *Lib. V. cap.* 52. §. 8. jure castigantem DOVIATIVM, sui quasi oblitum, consensu tacito comprobasse corruptam hactenus lectionem apud LIVIVM *eodem Lib. V. cap.* 40. ubi de L. quodam *Albinio* (seu *Albino* potius, sic namque ratio Romanorum nominum flagitat et usus) refert, cum conspexisset virgines vestales, sacra secum urbe exportantes, dum ipse conjugem suam liberosque plaustro veheret, *salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum, inreligiosum ratus, Sacerdotes publicos* (leg. *publicas*, virgines enim Vestae tantum respicit, non etiam Flamines) *sacraque populi Romani pedibus ire ferrique* —— *Virgines sacraque plaustro imposuisse:* in vitiosa lectione omnes, tam scripti, quam typis editi codices conspirant cunctique Interpretes securi acquieverunt: inducta vocis syllaba initiali *in*, nata, ut saepissime, ex litera praecedenti proxime *m*, corrigemus facile vitium ac legemus *reliosum ratus*, id est *nefas existimans.* Sic et apud PLINIVM *Lib. IX. Epist.* 35. ubi nunc vulgo legitur: *scripta tua sumere, nisi vacuo animo irreligiosum putem;* restituendum procul dubio est, *religiosum:* ni forsan scripsit PLINIVS ID RE*ligiosum putem.* Denique et hac parte laboravit aliquando QVINCTILIANVS in *Declam VIII. pag.* 173. *edit Burm.* ubi *in carceribus*, scribit, *et in illa profunda nocte poenarum* IRRELIGIOSIVS *ille anheli pectoris pallor inspicitur:* at nemo, opinor, dubitabit jam, quin legendum sit *religiosius*, τῷ *ir* vel *in*, quod ex proximae vocis litera finali erat natum, extruso; quem admodum ibi ex melioribus codicibus dextra summi BVRMANNI manus veram dudum lectionem reposuit.

Patet itaque ex disputatis, vocem *irreligio* ejusque derivata *irreligiosus* nullo jure suo civitate Romana hactenus gavisa esse; nisi tamen, quod

quod Chriſtianae ſcriptores Eccleſiae, quibus *religio* in bonam ubique partem accipitur pro vero Dei immortalis cultu et *religioſus* dicitur homo, religioni et pietati deditus, ſuo nomine contrariae notionis vocabula procuderint, cum Praepoſitione *in* privante ſignificatu compoſita: unde *irrelegio*, *irreligioſus*, Adverbium *irreligioſe* et derivatum *irreligioſitas* apud hos ſaepius, alibi nusquam obvia, frequentantur: exempla ſuppeditant Lexica linguae Latinae. Nollem tamen barbara voce, ex Chriſtianorum idiotismo repetita, PAVLLVS inquinaſſet doctas FESTI ſchedas, omnem penitus redolentes antiquitatem, in *voc. Praeclamitatores*, ita appellatos, ſcribens, qui Flamini Diali antecederent clamantes, ut homines ab opere abſtinerent, *quia hunc opus facientem videre irreligioſum erat:* ipſe FESTVS ſcripſit *religioſum*, et recte, pro quo ex ſaeculi ſui uſu barbaro Epitomator inepte dedit *irreligioſum*.

§ 6.

Quem ad modum vero ſenſu ambiguo vox *religioſus* uſurpatur, ut *homines* dicamus *religioſos* tam vere pios, quam timide ſuperſtitioſos, et *loca* etiam *religioſa* non tantum ſint religionis cultusque Deorum plena, ſed et triſtia infauſtaque, ut *ſupr.* vidimus: quaeri commode hoc loco poterit, an ſic pariter *dies* appellare liceat *religioſos*, non atros ſolum atque infames, verum bono etiam ſenſu ſacros feſtosque; quippe dies religionis, ſeu immortalium metu Deorum plenos atque inſignes? Si vocabuli etymon reſpicias uſumque vulgarem in aliis dictionibus, haud equidem recuſo, quo minus vi ac poteſtate notionis ambiguae *dies religioſus* utroque ſenſu, tum pro atro atque infami, tum pro ſacro aut feſto, recte dicatur: contra tamen voluit tyrannus linguae uſus et mos, quem unum penes arbitrium eſt et jus ac norma loquendi. Nusquam enim, quod ego ſciam, claſſici ſcriptores ſacrum diem ἁπλῶς appellarunt *religioſum*, hoc tantum nomine intelligentes dies atros, tetros ac miſeros; quae jungit eleganter epitheta LVCILIVS *Lib. XXXVIII. vs.* 33.

Anno vertente dies tetri, miſeri ac religioſi.

Huic tamen opinioni unus itemque alter ex vetustis scriptoribus locus in contrarium proferri possit, quae hac occasione examinabimus. SVETONIVS in *Tiberio cap.* 61. inter crudeliter facta Imperatoris recenset quoque, nullum a poena hominum cessasse diem, *ne* RELIGIOSVM *quidem ac* SACRVM: *animadversum in quosdam ineunte anno novo.* Atque alibi rursum in *Claudio cap.* 14. memorat, illum jus laboriosissime dixisse, etiam suis suorumque diebus solemnibus, *non nunquam* FESTIS *quoque antiquitus*, *et* RELIGIOSIS. De utroque videbimus loco singulatim: in priore *religiosus ac sacer dies* plane συνωνύμως interpretantur TORRENTIVS et OVDENDORPIVS; sed potius vel disjunctim accipias velim, ut dicatur Tiberius et *religiosis* diebus, id est atris infaustisque, et *sacris* seu festis in facinorosos animadvertisse: quem enim ad modum die sacro publicam laetitiam supplicio nefas erat funestare, teste MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 10. ubi Saturnalibus poenas a nocente exigere, piaculare habitum scribit; idemque illud aliis quibusvis diebus festis apud Graecos Romanosque obtinuisse, aliunde docemur; vid. CASAVBONVS *ad Sueton. Aug. cap.* 57. add. SENECA *Lib. V. Controv. cap.* 4. et TACITVS, *Annal. Lib. IV. cap.* 70. ubi conf. LIPSIVS; sic etiam religiosis funestisque diebus non minus supplicio videntur abstinuisse: erant enim utrique dies ἄδικοι omnino atque ἄπρακτοι, iisque nec judicia, sive publica seu privata exerceri, neque judicis sententia exsecutioni poterat mandari. Grammatici enim Graeci, quando dies, ἐν αἷς ἐδίκαζον φονικὰς δίκας, quibus de homicidio cognosceretur vel capitales ferrentur sententiae, ἀποφράδας appellatos tradant, non vere atros istius modi dies fuisse, significant, quippe quibus judicia plane nulla exerceri poterant; sed rei ominosae ac tristis judicii caussa pro religiosis vulgo habitos esse: conf. *supr. Cap. I. §.* 3. *pag.* 14. Quod si ergo in SVETONII loco particulam *ac* intelligas disjunctim, quae mox sequuntur verba: *animadversum in quosdam ineunte anno novo*, non sunt cum cl. OVDENDORPIO referenda ad remotius vocabulum *religiosus*, sed ad proxime praecedens *sacer;* primus enim anni dies festus fuit, Jano sacratus. Sin vero magis placet voculam *ac* conjunctim accipere et Kalendas Januarias *religiosum* simul ac *sacrum diem* appellare, minime tamen pro synonymis hoc loco habenda sunt *religiosus* et *sacer:* nam vere

vere facer dies *religiosus* dici nequit, nisi certo respectu, ad poenas scilicet et supplicia, quae die sacro aut festo sumere religiosum erat. Atque ita exponere malo SVETONIVM, tum ob TACITI verba *Lib. IV. Ann. cap.* 70. tum quia Tiberii aetate et dudum ante dies proprie religiosi jam non amplius publice solebant observari.

Quod ad alterum vero SVETONII locum in *Claudio cap.* 14. ubi tradit, illum jus *non nunquam* FESTIS *quoque antiquitus, et* RELIGIOSIS *diebus dixisse:* quod nemo Interpretum videtur attendisse, quaero, quos dies intelligam *antiquitus festos*, utrum illos, qui antiqua institutione facri festique adhuc essent, quales fere omnes; an vero potius, qui, antiquitus festi, jam non amplius observarentur? Vix dubito, quin posterius eligas, cum et alioquin Adverbium *antiquitus* huc nihil faciat, putesque, respexisse SVETONIVM illos dies *antiquitus festos*, quos Imp. Augustus amplius triginta, qui honorariis ludis occuparentur, actui rerum traditur accommodasse; vid. SVETONIVS in *vit. cap.* 32. At vero, si ita accipias, nihil etiam est, quod in Claudio culpetur, aut adeo notatu dignum sit, si quidem isti dies ex Augusti institutione deinceps fasti fuerunt, nullaque vetabat religio, quo minus iis jus diceretur. Trajectis vocibus sic credo legendum: *non nunquam festis quoque et antiquitus religiosis:* ut disjunctim intelligatur, jus dixisse Imperatorem non *festis* tantum diebus et sacris, sed iis etiam, qui *antiquitus religiosi* fuissent habiti; quamquam enim, ut modo dixi, atri dies non amplius publica observabantur religione, privatim tamen plerique adhuc homines eos evitare solebant; eamque ob caussam et in Vitellio funesti ominis loco acceptum tradit TACITVS *Lib. II. Hist. cap.* 91. quod, Max. Pontificatum adeptus, de caerimoniis publicis *XV. Kal. Aug.* edixisset, *antiquitus infausto die:* conf. SVETONIVS in *Vitell. cap.* 11.

Non possum non hac occasione illustrare DIONIS CASSII locum *Lib. XLV. pag.* 430. ubi ad an. V. C. DCCX. Hirtio Vibioque Coss. Senatum, scribit, Kalendis Januariis habitum perque tres dies continuos insequentes; ita enim perturbatos fuisse, *ut ne religiosis quidem diebus, quin de communi salute inter se consultarent, abstinuerint:* οὐδὲ τῆς ἀποφράδος, τὸ μὴ ἐν ἐκείναις βουλεῦσαί τι τῶν συμφερόντων σφίσιν, ἀπέσχοντο· Cl. REIMARVS τῆς ἀποφράδος interpretatur *diebus atris et religiosis*, provocans ad PITISCVM *Lexic. Antiq. Tom. II. pag.* 739. *m.*

 Tom.

Tom. III. pag. 384. cujus loco rectius citasset vir cl. ZAMOSCIVM de *Senatu Rom. Tom. I. Thes. Graev. pag.* 1000. unde cuncta suo more compilavit. Sed quaero, quot et quos respexerit DIO religiosos dies? non certe *ipsas Kalendas*, diem sacrum, qui solemnis fuit et legitimus dies senatus: an igitur *postridie Kalendarum?* antiquitus jure Pontificio diem atrum et religiosum: idque ex CASSII hoc loco quosdam collegisse, notat ZAMOSCIVS: at vetus illa, quamquam nondum plane animis hominum cesserat, religiosorum dierum observatio publice negligebatur nullaque ejus modi dierum in senatu cogendo amplius habebatur ratio; saepissime namque *postridie Kal. Non. Id.* consultasse Patres, cum ex CICERONE tum aliunde nobis constat, idemque colligere est ex CAESARE *de Bell. Civ. Lib. I. cap.* 5. *itaque primis*, inquit, *quinque diebus, quibus haberi senatus potuit, qua ex die Consulatum iniit Lentulus, biduo excepto Comitiali, et de imperio Caesaris, et de amplissimis viris, Tribunis plebis, gravissime acerbissimeque decernitur:* quo de loco vid. MANVTIVS *de Senat. Rom. cap.* 5. *Tom. I. Thes. Graev. pag.* 914. *sq.* nempe *biduum* id, quod intendit, *Comitiale* fuit *A. D. III.* & *Prid. Non. Januar.* qui uterque dies *Comitialis* hic dicitur, non tantum, quod Comitia haberi poterant, ut etiam patet ex *Fastis Marm. Maff.* ubi litera C. notantur, sed quia re vera Comitia iis diebus erant habita. Apparet ergo et *Postridie Kal. Jan.* in Senatu de Caesare actum fuisse. Levi corrigendus remedio DIONIS videtur locus, ut legamus: οὐδὲ τὰς ἀποφράδας, τὸ μὴ ἐν ἐκείναις βουλεῦσαι —— ἀπέσχοντο. Nempe arbitror, DIONEM *hoc loc.* καταχρηστικῶς eosdem dies duo Comitiales, quos CAESAR memorat, *A. D. III.* et *Prid. Non. Jan.* dixisse ἀποφράδας *religiosos* eo sensu, quod religiosum et nefas esset, Comitialibus diebus senatum haberi. Rarissime hoc sensu ἀποφρὰς alibi obvium, iterum alio loco nobis suppeditat idem DIO *Lib. XLVII. pag.* 504. ubi Triumviri R. P. C. inter alia plura, in honorem C. Caesaris decreta, leguntur etiam constituisse, ut dies caedis ejus foret *religiosus:* καὶ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ ἐφονεύθη, κυρίαν ἀεί ποτε ἕδραν βουλῆς ἔχουσαν, ἀποφράδα ἐνόμισαν· *diem etiam, quo est interfectus, qui semper antea legitimi Senatus dies fuerat, religiosum pronunciaverunt:* scilicet, non uti re vera ater esset atque infamis, contra namque patet ex *Fastis*, ubi notatur,

NP.

NP. id eſt, *priore* tantum *parte nefaſtus;* ſed eatenus ſolum *religioſum* eſſe voluerunt, *ne unquam poſt hac eo die Senatus ageretur*; quod ex ipſo DIONE colligas et diſerte teſtatur SVETONIVS in *Caeſ. cap.* 88. At forte roget quis, an igitur diebus *Comitialibus* Senatus nunquam haberi potuit, et contra, an ſacri olim dies, qualis profecto *Idus Martiae* aliorumque omnium menſium, jam olim fuerunt hanc in rem legitimi ac ſolemnes? Quod ad prius, crediderim facile cum ZAMOSCIO aliisque, Comitiales dies minime omnes exemtos fuiſſe, quotquot in *Faſtorum Tabulis* notatos videmus litera *C.* cum ex quam plurimis locis contra pateat, non ſemel iſtis diebus Senatum fuiſſe habitum: ſed dies tantum intelligo *Comitiales* eos, quibus Comitia populi habita aut in quos a Magiſtratu indicta eſſent, tumque demum religioſum fuiſſe Senatum haberi. An vero *ſacris feſtisque* diebus potuit Senatus convocari? id affirmare non dubitant Antiquitatum Interpretes, et quidem de quibusvis diebus feſtis: *Kalendas* in primis, *Nonas* et *Idus* ſolemnes et legitimos Senatus dies fuiſſe arbitrantur; vid. ZAMOSCIVS *l. c.* MANVTIVS *de Rat. vet. dier. Tom. I. Theſ. Graev. pag.* 946 et SICCAMA *ad Faſt. Kalend. pag.* 46. Verum tamen et hic obſervandum non nihil, et aliqua diſtinctione opus eſt: nam DIO quidem CASSIVS *loc. ſupr. cit. Idus Martias*, olim ſolemnes ſemper fuiſſe dicit Senatui agendo, κυρίαν ἀεί ποτε ἕδραν βουλῆς ἔχουσαν, non tamen extendendum id eſt ad Idus aliorum quoque menſium: unis etenim *Idibus Martiis*, feſto quamvis et ſacro die, Senatus quondam legitime a Conſulibus habebatur, Magiſtratus auſpicandi gratia, quem ad modum poſtea *Kalendae Januariae*, ex quo tempore is dies Conſulatui ineundo ſolemnis fuit, licet dies quoque ſacer, idem tamen et *faſtus* et *ſenatorius* eſſe coepit. Deinde, ut legitimi eſſent quidem dies Senatus, Imperator demum Auguſtus conſtituit; quum antea incertis diebus Senatus convocari ſolebat; vid. DIO *Lib. LV. pag.* 772. Quinam vero fuerint dies illi certi ac legitimi Senatus ex conſtitutione Auguſti, unus tradit SVETONIVS, ſcribens, ſanxiſſe, eum, *ne plus quam bis in menſe, legitimus Senatus ageretur, Kalendis et Idibus:* at CASSIVS *loc. cit. certos* quidem dies *ſingulis menſibus* ſenatorios conſtituiſſe Auguſtum, memorat, caeterum vero, quot et quinam fuerint illi, non monet; *binos* tamen fuiſſe haud difficulter, teſte TRANQVILLO, crediderim; atque adeo conjecturae faveo CASAVBONI

ad Sueton. l. c. pro βουλὰς κατὰ μῆνα κυρίας legentis β. vel δύο βουλὰς κ. μ. κ. Cum itaque Augustus demum certos dies Senatus legitimi instituit, et quidem *binos* singulis mensibus, perperam MANVTIVS et alii affirmant, *solemne illud ac statum fuisse, ex more majorum, ut Kalendis, Nonis Idibusque haberetur Senatus;* ut adeo *terni* dies fuissent singulis mensibus Senatus legitimi. Quod autem verba SVETONII nunc docent, binos dies illos, quolibet mense statutos, fuisse *Kalendas* et *Idus*, id nondum ego adducor facile, ut credam: sic namque et *Idus Martiae* dies *Senatorius* fuerit, oportet, cum tamen ipse Augustus Triumvir sanxerit, *ne isto die unquam Senatus ageretur.* Quod si autem ex DIONE mecum statuas, Augustum quolibet mense certos quidem dies constituisse duos, non quidem ὁμωνύμους, ut vult SVETONIVS, sed in *Fastis* tamen *Senatoriis* notatos, pulcre sententiam nostram illustrabit ac firmabit vetus, quamvis aevo Augusti longe posterius, *Kalendarium*, sub Constantio, Constantini filio, concinnatum, quod et BOXHORNIVS *ad Sueton. l. c.* adduxit, ex eoque contendit apparere, plerisque mensibus, isto adhuc saeculo, ex Augusti institutione, *bis*, quibusdam *semel*, etiam aliquando *ter* legitimum Senatum actum fuisse; mense nimirum Januario *tres*, Octobri autem ac Novembri *singulos*, reliquis mensibus *binos* ex isto *Kalendario* tribuit Senatus legitimi dies. At vereor, ut accurate satis collegerit, apographo usus forte minus diligenter descripto; quare nos ex *Lambeciano* exemplari, quod etiam habetur *Tom. VIII. Thesaur. Graev.* iterum hosce dies et accuratius proferemus.

IANVARIVS

Kal. Jan.	SENATVS LEGITIMVS	
V. Id.	SENATVS LEGITIMVS	
X. Kal. Febr.	SENATVS LEGITIMVS.	*Sol Aquario.*

FEBRVARIVS

III. Non.	SENATVS LEGITIMVS
Idib.	*Virgo Vesta. parentat.* SENATVS LEGIT

MAR-

MARTIVS

V. Non.	SENATVS LEGITIMVS. *Dies Aegyptiacus.*
Prid. Id.	*Mamuralia.* SENATVS LEGIT

APRILIS

Kal. Apr.	*Veneralia. Ludi.* SEN. LEG
Idib.	*Ludi.* SENATVS LEGITIMUS

MAIVS

Kal. MaI	SENATVS LEGITIMVS
Idib.	*N̄. MercurI.* SENATVS LEGIT

IVNIVS

III. Non.	SENATVS LEGITIMVS
Idib.	*N̄. Musarum.* SENATVS LEGITIMVS

IVLIVS

Kal. Jul.	SENATVS LEGITIMVS
XVI. Kal. Aug.	*Ludi.* SENATVS LEGIT. *Sol Leone.*

AVGVSTVS

III. Non.	SENATVS LEGITIMVS
XVIII. Kal. Sept.	SENATVS LEGITIMVS

SEPTEMBER

Kal. Sept.	SENATVS LEGITIMVS
Idib.	*Ludi.* SENATVS LEGITIMVS

OCTOBER

V. Non.	SENATVS LEGITIMVS *Dies Aegyptiacus.*
Idib.	*Ludi. Equus ad nixas fit.* SENAT. LEGIT.

NOVEMBER

Kal. Novemb.	*Ex Senato. C. M. XXIII.* S. L. *Isia.*
Prid. Id.	*Ludi Plebeji.* SENATVS LEGITIMVS

DECEMBER

III. Non.	SENATVS LEGITIMVS
Idib.	*Ludi.* SENATVS LEGITIMVS

Qui inhac ferie referuntur dies Senatus legitimi ad *Id. Octobr.* et *Kal. Nov.* in fuo laterculo praetermifit BOXHORNIVS. Pro eo autem, quod *Idib. Octobr.* ex MS. exhibetur *Equus ad nixas fit*, legendum omnino eft *equus adnixus fit*; quod optime vidit et expofuit LAMBECIVS. Caeterum tota haec legitimi Senatus dierum feries, ex *Faftis* Conftantii excerpta, optime refpondet Augufti Caefaris inftitutioni; *binos* enim quolibet menfe dies habemus legitimi Senatus, ut inftituerat Auguftus, teftibus SVETONIO et DIONE; neque obftat, quod menfe Januario in *Faftis* tres referantur dies Senatorii, fi quidem horum primus, qui ipfis Kalendis notatur, legitimus Senatus, βουλὴ χυρία, non ab Augufto quidem inftitutus, fed ex veteri confuetudine retentus eft, ut, quo die novi Confules inirent Magiftratum, folemnis is effet Senatui habendo dies, uti *fupr.* de *Idib. Mart.* obfervavimus. Jam vero, cum et DIO CASSIVS nullos nominatim dies definiat, et ex *cit. Faftis* appareat, dies Senatorios quolibet menfe non fuiffe ὁμωνύμους, tum praeterea, ut jam monui, cum Idibus certe Martiis Senatum haberi ipfe vetuerit Imperator, SVETONIVS non levi vitio hactenus laborare mihi videtur, unus afferens, legitimos dies illos fuisfe *Kalendas* cujusque menfis et *Idus.* Minime tamen adeo iniquus fum Auctori optimo, ut culpam ejus rei in ipfum transferam: probe noverat ille, quinam effent bini legitimi dies ab Augufto conftituti, cum iidem etiam, fua non tantum aetate, fed et poftea, fub Imp. Conftantio, obtinuiffe adhuc videantur eundem locum ex Augufti edicto; itaque vix dubito, quin verba illa *Kalendis et Idibus* ex gloffemate marginali vel interlineari nata fint: nempe Gloffator quifpam, cum fciret, id quod ex *Faftis* memoratis conftat quoque, faepiuscule ipfis Kalendis Idibusque Senatum legitimum notari, ratus, dies Senatorios quolibet menfe eandem obtinuiffe fedem, temere adfcripfit huic loco: *Scilicet Kalendis et Idibus:* id quoque vocabulum *fcilicet*, quod multi Codices fcripti et editi fervant, non minimam gloffematis fuspicionem praebet: deinceps autem verba imperita Librariorum manu facile in ipfum contextum orationis transpofita funt.

Vt

Vt vero tandem propositam quaestionem absolvamus atque intelligamus, quibus potuerit diebus Senatus haberi, in primis duo distinguenda sunt tempora, et quod constitutis ab Augusto diebus legitimi Senatus antecessit, et quod post sequutum est: ante Augusti edictum, teste DIONE *supr. cit. loc.* nihil de diebus Senatoriis certo fuit definitum, et poterat Senatus convocari omnibus fastis, tum etiam nefastorum dierum ista parte sui altera, quae fasta erat; quando tum et lege agi apud Praetorem poterat: diebus quoque Comitialibus, quando scilicet nulla essent Comitia in eos dies a Magistratu indicta; ac denique quibusdam ludorum solemnium diebus, nihil vetabat, quo minus Patres rite convocati consultarent. Caeterum dies festos sacrosque, proprie ita appellatos, id est, qui solidi, sacrororum sacrificiorumque caussa, huic illive Deo erant consecrati, plane Senatui habendo ineptos fuisse arbitror: erant enim sacri dies quieti et otiosi, ab omnibusque humanis negotiis, a publica privataque rerum cura alieni; vid. *supr. Cap. I.* §. 3. *pag.* 11. *sq.* et §. 5. *pag.* 25. Fateor equidem plura ex vetustis Annalibus colligi posse exempla, unde constet, Kalendis, Nonis, Idibusque, Senatum saepius actum fuisse: at non omnes illi dies solide fuerunt sacri; nam cunctae prorsus toto anno Idus erant dies priore tantum parte nefasti, uti ex *Tabula Fastor. Maff.* apparet; ergo posteriore diei parte, quia fasta esset, poterat Senatus agi. Nonis quoque, nullius Dei in tutela constitutis, Senatus aliquando habitus: Senatus Consultum de Bacchanalibus, quod ipsum hodie in aenea Tabula exaratum superest adhuc, conditum fuit *Nonis Octobrib.* Sed is dies plene fastus notatur. SICCAMA *ad Fast. Kalend. pag.* 47. ut ostendat aliis etiam diebus nefastis Senatum haberi, nullis legibus vetitum fuisse, profert hunc in finem locum CICERONIS ex *Epist.* 2. *ad Brut.* ubi *A. D. V. Id. April.* scribit, *literae mihi in Senatu redditae sunt a Lentulo nostro* et ex *Lib. II. ad Q. Fr. Epist.* 8. (mihi 9.) *A. D. III. Id. Maji Sctum est factum de ambitu in Afranii sententiam:* qui uterque dies, litera *N.* in *Tabula Maff.* notatus, fuit *nefastus.* Verum tamen, quod ad locum priorem, responderi posset, *Epistolas ad M. Brutum*, quae CICERONIS nomine circumferuntur, minime νοθείας suspicione carere: vid. quae doctiss. Anglus IAC. TVNSTALL. in *Epistola ad Middleton.* protulit argumenta, in primis *pag.* 229. ubi nonnulla ex *Epist.*

2. *cit.* sub examen revocantur: certe posteriores sex *Epistolae ad Brutum*, fide duntaxat Germanorum editae primum, caeterum nullo in codice sunt repertae hactenus. Licet vero etiam largiamur, genuinas esse CICERONIS *Epistolas* nihilque a Librario in numeralibus notis peccatum, ut re vera Senatus fuerit habitus *A. D. V. Idus April.* unum hoc animadvertas, velim, istum diem et quinque proximos non proprie ob sacrificia *festos* fuisse et Deo cuipiam sacratos, sed *nefastos* Ludorum tantum caussa, qui per eos dies celebrabantur, quibus adeoque lege non poterat agi, ne populus a ludorum solemnitate avocaretur: quo vero minus, turbidis praesertim istis temporibus, per eos dies Senatus ageretur, nihil obstitisse, credo. In altero autem, qui profertur, CICERONIS loco memoratur Sctum, factum *A. D. III. Id. Mai.* qui etiam dies notatur litera *N.* tanquam *nefastus.* At variant editiones: forsan rectius legendum *A. D. IV.* vel *A. D. VI.* quorum hic *Comitialis* fuit, ille in *Fast. Maff.* describitur N. P. LVD. MART. IN. CIRC. (perperam in *edit. Tbsaconiana* est *N.* pro *N. P.*) *nefastus* fuit *parte priore:* imo tempore Ciceronis totus videtur *fastus* fuisse aut *Comitialis*; Ludi enim in honorem Martis Vltoris anno demum DCCXXXIII. Vrbis conditae sunt instituti. Sed et hic vulgatam servemus lectionem *A. D. III. Id. Mai.* ut ipso die *Lemuralium* Sctum dicatur conditum: dies Lemuralium erant tres *A. D. VII. V. et III. Idus Mai.* ut *Fasti* notant: add. OVIDIVS *Lib. V. Fastor. vs.* 491. *sq.*

Sed tamen haec tria sunt sub eodem tempore festa,
Inter se nullo continuata die.

minus igitur accurate PORPHYRION Scholiastes *ad Horat. Lib. II. Epist.* 2. *vs.* 209. aliique Lemuralibus *triduum* impendi solitum scribunt, cum *biduum*, *triduum* non, nisi de continuatis diebus, dicatur. Iam vero, cum Lemuralia *nocturna* fuerint sacra, interdiu quidem, licet dies essent nefasti, quatenus jus a Praetore non dicebatur, nulla esse potuit caussa, quare non ageretur Senatus istis diebus; quem ad modum et mense Februario, videbimus mox, ex constitutione Augusti nefastis diebus legitimum Senatum fuisse interpositum.

Omnium primus legitimos, et quidem binos singulis mensibus, ut supra

ſupra notavimus, Senatus habendi dies inſtituit Imperator Auguſtus, eademque dierum ratio deinceps videtur obſervata et per annos amplius trecentos Romae obtinuiſſe, uti ex *Faſtorum Tabulis*, tempore Conſtantii Imperatoris confectis, colligere eſt. *Legitimo* Senatui opponitur in conſtitutione Auguſti Senatus extra ordinem *indictus*, uti apud Graecos βουλὴ κυρία et σύγκλητος· vid. CASAVBONVS *ad Sueton. Aug. l. c.* ubi egregium in rem profert locum CAPITOLINI in *Gordian. cap. XI. p. m.* 156. *D. non legitimo, ſed indicto Senatus die:* fruſtra igitur ac perperam ZAMOSCIVS *loc. cit. p.* 1001. *legitimum Senatum* exiſtimat opponi *Senatui Octobris Septembriſque menſis ac ſemeſtri Senaculo:* nihil enim minus ex SVETONII loco colligitur. Porro, ut ex citatis ſupra Conſtantii *Faſtis* apparet, Imperator Auguſtus in conſtituendis Senatibus legitimis probe obſervavit etiam dierum feſtorum profeſtorumque rationem. Ipſis *Nonis* nullius menſis in *Laterculo* AVGVSTI Senatus memoratur legitimus, non quod omnes fuerint Nonae *nefaſti* dies aut ſacri; contrarium namque patet ex *Faſtorum Tabulis*, ubi ſaepius litera *F.* notantur, ut *faſtos* fuiſſe ſcias, quin nullius erant Nonae in tutela Dei: ſed vero Imperator privata videtur religione motus, ut ab hiſce diebus Senatus legitimos removerit; habuit namque eos quodam modo pro atris infauſtiſque, ita ut Nonis nihil rei feriae inchoaret, teſte SVETONIO in *vit. cap.* 92. Caeterum ex conſtitutione etiam AVGVSTI nulli feriarum feſtorumque dies fuerunt legitimi Senatui habendo. De *Kalendis Ianuariis* ſupra jam monui, cur, licet Iano dies ſacer, *faſtus* tamen fuerit habitus et Senatorius. *A. D. V. Idus Januar. legitimus* in *Faſt. Conſtant.* adſcribitur *Senatus*; eodemque die in *Faſt. Maff.* notantur *Agonalia:* verum tamen nihil inde docemur ſatis certo, dies ille utrum totus fuerit nefaſtus, an vero altera tantum parte, ut feſti dies plerique alii: cum vero Agonalia, bis poſtea redeuntia, *A. D.* ſcilicet *XII. Kal. Iun.* et *A. D. III. Id. Decembr.* utroque in loco ſignentur in *Tab. Maff.* literis *NP.* admodum mihi vero ſimile fit, eadem et menſe Januario fuiſſe diem nefaſtum *priore*, tantum *parte*, cauſſa ſacrificii, ab Rege ſacrorum peragendi. Literae autem ſingulares *NP.* ubi primo loco in *Faſt. Maff.* Agonalia menſe Januario memorantur, vel propter anguſtum nimis ſpatium, vel Quadratarii culpa, videntur praetermiſſae. In menſe etiam Februario *A. D. III. Non. Senatus* refertur *legitimus:*

is autem in *Fastor. Tab. marm.* notatur *nefastus:* at nefastus ille non fuit, quod facer aut festus dies esset, sed plerique ejus mensis dies, imo omnes a Kalendis ad Idus nefasti fuerunt, quod veteri religione haberentur pro atris infaustique ominis, quoniam februa tum fierent, Dis Manibus parentaretur, ac Feralia essent, quae tamen religio vulgi non movit Augustum, quo minus nefasto die in sua *Serie* κυρίαν βουλὴν referret: conf. quae *supr.* de *Lemuralibus* monui, quaeque alibi plenius de *Feralium* festo dicenda sunt. Porro *Kalendis Aprilibus* Senatus quoque legitimus habetur: qualis autem fuerit is dies, festus an profestus, exeso Marmore, ex *Fastis Maff.* non apparet: quin tamen altera parte fastus fuerit, ut alii dies facri, non est, quod dubitemus: idemque de *Kalend. Mai.* quo die et *Senatus legitimus* refertur, statuendum arbitror, deficiente et ibi *Marmoris Maffeiani* nota. Imo *fastus* is totus fuit, uti patet ex *Fragmento Fastor. Venusino*, quod ex *Schedis Ambrosianis* habet MVRATORIVS *Nov. Thesaur. Inscript. Tom. I. pag. CL.* *Kalendae* autem *Iuliae*, quibus *Senatus* assignatur *legitimus*, in *Fast. Maff.* non tantum, sed et in *Amiterninis* apud MVRATORIVM in *Tab. ad Tom. I. pag. CL.* litera *N.* notantur; in *Fragm.* etiam *Fastor.* quod ex Antiquitatibus Antii post BLANCHINVM et VVLPIVM edidit rursum MVRATORIVS *Tom. I.* in *Tab. ad pag. CCCV.* is dies notatur: K. IVL. N. FELICIT. IN CAP. id est *Kalendae Juliae*, *nefastus dies*, *Felicitati* (sacrum fit) *in Capitolio.* Non tamen is dies fuit facer vel totus nefastus et feriatus ejus sacrificii caussa; erat enim Felicitatis numen haud ita magnum aut memorabile; sed quia *Kalendis Juliis* aedibus migrare solebant, nefastum illum diem fuisse arbitror, ita ut propterea isto die juri dicundo supersederetur. Et recte igitur hic dies inter *Senatorios* potuit referri, praesertim cum plerique dies sequentes essent sacrorum ludorumque caussa Apollinarium nefasti.

Vt vero illuc jam revertar, unde discessi longius, ad eandem prorsus rationem et aliis Scriptoribus facri dies dicuntur *religiosi*, uti LIVIO *Lib. XXXVII. cap.* 33. dies illi mense Martio, quibus moventur Ancilia, *religiosi* dicuntur, non quidem sensu proprio, nam *festi* erant, at *religiosi* quodam respectu, nempe, ut ipse exponit Auctor, *ad iter suscipiendum*; quem ad modum eadem horum dierum religio Salios, ne loco decederent; prohibebat, vid. *ibid.* Nuptiis quoque erant infausti,

ſti, teſte OVIDIO *Lib. III. Faſtor. vs.* 393. *ſq.* FESTVS quoque POMPEIVS dies *religioſos* fuiſſe habitos, ſcribit, quibus *circa Veſtalia* penus Veſtae aperiretur; vid. in *voc. Penus:* nempe ex quo die circa Veſtalia, quae celebrari ſolebant *A. D. V. Idus Jun.* penus Veſtae aperta eſſet, donec clauderetur, ſtercore delato, dies erant proprie ſacri; at *religioſos* dicit FESTVS, quod nuptiis eſſent alieni; vid. OVIDIVS *Faſtor. Lib. VI. vs.* 221. *ſq.* Vnum addam CICERONIS locum, non levi cura corrigendum: in *Epiſt. ad Quinctum fratrem* 4. *Lib. II.* Ita ſcribit: *de noſtra Tullia, tui mehercule amantiſſima, ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe. Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi; caeterum, qui confectum erat Latiar, erat exiturus.* Sic edidit JAC. GRONOVIVS, praefatus, ita Patrem veriſſime locum interpretatum eſſe atque compoſuiſſe in *Obſervat. Lib. IV. cap.* 25. MANVTII, LAMBINI aliorumque conjecturae variae non referam ſingulatim. Obſervat cl. GRONOVIVS *pag.* 387. *religioſos dies*, quorum meminit CICERO, aut ex numero quaternorum fuiſſe dierum, quibus feriae Latinae abſolvebantur, atque adeo ipſum ſacrificium biduo peractum fuiſſe; aut, quod verius exiſtimat, extra numerum atque alios fuiſſe fortuitos, ut in primis ſupplicationum, quem ad modum et *Epiſt.* 6. eisdem feriis ſupplicationes adjunctas fuiſſe, oſtendat CICERO; add. LIVIVS *Lib. XLV. cap.* 3. At ex neutro loco mihi ſatis apparet neque aliunde conſtat, ſupplicationum dies Latinis feriis aliquando additas: CICERO *loc. cit.* Conſulem Lentulum, ſcribit, dies Comitiales exemiſſe omnes, ut legibus perniocioſiſſimis, maxime Catonis, hac ratione obſiſteretur: *nam*, inquit, *etiam Latinae inſtaurantur; nec tamen deerant ſupplicationes*: quibus ſignificat verbis, non ſupplicationum dies feriis Latinis additos, ſed Lentulum, uti Comitiales dies eximiret, ne lege poſſet agi, edixiſſe Latinas inſtaurandas, tum quoque eundem in finem ſupplicationes a Senatu eſſe decretas. LIVIVS autem ita ſcribit: *ob eas res geſtas ductu auſpicioque L. Anicii Praetoris Senatus in triduum ſupplicationes decrevit, ut Latinae edictae a Conſule ſunt in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres:* forte legendum: *Senatus in triduum ſupplicationes decrevit, ut* ET *Latinae edictae a Conſule ſunt in ante quartum, et tertium, et pridie* ET *Idus Novembres:* non enim per *triduum*, ſed *quatriduum* Latinae celebrabantur; ſed obſtat, quod initio anni prius, quam

Consules aut Magistratus expeditionem susciperent, mense plerumque Martio ad finem vergente, Aprili vel Majo, aut ineunte Junio moris esset Latinas peragere, minime autem mense *Novembri*, ut hic habetur; quare nullus dubito, quin LIVII locus ex conjectura IAC. GRONOVII sit constituendus, ut nulla hic fiat mentio *Latinarum*; conf. cl. DRAKENBORCHIVS *ad loc. cit.* Non itaque supplicationes Latinis additas aliquando, novimus. An ergo cum V. D. *religiosos* dies istos apud CICERONEM ex numero quaternorum fuisse, arbitrabimur? minime: nam ipse TVLLIVS duos dies memorat, qui *post Latinas* habeantur religiosi. Ceterum CICERONIS locum, quo de agere institui, ita legendum arbitror: *de nostra Tullia*, —— *spero cum Crassipede nos confecisse: Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi; caeteroquin confectum erat:* negotium scilicet cum Crassipede quo minus confectum plane esset hactenus, ait, obstitisse duos dies *religiosos*, qui Latinas fuissent secuti: dies autem *religiosos* accipe, quibus religiosum esset, filiam elocare. Ultima autem illa *Latiar erat exiturus* ex glossemate inepto prorsus nata existimo: nempe verba CICERONIS *caeteroqui confectum erat* perperam Glossator referens ad *ferias Latinas*, quae proprie dicuntur *confectae*, quando peracto sacrificio in monte Albano solemnitati finis imponitur, exposuit: *Latiar erat exiturum.* Atque ita in his aliisque Scriptorum veterum locis quosdam dies *religiosos* aliquando appellari videmus, quodam tantum respectu, quod iis religiosum esset seu nefas hoc aut illud facere.

§. 7.

Religiosi fuerunt, ut obiter supra animadvertimus, apud Romanos quidam dies appellati, nuptiarum in primis caussa. Teste MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 15. *Kalendas*, *Nonas* atque *Idus* cujuscumque mensis *religiosas*, id est, uti recte interpretatur, *devitandas* censuerunt *nuptiis copulandis;* hos enim omnes dies, praeter *Nonas*, feriatos esse; cum autem feriis vim cuiquam fieri piaculum sit, ideo tunc vitari nuptias, in quibus vis fieri videatur virginibus. *Sed*, ait continuo, VERRIVM FLACCVM, *juris Pontificii peritissimum*, *dicere solitum*, *refert* VARRO, *quia feriis veteres tergere fossas liceret*, *novas facere jus non esset*, *ideo magis viduis*, *quam virginibus*, *idoneas esse* feri-

ferias ad nubendum. Cum ſcribit MACROBIVS hoc loco a VARRONE hanc in rem VERRIVM FLACCVM laudari auctorem, vel ipſe erraverit, neceſſe eſt, vel Librariorum potius culpa corruptus videri debet. VERRIVS etenim, Grammaticus celebris, neque tamen juris Pontificii rudis, ſiquidem et *Faſtos*, a ſe ordinatos, Praeneſte marmoreo parieti incidendos curavit, et alia ſcripſit de *jure Romanorum Pontificio*, ut colligas ex MACROBIO *Lib. I. Saturn. cap.* 4. VARRONE fuit aetate poſterior aliquanto, neque adeo teſtis ab hoc citari potuit, ut dudum animadvertit doctiſſ. POPMA *ad Caton. de R. R. cap.* 2. ipſum hoc nomine notans *Saturnalium* Auctorem, ratusque, eum VERRIVM laudaſſe pro FVLVIO FLACCO, qui Flamen fuit Martialis et ſemel iterumque citatur a VARRONE in *Libr. de LL.* contra cl. BVRMANNVS in *Addend. ad Sueton. Tom. II. pag. fin.* pro peccato habet Librarii, qui, ubi ſaepius a MACROBIO auctoritatem VERRII vidiſſet adductam, ipſum et hoc in loco, ob commune utriusque cognomen, pro FVLVIO repoſuerit. Sed vero, cum FVLVIVS ille, qui *Faſtos* in aede Herculis Muſarum poſuit, vid. MACROBIVS *Saturn. Lib. I. cap.* 12. nusquam cognomine *Flacci*, at ſimpliciter *Fulvius* aut *Fulvius Nobilior* nominari ſolet et difficile eſt, MACROBIVM hac in cauſſa erroris ſuſpectum habere, neſcio, an non rectius ac minori mutatione ita legamus: *ſed* VERRIVS FLACCVS, *juris Pontificii peritiſſimum* VARRONEM *dicere ſolitum*, *refert:* ita ut VERRIVS ſua deſcripſerit ex VARRONE, quem et alias prohibitarum hujusmodi ob feriatos dies nuptiarum cauſſas commentum fuiſſe, patet ex PLVTARCHO loc. *mox citand.* Cur vero *Nonae*, licet feriae non eſſent, nuptiis fuerint alienae, hanc MACROBIVS noſter in aperto cauſſam ait: *quia primus nuptiarum dies verecundiae datur, poſtridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipiſci et rem facere divinam: omnes autem poſtridiani dies —— ex aequo atri ſunt: ideo et Nonas inhabiles nuptiis eſſe dixerunt, ne nupta aut poſtero die libertatem auſpicaretur uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas eſt ſacra celebrari.* Hoc itaque ex loco docemur, atris diebus nuptias contrahi religioſum fuiſſe, neque tantum diebus poſtridianis, qui decreto Pontificum tales judicati fuerant, ſed quibusvis etiam aliis, uti ex FESTI *Schedis* in *voc. Nonarum* patet, ita recte ſuppletis ab SCALIGERO: *Nonarum*, *Iduum*, *Kalendarum poſtridie*, *item ante* IIII. *Kalendas*, *Nonas*, *Idus novae nuptae*

 tem-

tempus atrum illucescere, observatum est; quoniam atri hi dies esse judicati sunt decreto Pontificum. Cum dicit *hi dies* nolo, referas ad utrosque, non enim nisi dies postridiani Pontificum decreto atri esse judicati sunt, ut jam supra docuimus.

Verissima vetitarum nuptiarum, *Nonis* contractarum, caussa refertur, nempe, quod religiosum esset, postero nuptiarum die novam nuptam dominium auspicari et rem divinam facere, cum diebus atris nihil negotii novi suscipere aut sacrificare, fas esset. At vero cur *Kalendae*, *Idus*que nuptiis censebuntur alienae, an quod feriati dies essent, ut vult MACROBIVS? equidem responderim potius, eandem et hic obtinuisse caussam, quae modo prolata est de diebus *Nonarum*, nempe *Kalendas* quoque et *Idus* ideo fuisse inhabiles nuptiis copulandis, *ne nupta aut postero die libertatem auspicaretur uxoriam, aut atro immolaret.* Quod vero ad feriarum dies, hisce omnibus quare virginibus ominosae, non item viduis, nuptiae fuerint existimatae, varias produxerunt caussas, sed nullam, ut puto, satis probabilem ac sanam: utraque illa, quam MACROBIVS produxit, quod *vis fieri videatur virginibus*, cum feriis vim cuiquam fieri, esset piaculum, aut ideo, quod, ut VARRO commentus est, *feriis veteres tergere fossas liceret, novas facere jus non esset*, conf. COLVMELLA *de R. R. Lib.* II. *cap. ult.* infirma est, posterior etiam jocosa magis videtur, quam ex animi sententia a doctissimo homine profecta. Alias tres caussas, quare non nubant feriis virgines, proposuit PLVTARCHVS in *Quaest. Rom.* §. 103. ac primo ex VARRONE, quia virgines tristes, viduae lubenti hilarique animo nubant, cum tamen festo die nil, nisi volenti laetoque animo, sit agendum, ideo virginibus nuptias ominosas censeri, non vero item viduis: at non video, qui possit placere, cum ex aequo, imo forsitan magis impetus amoris ac votum nuptiale virgines agat intactas, quam viduas, Venerem ante expertas. Deinde ait: an ideo potius feriis nuptiae virginibus sint vetitae, quod his pulcrum sit ac decorum, magna populi comitante frequentia domum duci a sponsis, quod idem viduis sit dedecori? festos autem dies homines ad sacra avocare, ne possint nuptiarum celebritati interesse: at hanc caussam priori fere contrariam dixerim: quaero etenim, quo tandem modo, si invitae ac tristes, ut ante dixit, virgines nubant, potuerit illis decorum haberi, magna populi comitante caterva

terva nubere, idemque contra viduis, vota, ut ait, hilari animo celebrantibus, indecorum? cum laeta quaevis lucem ac populi conſpectum turbamque hominum ament, triſtia vero oderint eadem atque abominentur et fugiant. Neque verum omnino eſt, quod addit Chaeronenſis, feſtivitatem dierum ſacrorum non pati, ut hominum multitudo celebrandis nuptiis interſit; contra potius obtinuiſſe magis videtur; feſti enim dies et feriae, uti nunc etiam, ſic et olim, maxime apud Romanos, fuere otioſi, quibusque ab omni opere abſtinere ſoliti erant, ut adeo curioſis liceret negotiorum omnium vacuis nuptiarum celebritati intereſſe. Tandem tertio quaerit, an, quia feſto die raptis quondam Sabinis virginibus, unde bellum cum finitimis exortum, religioſum poſtea fuerit illis, nuptias feriatis diebus auſpicari? verum quis contendat, has inter virgines nullas fuiſſe Sabinorum etiam uxores, quas ſpectatum Ludos veniſſe Romam, ex LIVIO *Lib.* I. *cap.* 9. conſtat; imo quis non dixerit potius, inde, quod virgines Sabinas feſto die rapuiſſent Romani, poſtea nuptiis, cum virgine feſto die copulandis, bonum cepiſſe omen ex proſpero quondam rei ſucceſſu atque eventu? Quare igitur, miſſis veterum ineptiis, veram, aut ſaltem vero ſimilem rei cauſſam inveſtigemus. Exiſtimo, religioſiores Romanos olim, quo magis caſte et corpore puro Deos venerarentur, feſtis diebus coitu abſtinuiſſe, quod et jure Canonico fuit prohibitum, vid. *Decretor. Pars* II. *cauſſ.* XXXIII. *Quaeſt.* 4. cum itaque ominoſum eſſet infauſtumque habebatur Romanis feſto die cum uxore ſua coire, hinc, ne infauſto omine auſpicarentur nuptias, feriatis diebus devitare ſolebant virgines, melioribus uſae ominibus: at viduae vero, quarum nuptiae opinione vulgi minus habebantur laudatae minusque honoratae & ominoſae, ſibi facile perſuadebant, in re minus auſpicata ſeſe optimis ominibus carere poſſe: atque hinc religione et moribus paullatim introductum puto, ferias virginibus hac cauſſa alienas, viduis vero non inhabiles exiſtimatas fuiſſe. Caeterum, quod feriae virginum nuptiis religioſae fuerint, eo pertinere etiam arbitratur ANT. HOTMANNVS *de vet. Rit. Nupt. cap.* 13. illud VARRONIS ex *Augurum Libris* apud MACROBIVM *Lib.* I. *Saturn. cap.* 16. *viros vocare feriis non oportet: ſi vocavit piaculum eſto:* ſed errat procul dubio vehementer; nihil enim illud ſpectat

nuptias, ſed *comitia* aliasque populi conciones, ut vel ex ipſo MACROBII loco conſtat, conf. VARRO *de L. L. Lib.* V. cap. 9.

An vero omnes omnino feriae feſtique dies nuptiis alienae fuerint, ut MACROBIVS videtur affirmare ex VERRIO, ſententiam VARRONIS ſequuto (falſo NEAPOLIS *ad Ovid. Faſt. Lib.* II. *vs.* 557. obſervat, ſolum VERRIVM, idque non futili ratione, apud MACROBIVM *l. l.* contendiſſe, ferias minime religioſas nuptiis fuiſſe; cum plane contrarium aperte docet) mihi nondum certo conſtat: nam colligas ex OVIDIO, cum hic illic nominatim quibusdam feſtis diebus nuptias docet prohibitas fuiſſe, non ſemper feſtivitatem aeque obſtitiſſe, quo fierent minus: menſe enim toto Januario nihil de nuptiis non celebrandis cavet; menſe Februario, ubi incidebant feſti Feralium dies, ominoſae habebantur, vid. *Lib.* II. *Faſtor. vs.* 555. ſqq.

Poſtea praeteriti tumulis redduntur bonores;
Prodigiisque venit funeribusque modus.
Dum tamen baec fiunt, viduae ceſſate puellae;
Exſpectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces et ab ignibus atris
Aufer; babent alias moeſta ſepulcra faces.

Viduis igitur non minus, quam virginibus quod atri infauſtique habebantur illi dies, Feralia ad nubendum religioſa fuerunt. Non adverſatur OVIDIO, ut credidit BRISSONIVS *de Rit. Nupt. p. m.* 10. atque ex eo HOFFMAN *de Die ac Nocte Nuptiali cap.* 1. §. 4. quod CICERO *Lib.* II. *ad Quinct. Fr. Ep.* 3. ſcribit *Pridie Idus* in Pomponii *nuptiis* ſe coenaturum eſſe: ſerius enim aliquanto incidebant feralia, ut alibi accuratius de *Feralium* diebus diſputaturus oſtendam.

Menſe *Martio* inauſpicato fiebant nuptiae feſto *Anciliorum*: quo pertinet OVIDII locus *Lib.* III. *Faſt. vs.* 393. *ſqq.*

Nu-

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ; habent parvae commoda magna morae.
Arma movent pugnam; pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint aptius omen erit.

An vera haec caussa fuerit, prohibitarum hisce diebus nuptiarum, quam prodit Poëta aliique ex eo probarunt, parumper addubito: nam, quod arma moverentur, inde rectius suo ingenio hos dies nuptiis auspicatos fuisse, dicendum fuisset atque adeo cecinisset in *Arte amandi.*

Arma movent pugnam; non est aliena maritis
Pugna; sed assiduo conjuges arma movent.

saepius enim atque eleganter Martis Venerisque comparat inter se palaestras. Quin, quo minus probes, ideo inauspicatas fuisse nuptias his diebus, quod arma moverentur, observandum est, dies, quibus ancilia circumferebantur per urbem, nequidem proeliares fuisse, ut ex LIVIO patet *Lib.* XXXVII. *cap.* 33. SVETONIO in *Othone cap.* 8 et TACITO *Histor. Lib.* I. *cap.* 89. Crediderim potius, id tempus, quo arma movebantur, religiosum quodam modo habitum opinione ac superstitione veteri, nempe, quod regnante Numa pestis, per omnem Italiam vagata, Romam quoque vastasset, eaque res, perculsis civibus, et pelta aenea coelitus ad salutem urbis delapsa, Regi in caussa fuerit, hujus festi instituendi vid PLVTARCHVS in *vit. Numae Tom.* I. *pag.* 148. ac propterea etiam piamina videntur hoc festo adhibita, vid. OVIDIVS *Lib. cit. vs.* 285. *sqq.* Quot autem per dies Romani celebraverint festum solemne Ancilium, plane non convenit: DIONYSIVS, PLVTARCHVS, alii mensem omnes *Martium* nominant, at nemo certos definit dies; unus tamen POLYBIVS in *Excerpt. Legationib. cap.* 23. τριακονθήμερον fuisse festum Saliorum, significat, scribens, ita obtinuisse, τριακονθήμερον μὴ μεταβαίνειν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θυσίας, ἐν ᾗ ἂν χώρᾳ καταληφθῶσιν οἱ Σάλιοι οὕτοι *ut, quocumque in loco fuerint deprehensi salii tempore ejus solemnitatis, ex eo ne decederent Spatio triginta dierum.* In *Fastis* autem *Maff.* aliisque vetustis nulla prorsus festi hujus mentio, nisi quod uni *Fasti Constanti-*

ani

ani referant ad *A. D.* VII. *Id. Mart.* ita notatum: ARMA ANCILIA MOVENT. deinde autem *A. D. prid. Idus* notantur MAMVRALIA, qui ultimus feſti dies fuit, quo condebantur ancilia; ut adeo ſex diebus conficeretur celebritas. Denique CHARISIVS *Inſtitut. Gramm. Lib.* I. *pag.* 62. extendere videtur ad *Quinquatrus*, ubi *Quinquatrus*, ſcribit, *a quinquando, id eſt, Luſtrando, quod eo die arma ancilia luſtrari ſint ſolita.* Sed duplici tenetur errore, cum origo denominationis non ſit a *quinquando*, tum etiam, quod arma ancilia eo die luſtrata, referat: non *ancilia*, ſed *tubae* quinto ſeu ultimo die Quinquatruum, id eſt *A. D.* x. *Kal. April.* luſtrabantur, unde is dies *Tubiluſtrium* appellatus. Ex hac veterum diſcordia, mirum non eſt, recentiores quoque inter ſe diſſentire: SELDENVS *de Vxore Hebr. Lib.* II. *cap.* 22. OVIDIO *A. D.* V. *Non.* feſti initium reponi arbitratur, itaque et alii, tanquam Poëta id conjungat cum *occaſu Piſcis vs.* 398. ſed magis inde patet, feſtum Anciliorum iſtum diem praecedere, quare NEAPOLIS ad *vs.* 259. rectius primum feſti diem ex OVIDII mente ſtatim poſt *Kalendas Martias* collocandum cenſuit: ampl. autem CVPERVS in *Obſ. Lib.* IV. *cap.* 2. *p.* 19. quem ſequitur doct. GVTBELETHVS *de Saliis pag.* 84. ſi verba OVIDII bene perpendantur, exiſtimant, facile pateſcere, initium fuiſſe ſolemnitatis *ipſas Kalendas*, quod et HADR. IVNII *Faſti*, quique vulgo OVIDIO praefiguntur, probent. At *Faſti* illi *Iuniani* non ſunt vetuſti, ſed ab ipſo V. D. concinnati et compoſiti, nihilque adeo auctoritatis habent, quo poſſit vir ampl. provocare, et ſaepius iidem Faſti ferias feſtosque dies loco alieno referunt: ſic et iisdem *Kalendis Mart.* collocant *Quinquatrus Minervae*, cum tamen id feſtum, omnium conſenſu *Faſtorum* veterum atque Auctorum, inciderit *A. D.* XIV. *Kal. April.* Quod vero ad *Faſtos* illos, qui vulgo OVIDII editionibus praeponuntur, his equidem parum aut nihil facile tribuerim fidei: manu enim imperita ex ipſis OVIDII *Faſtis* id *Kalendarium*, ut vocant *Ovidianum*, compilatum eſt, variisque erroribus inquinatum. Habuit etiam ejusdem *Kalendarii* codicem manu exaratum I. G. GRAEVIVS, in quo ad *Kal. Mart.* verba illa *Ancilia feruntur*, quae in vulgatis exſtant editionibus, deſiderantur: vid. GRAEVIVS *Praef. Tom.* VIII. *Theſ. Antiq. Rom.* Quare, ut in re dubia incertaque dicam, quod ſentio, crediderim, ipſos Salios per integrum hunc menſem, demto uno die Kalendarum, potiſſimum pro-

procurasse, quae ad ipsorum collegium pertinebant: atque adeo, licet festum movendorum ancilium diebus paucioribus absolveretur, recte tamen POLYBIVM scripsisse, non licuisse Saliis τριακονθήμερον μὴ μεταβαίνειν, ἐν ᾗ ἂν χώρᾳ καταληφθῶσιν *decedere ex eo loco, quocumque fuerunt deprehensi:* eximie rem illustrat firmatque sententiam nostram LIVIVS *Lib.* XXXVII. *cap.* 33. ubi Polybiana exprimens fere, refert Romanos stativa ad Hellespontum aliquamdiu habuisse, *quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter inciderant* (intelligo dies tantum *sex ipsius festi*, inde ex *A. D.* VII. *Id.* usque ad *A. D. prid. Id.*) tum mox addit, P. Scipionem, *propiore etiam religione*, quia Salius erat, iisdem diebus *ab exercitu disjunctum:* nempe, ut ex POLYBIO colligas facile, ac LIVIO, Romanus exercitus Helespontum transierat in Asiam initio mensis Martii, cum iam P. Scipioni, quod Salius erat, non licebat loco decedere, ac propterea mansit in Europa: deinde, exercitu Hellespontum trajecto, festum seu dies incidunt ancilium movendorum, quibus non fas erat bellum attingere, eaque de caussa *stativa ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt*, quia religiosum esset iter suscipere: dies illi fuerunt numero tantum sex: his vero exactis *pridie Idus*, exercitu religione jam soluto, nihil tamen eorum, quae res postularet, potuit geri, dum exspectatur adhuc Scipio, qui Salius quod erat, trans mare tenebatur morari ad finem usque mensis. Haec si observes, que ex rerum serie apud laudatos Auctores facile conficias, pulcre cuncta redibunt in concordiam. Distinguamus *dies*, ut ita appellem, *Saliares*, quales, teste POLYBIO, erant triginta, quibus non licebat Saliis loco decedere, et *dies festos Ancilium movendorum*, quales tantum sex fuerunt, qui religiosi erant omnibus Romanis & ad iter suscipiendum, & ad nubendum: OVIDIVS dies respiciens saliares aliaque intermiscens hic illic, quae propius festum Ancilium spectant, initium ponit *postridie Kalendarum Mart.*

Id colligere est, quod ipsis Kalendis celebrarentur *Matronalia*, de queis agit Poëta *vs.* 167. *sq.* deinde autem continuo post *vs.* 259. incipit canere de Saliis, de eorumque institutione agit usque ad *vs.* 398. ac tum *vs. sq.* scribens:

Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes,
Conditus e geminis piscibus alter erit.

occasum alterius piscis referens *A. D.* v. *Non.* aperte satis significat, Saliares dies pridie ejus dici, seu postridie Kalendarum initium sumsisse. In *Fastis* autem *Lambecianis* singulatim festum Ancilium notatur, per sex celebrari dies solitum inde ab *A. D.* VII. usque ad pr. *id. Idus Mart.*

Pergo ad alia. Vnus Auctor est PORPHYRIVS Scholiastes *ad Horat. Lib.* II. *Ep.* 2. *vs.* 209. *Majo*, inquit, *mense religio est nubere, & item* MARTIO, *in quo nuptiis* (leg. *de nuptiis*) *habito certamine a Minerva Mars victus est; obtenta virginitate Minerva Nerine est appellata.* Nullus equidem credo hic Scholiastae: namque fabula, quam refert, aliunde est incognita, ac sane, quod innuit, eam ob rationem totum mensem nuptiis inhabilem existimatum, contra ex OVIDIO apparet *loc. supr. cit. vs.* 396. conditis armis, id est *post prid. Idus*, scribens aptius omen nuptiis futurum. *Neriene* (non *Nerine*, ut apud Scholiasten exaratur,) Minervae cognomentum si fuit in M. VARRONIS *Satyra Menippea* apud GELLIVM *N. A. Lib.* XIII. *cap.* 22. sine copula legerim potius *Nerienes Minerva* vel *Te, Nerienes Minerva.* Minerva a virtute ac fortitudine *Neriene* recte appellari potuit, uti & Bellona, Martis soror vel uxor potius, eodem cognomento dicta est: vid GELLIVS *loc. cit.* & DEMPSTERI *Paralipom. ad Rosin. Lib.* IV. *cap.* 10.

Sequitur *Aprilis*, qui mensis Veneri sacratus nuptiis videtur auspicatissimus fuisse: at contra *Majus* ob *Lemuralia* totus religiosus nuptiis videtur habitus, teste Scholiaste Horatiano, *loc. cit.* ubi scribit: *& putant Lemures esse dictos, quasi Remures, a Remo; cujus occisi umbras frater Romulus cum placare vellet, Lemuria instituit, id est Parentalia, quae mense Majo per triduum celebrari solent, ante additum anno mensem Februarium, ob quam rem mense Majo religio est nubere.* Verba: *ante additum anno mensem Februarium* posterioris scholiastae glossema esse suspicor: certe & Lemuria, post additum anno Februarium, per tres dies mense Majo celebrari solita, tum ex OVIDIO, aliisque scriptoribus, tum ex *Fastis Marm.* satis constat. Caeterum doctiss. SELDENVS *in Vxore Hebr. Lib.* II. cap.

cap. 22. non per totum quidem menſem, ſed per *Lemuralium triduum*, *ſeu dies* IX. X. & XI. menſis Maji, nuptiis inauſpicatum tempus fuiſſe, ex OVIDIO colligit *Faſtor. Lib. V. vs.* 485. *ſqq.*

Fana tamen veteres illis clauſere diebus,
Vt nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduae taedis eadem nec virginis apta
Tempora: que nupſit non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malas Majo nubere, vulgus ait.

Perperam SELDENVS, deceptus voce *tridui* apud Scholiaſtem, quem obiter ſupra notavi, Lemuria refert in *dies* IX. X. & XI. cum per tres quidem dies, non vero inter ſe continuos, celebrata ſint, nempe *A. D.* VII. V. & III. *Id. Maj.* ſeu diebus IX. XI. & XIII. ſic autem intelligo OVIDIVM, ut primo quidem ſpeciatim propter infauſtum tempus, Lemurium cauſſa, per *tres dies illos*, ſignificet, inauſpicato nuptias contrahi; ac praeterea vulgo etiam totum menſem nuptiis alienum fuiſſe, eoque ſpectare vulgare proverbium *menſe Majo malas nubere:* ſic pariter de univerſo menſe idem affirmat PLVTARCHVS (non item SEX. POMPEJVS, quem citat HOFFMAN in *Diſcurſ. cit. pag.* 12. oſcitanter deſcribens & compilans BRISSONIVM,) in *Quaeſt. Rom. cap.* 85. ubi & in rei rationem ſuo more inquirit: an infauſtus ſit nuptiis ille menſis, quod medio loco inter Aprilem & Junium, quorum ille *Veneri*, hic *Junoni* ſit ſacer, Numinibus matrimoniorum. Tutelaribus. Ad quem locum notat BOXHORNIVS, in eo falli, quod *Junium Junoni* adſcribat, cum teſte veteri *Kalendario* (*Faſtis Ruſticis Farneſian.*) *Mercurius* Deus Tutelaris ſit menſis Junii, PLVTARCHVM vicinitate nominum *Junii* & *Junonis* deceptum, ac proinde hanc ejus rationem non habere locum. Sed fruſtra omnino & falſo culpat vir doctus Auctorem ſuum; diverſa enim ſunt *menſem Deo Sacrum* eſſe & in alicujus Dei eſſe tutela: Januarius ſacer erat Jano, ſed in tutela Junonis; atque ita Junius menſis, in tutela quamvis Mercurii, Junoni tamen erat dicatus. Caeterum quod propterea menſem Majum

 nu-

nuptiis inhabilem suspicatur PLUTARCHVS, quod medius inter Aprilem & Junium sit, caussa est plane nulla; uti neque probabilis ratio videtur, quam tertio loco ponit, an ideo potius fuerit is mensis religiosus, quod *Majus* ab *majorum*, *Junius* autem ab *juniorum* aetate nomen habeat, cumque nuptiae magis conveniant juventuti, ideo non contrahi mense Majo, sed in sequentem continuo differri. Nihil autem magis sit vero simile, quam, quod medio loco dixit PLVTARCHVS, propterea nuptiis inauspicatum fuisse Majum, quod isto mense plurimae fierent expiationes, νῦν μὲν εἴδωλα ῥιπτοῦντες ἀπὸ τῆς γεφύρας εἰς τὸν ποταμὸν, πάλαι δὲ ἀνθρώπους. quibus significat, sua adhuc aetate ea de caussa obtinuisse, uti in vetusti moris effigiem hominum imagines de ponte in flumen dejicerent, cum olim ipsos homines lavandi expiandique aqua fluviali mergere consuevissent: quum, addit, eandem ob rationem & Flaminicam tetricam esse oporteat lavacroque & omni ornatu abstinere; aut denique, quod multi Latinorum isto mense mortuis parentare soliti sint. Quae singula probant, mensem Majum antiquitus vulgi opinione, extensa superstitione, nuptiis propter piamina religiosum esse habitum, uti eadem de caussa & mense Februario dies Ferales non tantum nuptiis copulandis fuerunt inauspicati, ut jam supra diximus, sed integer quoque mensis propter februa, quae fierent, videtur inutilis fuisse matrimoniis rite ineundis.

Junium mensem aptissimum nuptiis fuisse, ex OVIDIO monet HOTMANNVS *de vet. Rit. nupt*, *cap.* 13. BRISSONIVS autem strictius paullo, conjugio aptissimum fuisse tempus asserit, quod Idus Junias sequeretur, ita ut mense isto, nisi post Idus, quemquam nuptiis copulari, fuerit religiosum: conf. HOFFMANNVS *Discurs. cit. pag.* 19. Locus OVIDII, quem intendunt, hic est *Lib. VI. Fast. vs.* 222. *sqq.*

Est mihi, sitque, precor, nostris diuturnior annis,
Filia, qua felix sospite semper ero.
Hanc ego cum vellem genero dare, tempora taedis
Apta requirebam, quaeque cavenda forent.
Tum mihi post sacras monstratur Junius Idus.
Vtilis & nuptis, utilis esse viris.

Pri-

Primaque pars huius thalamis aliena reperta est:
Nam mihi sic conjux sancta Dialis ait.

Hactenus
ANIMADVERSIONUM FRAGMENTA.

Reliqua omnia in schedis vel tumultuosius adnotata, vel affecta, vel bis terue, alieno tamen saepe loco, perturbataque oratione sic repetita fuerunt, vt, quid aliunde decerpserit, quid probarit, quid edendum censuerit huius libri auctor, interdum vix cogitatione assequi possem. Vel sic tamen quicquid inordinati vel de mensibus & diebus nuptiarum celebritati opportunis, inimicisue, de ominosis quibusdam diebus, Fastis Nefastisque priore, de Intercisis, ipsisque per totum annum Sacris, Ludisque solennibus, in Kalendario notatis, passim superesse cognoui, id totum ad suos velut loculos, hoc est partim ad ipsius libri seriem continuationemque, partim ad nominum a VAASSENIO *subinde factorum dissoluendam fidem quomodocunque pertinere videbantur, reuocaui: illudque Observationum genus* Supplementorum, *hoc* Analectorum, Emendationum*que titulo comprehendendum esse putaui.*

Ipsius libri SUPPEMENTA *haec sunto:* SAX.

(I.) Nuptiis quoque ineundis, praeterquam omnes ferias, teste *Macrobio* I. *Sat.* 15. dies atri maxime habebantur infausti. Ea de re notasse aliquid videtur *Festus* voc. *Nonarum*, loco tamen minime sano, cui

cui adeo lubenter operam nostram impendemus. In libro, qui *Festi* nomine circumfertur, trium habemus praecipue Grammaticorum veterum de verborum significatu obseruationes mixtas *Verrii Flacci*, quem *Festus* compilauit, ipsiusque *Festi* expositiones, & *Pauli* cuiusdam hominis inficeti, qui vtrumque interpolando commaculauit plurimum. vid. celeberrimum Iuris Antecessorem, quondam Praeceptorem meum in Iure Quiritium, nunc Amicum aestimatissimum in *Dissertatione de Ara Junonis*, docta hercle et eleganti, p. 11. a quo viro maxima etiam spes affulget, fore, vt propediem multo emendatiorem, doctissimisque Obseruationibus vtriusque viri clarissimi Patris atque Filii *Cannegiteri* locupletatum habeamus *Festum*. Sed de loco *Festi* videamus. Jta ex eo PAULUS. *Nonarum, Jduum, Kalendarum posteri dies, nuptiis alieni habentur, quoniam hi dies decreto Pontificum atri iudicati sunt: quod quotiescunque Romani duces belli gerendi gratia his diebus supplicauerunt, male rempublicam gessere.* FESTUS autem, cuius paucissima tantum supersunt verba in Fragmento *Farnesiano* ex supplementis *Scaligeri: Nonarum Iduum Kalendarum postridie, item ante D. III. Kal. Non. Idus nouae nuptae tempus atrum inlucescere obseruatum est, quoniam atri hi dies esse iudicati sunt decreto Pontificum, quod quotiescunque* &c. In PAULO quidem pro *nuptiis alieni* mallem *negotiis alieni.* nihil enim atro die negotii incipere licebat. quae sequuntur verba quibus atrorum dierum institutorum caussam refert & originem, ille ex *Festo*, *Festus* autem ex *Verrio Flacco* hausit, cuius verba sunt apud *Gellium* L. V. c. 17. Cum vero ex vestigiis, qvae in *Festi* schedis supersunt, colligitur de novis nuptis, vel nova nupta aliquid memoratum fuisse, poterit illud *nuptiis alieni* seruari. Ast quod *Scaliger* supplet in Festo: *item* NOVAE NUPTAE *ante diem IIII. Kalendas, Nonas, Idus, diem* ATRUM INLUCESCERE &c. id minus certum arbitror. Etenim dies ante D. IIII. Kalend. Non. Idus non publice recepti fuerunt dies atri, sed teste MACROBIO, qui ea videtur hausisse vel ex GELLIO, vel ex CASSIO HEMINA, aut teste GELLIO, *Noctium Atticarum* Scriptore, ex VERRIO FLACCO, *plerique* scilicet ex privata superstitione *vetabant*, neque vllam eius rei causam proferunt, nisi quod, vti ex coniectura videntur scribere, *Claudius Quadrigarius* cladem Cannensem ante D. IIII.

No-

Nonas Sextiles accidisse memoriae prodiderit. Quare ita forte supplendus FESTUS & legendus PAULUS: *Nonarum, Iduum, Kalendarum posteri dies negotiis alieni habentur, quoniam decreto Pontificum — — — rem publicam gessere. item novae nuptae postridie atrum diem inlucescere observatum est.*

(II.) *Numerus dualis an infaustus apud Romanos?*

Operae pretium est Graecorum quorundam audire nugas de numero duali apud Romanos infausto, inauspicato, & obscoenissimi, ut putant, ominis, quae qualescunque sint, virum tamen in re literaria summum, *Claudium Salmasium* a vero abducere potuerunt tramite. Vetus Auctor de Romanorum mensibus, quem citat *Salmas. Epist. CXXIV. pag.* 285. Τὴν μὲν οὖν νουμηνίαν ἔλεγον Καλένδας· τὴν δὲ δευτέραν τοῦ μηνὸς πρὸ τεσσάρων ἢ πρὸ ἓξ, ὡς εἴρηται, Νονῶν· ἔστω δὲ παράδειγμα, ὥσπερ ὅταν πεμπταῖαι ὦσιν αἱ Νόναι· τὴν δὲ τρίτην, πρὸ τριῶν Νονῶν, τὴν δὲ τετάρτην, πρὸ μιᾶς Νονῶν, διὰ τὴν ἀποφράζεσθαι τὴν δυάδα.

Similiter Johannes Lydus apud *Photium*, in *Bibliotheca*, Παρ' Ἰταλοῖς, scribit, ὁ δυικὸς ἀριθμὸς ἀποφράζεται· σεκοῦνδον δὲ αὐτὸν ὀνομάζουσιν, οἱονεὶ εὐτυχῆ πατρίως, κατ' εὐφημισμὸν, ὡς Εὐμενίδας, καὶ Ἀδραστείαν, καὶ Πάρκας κατ' αὐτοὺς τὰς μηδενὸς φειδομένας Μοίρας.

Quibus addo tertium locum, a *Salmasio* praetermissum, qui tamen rem ipsam pro Salmasii sententia uberius exponit, Joannis Tzetzae Chil. χ. Hist. τγ.

Ἦσαν καὶ ἀποφράδες δὲ τοῖς παλαίοις ἡμέραι
Ἐν αἷς τι συνέβησαν θλίψεις καὶ περιστάσεις·
Ὡς τοῖς Ῥωμαίοις πώποτε τοῖ σαινωτέρω χρόνοις;
Ὁπότε ἀπερχόμενοι πρὸς πόλεμον καὶ μάχην,
Ἔπισον τριακόσιοι τοῦ γένους τῶν Φαβίων.
Ὅτε καὶ πύλην ἔκλεισαν, καθ' ἣν ἐξῆλθον οὗτοι
Καὶ τὴν ἡμέραν ταῖς λοιπαῖς ἡμέραις οὐκ ἠρίθμουν·
Ὥσπερ καὶ ἔθη ἕτερα δὲ ἄλλας περιστάσεις;

Τὰς

Τὰς ἃς ἡμέρας ταῖς λοιπαῖς οὐκ ἔταττον ἡμέραις,
Ἔλεγον δὲ τὰς πρὸ αὐτῶν, καὶ μετ' αὐτὰς ἐν κλήσει.
Ἐκείνας οὐκ ἠρίθμουν δὲ τῶν ἡμερῶν τῇ κλήσει,
Ἀλλ' οὕτως ἔλεγον τυχὸν τρίτη καὶ μετ' ἐκείνην,
Ἡ πέμπτη, ἕκτη, καὶ λοιπαὶ, καὶ μετ' ἐκείνην πάλιν
Οὕτως οὐ κατωνόμαζον τότε τὰς ἀποφράδας,
Ἀλλ' ἢ πρὸ τῆς δὲ ἔλεγον ταύτας καὶ μετ' ἐκείνην
Οὕτω τὴν ἀποφράδα μὲν οἶδας λαβοῦσαν κλῆσιν.

Hoc quoque Tzetzes explicuit, ut Ovidius, non quod re vera illi fuerint cladium dies, ſed quod ex infauſto ſacrificio, proſtridie habito, illi dies cladium, proximo proelio acceptarum, exſtiterint cauſſae.

Sed ille dies, quo Fabii ad Cremeram caeſi, poſtea demum occaſione cladis Allienſis, in atros eſt relatus, ut alibi notavi.

Quod vero dicit dies illos atros, inter reliquos non computatos, id credo vult, quod numerali nota non ſcribebantur, ſed vocabantur *poſtridie*, non enim eximebantur dies atri numero reliquorum dierum.

Quod igitur ad duo priores attinet dies, *dualem numerum* Latinis dicunt fuiſſe infauſtum & ominalem, ac proptera κατ' εὐφημισμὸν dixiſſe *ſecundum*, quaſi *felicem*, eandemque volunt ob rationem, in diebus menſium computandis nunquam dixiſſe, *ſecundo Kalendas*, *ſecundo Nonas*, *ſecundo Jdus*; ſed ejus loco, ne ſecundum nominarent, *pridie Kalendas* & ſic porro. Originem vero & cauſſam dualis numeri apud Romanos damnati ill. Salmaſius, tum in *Epiſt. cit.* tum quoque in *lib. de Annis Climact. pag.* 823. repetit, quod *atri*, id eſt infauſti Romanorum dies fuerint *ſecundi*, ſcilicet a Kalendis, Nonis & Jdibus, qui primi ſint, quodque adeo illos dies Kalendarum, Nonarum & Jduum *ſecundos*, qui nefaſti haberentur & ominoſi, ne quidem nominare voluerint in praecedentibus Kalendas Nonas & Jdus diebus.

Miror ſane magnum virum hisce Græcorum delirantium ſomniis adeo implicatum fuiſſe, ut verum cernere, quamvis acri ingenio præditus, non quiverit. Quod ad numerum dualem, nullam equidem video cauſſam, quare is numerus prae reliquis numerorum paribus fuerit Romanis infauſtus habitus: par numerus in genere erat infelix, inpar fauſtus: unde illud: *nume-*

mero Deus impare gaudet: hinc quia imperfectus esset omnis par numerus, teste *Plutarch.* in *Quaest.* mali quodammodo ominis forte dualis numerus est quoque habitus; atque inde forte *alter* explicandum est apud Festum pro *non bono*, *adverso*, & *malo*. Non omni tamen in re imperfectum numerum ac praecipue dualem fuisse pro infausto habitum ex eo patet, quod *duo* fuerint *Consules*, *duo Censores*, aliisque multis in rebus duali numero usi sint Romani.

Quod autem dicunt Graeculi mali caussa ominis dualem numerum vitasse quoque Romanos in nominibus, nullam veri speciem habet: Nam ex Hebraea lingua ac Græca dualem numerum admittunt, ejusque numeri ratio procul dubio fuit, quod citra ternarium numerum non consistat universitas, itaque dualem numerum posuerunt illi inter unitatem atque universitatem: sed Aeoles, quorum rationes in lingua maxime sequuti sunt Romani, inter unum pluraque medium interesse nullum putaverunt, atque ideo dualem numerum non admiserunt in lingua. v. Voss. Grammatic. de *Analog. pag.* 18. *seq. Periz.* ad *Sanct. Minerv. I. IV.* 1.

Quod vero ad alterum illud.

Dicunt Grammatici in diebus computandis ob infaustum omen non nominasse Romanos *ante diem secundum Kalendas*, *Nonas*, *Idus*, sed ejus loco dixisse *pridie*, πρὸ μιᾶς, ut Græci vertunt.

At vero, ut illi dicunt, si Euphemismi caussa dicerent *secundum*, quoniam *dualis* numerus esset ominosus, cur quaeso, omine jam in melius verso, abstinuissent eo vocabulo?

Deinde si dualis numerus esset ominosus, ac propterea loco ante diem *secundum* dixerint *pridie*, cur quaeso non aeque damnassent in reliquis numeris, dicunt enim *a. d. duodecimum Kal.*

Græci autem, quum nullum haberent vocabulum aliud, quo apte exprimerent Latinorum *Pridie*, expresserunt πρὸ μιᾶς.

(III.) *De diebus Fastis, Nefastisque principio.*

Generatim *fasti* dicuntur tabulae, quibus *fasti nefasti*que dies descripti erant, & a potiori parte sic denominabantur. Longe enim maior *fasto-*

rum dierum fuit numerus. neque enim *fasti* hi soli fuerunt dies, vt recte *Manutius* obseruauit, qvi in Kalendariis litera F. notati erant, sed omnes alii, praeterqvam *Nefasti* dies, & *atri.* Eximie autem fasti erant & dicebantur, qvi litera F. notabantur, quibus nempe toto die Praetori fas erat tria verba solennia pronunciare. Minus proprie *fasti* erant *Comitiales*, simplici litera C. notati, qui ideo fasti vocabantur, non tantum, quod cum populo agi poterat, sed etiam, quod Praetori licebat iis diebus, si forte *Comitia* non habebantur, vel pro parte fasti erant, si non per integrum diem comitia durabant. Sic etiam dies *intercisi*, vel vt olim dicebantur *endotercisi*, vnde EN notari solent, *Nefasti primo* NF. & *Fasti primo* FP. minus proprie *fasti* quoque appellari possunt, siquidem & illis diebus ius fari licebat Praetori vel priore vel posteriori parte diei, vel etiam si *intercisus* est dies, tempore intermedio. — Vocabulum *Fasti*, si sumatur de tabula, & secundae & quartae est declinationis, licet inuito *Servio*, ad *Virgil.* III. *Aen.* 326. qui errasse *Lucanum* scribit, cum diceret X. 187.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Concurrit quippe omnis Grammaticorum Senatus, contenditque iniuria *Lucanum* a Servio notari, & putant, *fastus* & *fastos* sine vllo discrimine promiscue de libro, quo dierum continebatur computatio, appellari. vid. *du Cange* in *Glossario* voc. *fastus.* & ne alios omnes citem, vide quos laudat Cl. *Drackenborchius* ad *Sil. Ital.* II. 10. At vero, vt ingenue fatear, non admodum male distinxit *Servius*, reprehenditque *Lucanum*, non tantum, quod adeo diuersae sint significationis ea vocabula, sed vel inprimis, quod vocabulum fasti origine sua adiectiuum est, & intellectum habet τὸ *dies*, vt dicatur plene *fasti dies*, quemadmodum apud *Plin.* XXXIII. c. 1. *Cn. Flavius* dicitur *fastos dies* publicasse, id est, tabulam proposuisse, qua *fasti* pariter, ac *nefasti* dies erant descripti. Itaque arbitror si res mei quoque est arbitrii, melioris aeui scriptores de libris dierum *fastos* potissimum dixisse secunda declinatione, nisi Poëtae, vt metro consulant, interdum promiscue vtraque vsurpasse declinatione, vt *Horatius* etiam. *Fastus antiquorum astrologorum* habet *Columella* IX. XIV. 12. v. *Lexicon Rusticum.* voc. cadente autem la-

latinitate, tum ligata, tum soluta oratione quilibet Scriptores, Poëtas secuti veteres, sine discrimine, vel secunda, vel qvarta declinatione videntur vsurpasse. Sed vero in Codicibus optimae ququе latinitatis Auctorum ob propinquam affinitatem vocum *fastus* saepe pro *fastos* exarari, quorum semper posterius retinendum potius est. Nihil est, quod mirere. Vbique enim *fastos*, *fastus*, & *fasces* in MSS. consuderunt librarii, quae tria elegantissime distinxit *Sidonius Apollinaris*, Carm. II. vers. 1. 2. 3. vbi lepidissimus est in hisce vocibus lusus, quos adscribo, vt Grammaticorum tricis me tandem extricem.

> *Auspicio & numero* fasces, *Auguste*, *secundos*
> *Erige*, *& effulgens trabealis mole metalli*
> *Annum pande novum Consul vetus*, *ac sine* fastu
> *Scribere bis* fastis.

Jn Fragmentis vero Fastorum sive Kalendariorum, qvae supersunt Dies *fastus* proprie ita dicitur, quando per integrum diem ius reddi potest quavis hora, simplicique notatur litera F. id est *fastus*, sive *fas*; nam ita quoque veteres videntur dixisse pro *fastus*, eadem forma, quia dixerunt olim *damnas*, pro *damnatus*, & alia eiusmodi. Jta *Fas* & *Nefas*, pro *Fasto* & *Nefasto* die *Varro: intercisi dies sunt*, inquit, V. de L. L. p. 35. *per quos mane & vesperi est nefas*, *medio tempore inter hostiam caesam & exta porrecta* fas, *a quo quod* fas *tum intercedit*, *intercisi dies*, *aut quod tum intercisum*, nefas. quod vltimum multo rectius. Jta designari solent nota NP qui nefasti priores sunt, quorum pars posterior *fas*.

Jn Tabula Maffaeorum A. D. XIII. Kal. Septembr. notatur G. V I N. F. P. in cuius lectione uti non omnes consentiunt, sic quoad explicationem quoque dissentiunt VV. DD. In Fastis *Amiterninis* iuxta editionem *Purpurini a Fauentia* legitur

G VINF. P. DIES. TRISTISSIMI

secundum vero *Muratorium* G. VI. N. F. P. DIES TRISTISSIMI. *Purpurinus* notas VINF exponit VINalia. Sed is miscere literas non debuerat.

quid enim illud P. notabit? Immo legendum erat G. VIN. F. P. Jn Fragmento etiam Faſtorum, quod ex Muſeo Cardinalis *Albani* edidit *Blanchinius*, & ex eo *Muratorius*, Tab. C. p. 305. iſte dies notatur G. XIV. VIN. F. AVGVSTVS EXCESS. Jn tabula autem *Maffaeorum*, cuius modo ante memineram, *Manutius de veterum dierum ratione* p. 215. *faſtum primo*, vti etiam *Vrſatus* in Libro de *Notis Romanorum* & *Siccama* c. 2. p. 47. exponunt, ex eoque genere dierum *Vinalia* reperiri dicunt. *Thſaconius* vero, ſive *Ciaconius* vertit: *Faſtus prima parte*, *Arias Montanus* interpretatur has literas *Fas Praetori.* At quid *fas Praetori?* an cum tria verba libere pronunciantur? Sed tum omnes faſti dies ita fuiſſent notandi. Vnus *Gruterus* vertit *Ferias publicas*, quem ſequitur *Fleetwoodius*, qui quaſcunque huius Tabulae interpretationes *Gruterianas* exſcripſit. Jllam vero interpretationem non probo. Scio *ferias* recte in *publicas* dividi & *privatas*, quarum aliae rurſus ſunt *Statívae*, *Conceptivae*, *Jmperativae* ac *Nundinales:* aliae autem *ſingulorum hominum*, vel *familiarum*, vel *gentium.* Aſt nullae in Faſtorum Tabulis publicis *feriae privatae* notantur, aut notari poterant, niſi cunctos totius anni dies feriarum nomine notare velis, cum nullus certe praeterierit die, quo non a privato aliquo fuerit feriatum. *Feriae*, qvae in his *Faſtis* ſemel atque iterum hoc tantum vocabulo, FER. notantur, omnes ſunt *publicae*, & quidem *Statiuae*, qvae vniuerſi populi Romani communes ſtato quotannis tempore redibant. vnde *ſtata Sacra* apud *Ovid.* I. *Faſt.* 660.

— *quid a Faſtis non ſtata ſacra petis*

& *Macrobius* I. *Saturn.* 16. *& ſunt*, inquit, *Stativae Feriae vniuerſi populi communes certis & conſtitutis diebus ac menſibus, & in Faſtis ſtatis Obſervationibus annotatae.* Cum igitur oppoſitum non daretur, ſimplici vocabulo vtebantur ad Ferias indicandas, neque opus erat addere *publicas* eſſe, cum nullae adſcriberentur *privatae.* — Contra *Manutium* vero eiusque ſequaces obſeruari poterit, vnum illud eſſe, quod occurrit in Faſtorum veterum Tabulis, eiusmodi dierum exemplum, aut literas potius, F. P. vnde illi eiusmodi dies *Faſtos primo* exſculpſerunt. *Ovi-*

Ovidius certe fastorum auctor peritissimus & accuratissimus, qui Libro I. Fastorum dierum discrimina docet, de iis duntatat loquitur, qui *mane nefasti* erant, a meridie vero fasti

Qui iam fastus erit, mane nefastus erat

nihil monet de diebus *mane Fastis*. *Varro* etiam, *Festus*, *Macrobius*, nullam eiusmodi dierum mentionem faciunt. Cum autem festi dies & feriae sacrificiorum causa nefasti essent principio, quando sacrum peragebatur, non video, cur contrarium in *Vinalibus* obtinuerit, inprimis cum Vinalia priora mense Aprili solita haberi A. D. IX. Kal. Mai. in hoc eodem Kalendario non F.P sed NP. notentur i. e. *Nefastus Dies Principio*. Neque tamen cum viris doctis arbitror, totam dimidiam eiusmodi diei, qui in Fastis notatur NP. antemeridianam partem fuisse nefastam, ita vt post meridiem demum Praetori licuerit fari, sed tantum diei principio, seu prima sui parte, id est *mane*, vt exprimit *Ovidius*, quando sacra peragebantur, vt clare ex *Ovidio* patet, vbi addidit mox:

Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Praetor habet.

Quae observata in suspicionem me adduxerunt, Tabulam hoc loco haud probe inspectam, aut literas forte exesas fuisse. Ast ita tamen edidit doctissimus *Blanchinius*. Quod si ergo vere ita exaratum est, vt tot testibus credere par est, marmorarium errasse arbitror, ac F.P. dedisse loco NP. Quod vt credam, eo inducor magis, cum in Fragmento Fastorum, quod fuit in aedibus *Capranicorum* is dies sic pariter NP. notatur.

G XIIII C. VIN. NP VENERI AD CIRCVM MAXIMVM

Cur vero in isto Fragmento idem dies notatus sit C. id est *Comitalis* & NP. id est, *Nefastus Principio*, alius erit indaginis —— —— *Petrus Diaconus*, in cuius, vti etiam *Valerii Probi* libello de *Notis Literarum*, plurima nugis referta leguntur, Fastorum notas quoque exposuit

C. *Comitialem* F. *Fastum* reddit. vtrumque recte. Sed pro EN habet IN. N. vero vel NF. vel NP & NF (sic legitur forte NEF. vel NEP. vti *Scaliger* ex *Festi* fragmento habet) *nephastum* (ita scribit) diem exponit. Sed simul apparet, ipsum, & qui plene nefasti erant, quique partim duntaxat, confudisse, tum etiam nulla veterum auctoritate notas NF ex NEF aut NEP. addidisse. *Scaliger* in *Castigationibus Festi* p. 109. & 156. observat, dies anteriore parte nefastos non tantum NP. sed etiam NE. P. & NE. PR notari solitos. Priorem notam NE. P. ex *Festi* fragmine habet, sed vbi ego corruptam credo. posteriorem NE. PR. ex Tabula, vt sibi visus est, Fastorum Maffaeorum, excepit. Ast ibi non NE. PR. quod aliis etiam fraudi fuit, sed N. FER. legitur.

Male vero hanc notam NP. accepit *Purpurinus a Fauentia* in *Notis ad Fastos Amiterninos*, vertens *Nefas Praetori*, qua explicatione nota NP nihil differt ab nota N. nam qui dies litera N. in fastis notati sunt erant *Nefasti*, atque adeo iis diebus Nefas erat Praetori tria verba pronunciare. — Perperam quoque *Gruterus* in Explicatione, quam Fastorum Tabulae *Maffeianae* subiecit, dies *Principio Nefastos* cum *Intercisis* confudit, notis NP. *intercisum seu atrum* denotari existimans, notatus eo nomine a *Perizonio Anim. Histor.* p. 315. *Gruterum* secutus est *Vrsatus* de *Notis Romanorum* p. 880. Similiter & *Felix Palesius* in Notis ad *Neapolis Anaptyxin* p. 4. Intercisos dies, quos ille & *Endocisos* (potius *Endotercisos*) appellatos putat, in Fastis scribit notatos fuisse F. P. & N. P. perperam omnino. Denique & *Fleetwood* in *Sylloge Inscript.* p. 54. NP. interpretatur *atrum seu intercisum diem, quo* NON POTEST *aliquid fieri, vel* NON PLACET. Omnes vero ineptias superat *Joannis Rosini* stupor, qui cum scripsisset L. IV. *Antiqv. Rom.* c. 3. p. m. 246. NP dies *Nefastes primo* denotare, quorum quidem horis matutinis ius dicere non licebat, postmeridianis autem licebat: postea, his, ait, contrarii erant F. P. id est *fasti primo*, iis enim antemeridianis horis *iustitium* erat, post meridiem vero fari licebat. Jta ille. Miror haec a *Dempstero* fuisse sine vlla animadversione praeterita. Si qui enim dies *fasti primo* aut *principio* aut *parte* sui *prima* fuerunt, id includit, posteriore parte fuisse eosdem nefastos, ergo tum fari non licebat, sed ante meridiem licebat fari, neque erat, vt ille putauit, *iustitium*. Sed eius-

eiusmodi errores referre idem est ac refellere. — Aliam quoque notam NF PR exhibet Manutius ex Fastorum Tabula *Maffaeorum* A. D. V. Eid Jun. hoc modo: H. VEST. NF. PR. atque ita quoque illustr. *Scaliger* in exemplari, quod inseruit L. IV. de *Emendat. Temporum* p. 233. quae vocum compendia *Manutius* in *Explanatione* p. 219. interpretatur *Vestae Nefas Praetori*. *Scaliger* vero in *Castigationibus Festi* p. 156. literarum notas NF. P. R. idem ait notare quod NF. Cum vero formula illa *Nefas Praetori* nihil potuerit aliud significari in Fastis, quam diem illum fuisse nefastum, statim suspecta mihi fuerunt haec compendia, formulaque mihi videbatur esse inusitata, siquidem, vt alibi constanter, vna litera N duntaxat opus erat, legendumque coniiciebam H. VEST. N. FER. i. e. *Vestalia. Nefastus* (dies) *Feriae*. Jn Tabula Fastorum Maffaeiorum, quae ab *Aria Montano* edita, & *Graevii Thesauro* Tomo VIII. inserta legitur, tantummodo HVESTN nulla Feriarum mentione facta. Meam ingenio coniicientis coniecturam post firmatam pulcre vidi exemplo *Gruteniano*, & accuratissima Tabulae Maffeianae editione a Cl. *Blanchinio Dissertationi de Kalendario & Cyclo Caesaris* inserta p. 7. vbi idem is dies ita exhibetur H VESTNFER cui inferiori parte subnotatur VESTAE. *Fleetwood* etiam ex *Grutero* repetiit, quamquam is imprudenter quae coniungenda erant, distraxit: VEST. N. *Vestalia nefastus* (dies) adnotans *a. d. V. Jd.* dein postero diei adscribens FER. VESTAE, cum tamen ad eumdem diem illae notae pertinuerint. neque enim *Vestalia* fuere A. D. V. & *Feriae Vestae* A. D. IV. Immo vero dies ille ita in Fastis est relatus: *Vestalia. Nefastus* (dies) *Feriae Vestae*. Probat etiam Fragmentum Fastorum *Venusinorum* apud *Muratorium*, p. 150. vbi ita exhibetur. H. V. REST. N. RESTAE. vt vitiose ex Schedis *Ambrosianis* suis minusculo & hodierno literarum charactere perscriptis edidit *Muratorius*. Cum enim ibi *vestae* legeretur, primam literam v accepit pro r. Facile igitur restitues VEST & VESTAE. — Ceterum De diebus *principio nefastis*, a Festo etiam obiter, de *Nefastis* agente, facta est mentio, in voce *Nefastus*, ita exhibet locum a se suppletum *Augustinus*: *Nefasti dies notabantur N. litera, quod iis nefas est Praetori*, APUD QUEM *lege agitur, fari tria verba, Do, Dico, Addico:* NEP *nota designari solent, qui nefasti* PRIORES SUNT, *quorum pars ante-*

terior fas: his servi libertati sunt, delectus habentur, exercitus scribuntur & in provincias ire licet, sacra quoque instituta fiunt & vota nuncupata solvi, & aedes sacrari solent.

In Annotationibus ad h. l. Augustinus ex dimidiatis, qui supersunt, versiculis conjicit, Festum hoc loco primum nominis *Nefastus* interpretationem attulisse, quam Varro, Ovidius, & Macrobius dilucide ostendant, ut nefastos dies dixerit, quibus nefas esset Praetori tria verba fari: dein postea addidisse, quibus literis illi dies fuerint in Fastis signati, ut quando totus dies esset nefastus, notaretur litera N. sin vero priore parte tantum modo, NP. ac denique scripsisse, quid nefastis diebus fieri potuerit.

Longe aliter supplet *Scaliger* in *Castigationibus pag.* 109. hoc modo: *Nefasti dies N. omni ex parte nefasti sunt, ut dies, apud quem nunquam licet fari, do, dico, addico, NE. P. nefasti parte priore sunt: quibus postea & servi liberati sunt saepe & . . . . . unt & in provincias itur, & sacra instituta fiunt & aedes sacrari, & vota solvi possunt.*

Utriusque ratio supplendi in loco adeo mutilato incerta est maxime, rectius tamen *Augustinus* suppleviſſe videtur, quam *Scaliger:* illa, *dies apud quem nunquam licet fari*, non intelligo; verosimilius *Augustinus*, *quod iis nefas est Praetori*, APUD QUEM *lege agitur*, &c. dein NE. P *nefasti parte priore sunt.* at nunquam Fastorum monumenta, quae supersunt, dies principio, seu priore parte nefastos notarunt NEP, sed NP. credo scripsisse Festum *N et P*, unde Librarii *NEP.* dederunt: ita accipit quoque *Augustinus:* scilicet Fastorum notas exponens *Festus* principio dixerat dies nefastos litera N. notari, quae verba apud Paullum supersunt, dein qui priore tantum parte nefasti essent, signatos fuisse *N & P* literis. In *Augustini* supplementis: NEP nota *designari solent, qui nefasti* PRIORES SUNT (melius, *qui nefasti parte priore sunt*, ut *Scaliger* habet) *quorum pars anterior fas:* imo *nefas:* vel pro anterior lege *posterior.*

Quod observat *Augustinus*, *Festum* extremo loco scripsisse, quid nefastis diebus fieri potuerit: id mihi minime fit verosimile; illuc enim referre videtur vir doctiss. *servos liberatos*, *delectus* habitos, exercitus scribi, in provincias iri *&c.* At vero nefastis diebus nihil horum fie-

fieri fas erat: crediderim iſtis exemplis oſtendiſſe *Feſtum*, ejusmodi dies NP. id eſt principio, nefaſtos tantum fuiſſe, ſi quidem, ubi ſacris peractis fas rediiſſet, ſeu faſta diei parte, cuncta haec rite potuiſſe fieri. conf. quae Cap. 1. disputavimus de loco *Theophili*, qui manumiſſionem etiam nefaſto die potuiſſe peragi, ſcripſerat.

Sed quomodo referantur a *Feſto* huc exempla poſtrema, non ſatis video: nam utique *diebus nefaſtis*, aut iſta parte diei, quando ſacrificiorum cauſſa, nefas erat, ſacra fieri poterant & debebant, cur ergo in eundem cenſum illa refert, in quem priora *liberari ſervos*, *delectus haberi?* forte, ſi conjecturam facere licet, erit dicendum, prius dixiſſe *Feſtum*, quid poſteriore diei parte, quae fas eſſet, fieri potuerit, quo ſpectent manumiſſio ſervorum, delectus militum &c. tum dein notaſſe etiam, quid anteriore parte fieri ſolitum ſit, eoque pertineant poſtrema, *ſacra inſtituta* fieri, *vota ſolvi*, atque *aedes ſacrari*.

Sed locus hic *Feſti* inter deſperatos omnino reponendus, ac ſanari plane aut rite ſuppleri non poterit, niſi integriorum accedat codicum auxilium, & auctoritas: quare ἀπέχω. — — Prima ſui parte nefaſti dies fuere omnes *Idus*, nullo menſe excepto, quippe Jovi ſacratae. Ait *Ovidius* I. *Faſtor.* 56. *Idibus alba Jovi grandior agna cadit.* At vero Manutius Jdibus menſis Junii in ſua editione Tabulae Faſtorum Maffeianorum non adſcriptam habet notam NP ſed N. idque non errore typographi factum, vt poſterior litera omitteretur, patet ex eiusdem *Explatione* p. 217. ita & *Scaliger*, *Gruterus*, *Fleedwood*, & *Seldenus.* Montanus autem NP vti & *Blanchinus.* quod omnino retinendum puto.

Quaeri hic etiam poſſit de diebus ejuscemodi principio nefaſtis, an libera etiam adhuc atque incolumi civitate Rom. obtinuerint? *Manutius* in in *Lib. de Dier. Rat.* monet, de veteribus, quod meminerit, neminem hos dies nominare, vid. *pag.* 216. *Ovidius* tamen expreſſis verbis, Lib. 1. Faſtor. *vs.* 49. *ſqq.*

Neu toto perſtare die ſua jura putaris;
Qui iam faſtus erit, mane nefaſtus erat.
Nam, ſimul exta Deo data ſunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Praetor habet.

 Non

Non enim hic intelligit Poëta *dies intercisos*, ut *Morestellus* de *diverſ. dier. Dialog.* XVI. Tom. VIII. Theſ. Græv. p. 777. aliique, tum etiam *Neapolis* ad *Ovid. h. l.* exiſtimant, (licet defendi quodammodo vel excuſari poſſint ideo, quod omnes dies Deorum hominumque communes, interciſi olim dicti fuerunt,) ſed dies *priore parte nefaſtos*, ita tamen, ut horum ſimul deſcriptione *Intercifos* quoque dies Ovidius videri poſſit complexus eſſe; proprie tamen hae dierum ſpecies differunt vid. ubi de diebus *Intercifis* dico.

Interciſi dies notantur in Faſtis literis EN. id eſt *Endoterciſi:* veteres enim Romanos *endo* pro *in* dixiſſe, ſatis notum eſt; atque adeo in compoſitione quoque *endoterciſus*, ut *endoperator*, aliaque ejusmodi, aetate Ennii adhuc vulgo uſitata; ubi plura hujus generis obvia. Minus igitur accurate *Ciacconius* in Not. ad Faſt. Maff. Tab. notam EN. interpretatur *Enterciſus*, quo modo veteres nunquam locuti: *Felix Paleſius* in *notis* ad *Neapolis Anapt.* ad Ovid. Faſt. *Endociſos* vertit: at tum quidem *inciſos*, non *interciſos*, ut Varro & Macrobius recte appellant, dictos fuiſſe oporteret.

Petrus Diaconus de Notis Literar. interciſi diei notam exhibet IN, haud credo tamen, in vetuſtis monumentis, unde colligi potiſſimum ejusmodi notae debebant, eam inveniſſe *Diaconum;* conf. ſupr. ubi de nota Faſtorum NP.

Interciſi dies, inquit Varro de *L. L. lib. V.* cap. 4. *ſunt, per quos mane & vesperi eſt nefas, medio tempore, inter hoſtiam caeſam & exta porrecta, fas: a quo, quod fas tum intercedit, interciſi dies, aut quod tum interciſum nefas.* vid. & *Macrob. Saturn.* 1. c. 16. qui hinc ſua partim derivavit. Quae vocabuli originatio mihi ſatis placet; niſi pro *intercedit* rectius forte legas *intercidit;* fas *intercidit* id eſt media pars faſta diei inter nefaſtum, quod obtinebat dum hoſtia caedebatur ac porrigebatur, intervenit medio tempore: id enim proprium *intercidere*, quod ſine noxa aut damno intervenit, unde *tela intercidere* dicuntur, quae, dum per medios hoſtes volitant, corpus non feriunt; quo uſus eſt ſignificatu LIVIUS Lib. XXI. c. 8. *nullo inter arma corporaque vano intercidente telo*; & Lib. XXXVIII. c. 22. *quo plures ac denſiores erant, eo minus vani quidquam intercideret teli.* Aſt neque

rite

rite ex Analogia Grammatices Latinae intercisi dies a verbo hoc *intercidere* penultina brevi nominari potuerunt, sed revera a verbo iisdem literis exarato, sed syllaba penultima longa intercisi dicuntur dies, quod inter caesa & porrecta fas intervenit. Ita enim dies intercidi, dissecari, findi, & diuidi dicebantur, qui Deorum proprii, sed et hominum erant communes. Huc pertinet locus *Taciti*, XIII. *Ann.* 41. vbi de honoribus, Neroni ob victoriam Corbulonis contra Parthos habitis, inter alia scribit, decretum quoque fuisse, *vtque inter festos referretur dies*, *quo patrata victoria*, *quo nunciata*, *quo relatum de ea esset.* — lego vtque *in Fastos referretur dies*, *quo* &c. i. e. Fastorum Tabulis adscriberetur, tamquam elogium Neronis, is dies, quo victoriam patrasset &c. id enim per adulationem tum obtinuisse, multa alia loca declarant. vid. ap. *Siccamam* p. 40. & quod etiam ex Fastorum Fragmentis hodie constat, talia adscribi solita: non enim voluit Senatus, aut decrevit, vt tres illi dies festi essent quotannis, sed vt eius victoria, victoriae nuncius, in vrbem adlatus, & quando de ea relatum esset, suis diebus adscriberentur Fastis, atque adeo in Fastos, hoc est, Fastorum tabulam dies, illis elogiis notati, referrentur. In Fastos enim referre, satis vsitata est phrasis. Dein addidit *Tacitus*, omnia adeo modum egressa, vt *C. Cassius* de ceteris honoribus assentiens disseruerit: *Si pro benignitate fortunae Diis grates agerentur*, *ne totum quidem annum supplicationibus sufficere: eoque oportere diuidi sacros & negotiosos dies*, *quis divina colerent*, *& humana non impedirent.* — *Codex Guelferb.* pro *eoque* habet *& aeque.* quod mihi perplacet, & explico *in aequales partes.* dein legendum forte, *diuidi dies in sacros & negotiosos*, ac denique pro *colerent* ex prioribus editionibus malo *colerentur*, pro *&*, quod sequitur, lege *vt.* Sic integrum locum puto constituendum esse: *ne totum quidem annum supplicationibus sufficere: & aeque* (id est, in partes aequales) *oportere dividi dies* (totius anni) *in sacros & negotiosos* (id est, intercisos aut fissos, ita vt singuli dies partim nefasti, partim fasti essent) *quis divina colerentur*, *vt humana non impedirent.* Propterea nempe vult dies esse totius anni sacros & negotiosos, seu intercisos, vt omnibus istis diebus sacra rite possent coli, ita tamen, vt sacra illa humana negotia non impedirent. Ejusmodi igitur dies quasi interciditur, id est *dissecatur*, ut

partim fastus, partim fit nefastus, ac veluti *fissus*, quo nomine dies ejusmodi in jure (*Pontificio* intellige) dictos quoque olim fuisse, testis est Servius ad Virg. Aen. Lib. VI. vs. 37. ubi notat, Deos aliquoties tantum Kalendis, aliquoties tantum idibus vaticinari, *nonnunquam diei vel prima vel media vel postrema parte: unde est in jure* (Pontificio) FISSUS *dies, id est, non totus religiosus; quem nunc ostendit, dicens, non oportere Aeneam religiosam diei partem perdere, id est oraculis congruam.* locus sane egregius, quippe qui docet id, quod aliunde nusquam constaret, intercisos dies in jure veteri Pontificio appellatos etiam *fissos*, id est tales, qui partim fasti, partim essent nefasti.

Intercisorum vero dierum rarissima admodum apud veteres Auctores reperitur mentio, ego nusquam memoratos offendi, libera re publica, praeter quam apud unum *Varronem loc. cit.*

Attamen diu ante Imperatorum tempora intercisos quosdam obtinuisse dies eoque nomine insignitos fuisse, ex ipsa vocabuli veteris, in Fastis retenti, forma manifestum satis est. Uti enim in compendifacto nomine cos, ita exarari solito, quod *cosul* olim pronunciaretur, & in suc, tribu *sucusana*, cujus loco post *suburana* dixerunt, in praenominibusque C. & Cn. quae postea ex pronunciatione potius G. & Gn. scribenda fuissent, obtinuit, ut ex frequenti usu, etiam diutissime post factam in pronunciatione & scriptura mutationem vetus retineretur orthographia, de queis erudita monet *Periz. A. H.* p. 295. seqq. idem prorsus locum habet in hoc vocabulo, ut nempe olim *Endotercisus*, pronunciatum, ac propterea in Fastorum Tabula initialibus literis EN. notari solitum, postea tamen, cum jam intercisus vulgo efferebatur, nihilominus vetus orthographia, in primis si compendifacte scribendum esset, fuerit retenta. Plura alibi hanc in rem disputamus; ubi idem hoc in Græcis obtinuisse declaramus, ut in propriis nominibus præsertim, aliisque frequentissimi usus vocabulis, vetusta saepiuscule orthographia posteriori longe tempore atque ætate fuerit servata. v & *Periz.* ad *Sanct. Minerv.*

Vero autem simile admodum est, olim ex institutione Numae regis simplicem tantum fuisse dierum divisionem in *festos*, id est diis dicatos, & *profestos*, hominum proprios; quibus deinde, cum nimia festorum multitudine, humana negotia, quorum indies moles, aucta civitate, ac-

accresceret, intermitti saepius necesse esset, nec tamen festi dies facile salva religione possent abrogari omnino, tertia addita videtur species, dierum nempe *intercisorum*, quales Deorum hominumque communes erant, teste *Macrob*. Sat. *Lib.* 1. *c.* 16. non vero, ut idem illo loco tradit, dierum distributionem in festos, profestos, intercisosque ipsi Numae adscribendam putaverim: tranquilla enim tum temporis re publica cives, quorum nondum ingens adeo erat numerus, nulli prohibebantur, quo minus festis diebus omnibus religioni & sacris vacarent.

Enimvero si in re obscura & a nemine veterum vel per nebulam quidem exposita aut declarata alicubi, conjecturae locus detur, factum suspicor, haud ita diu post atros religiososque dies introductos: tum enim cum omnes dies postriduani atri ad negotia etiam humana inepti essent, credibile est, ex Pontificum decreto quosdam festorum dies intercisos factos aut fissos, ita ut Deorum hominumque illi communes evaderent, ita namque opus non erat, quod ominosum maxime, ut dies sacri eximerentur plane, ac simul, mane sacris peractis, rite negotiis suis quisque operari posset.

Quamquam in Fastis, quales hodie nobis supersunt, *Intercisi* dies & partim *nefasti*, id est prima diei parte, diversis literarum notis EN & NP distinguantur, utrique tamen & *intercisi*, & *principio nefasti* uno generali vocabulo olim *intercisi*, seu *fissi* vulgo appellati videntur; atque inde factum, ut veteres Auctores, ubi fissorum ejusmodi dierum mentionem iniiciunt, non distinguant has species, sed vel *intercisos*, vel parte priore, sive mane *nefastos* dicant: ita certe *Ovidius* loc. cit. ubi describit dies mane nefastos, reliqua diei parte autem fastos, eodem nomine simul intercisos complectitur: hinc & contra *Macrobius l. c.* non nominatim dierum principio nefastorum meminit; sed *intercisos* dies vocat *Deorum hominumque communes*, & mox, ubi altera divisione, quinam dies festis diebus, quique fastis inessent, docuisset, *intercisi*, inquit, *in se* (h. e. quod partim festi partim profesti sunt,) *non in alia dividuntur: illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est jus dicere. nam cum hostia caeditur, fari nefas est; inter caesa & porrecta fari licet: rursus, cum adoletur, non licet.*

Et sic *Festus* quoque, quantum ex laceris ejus fragminibus colligere

 da-

datur, de diebus partim nefaſtis agens, de interciſis non memorat, ſed iis tamen complectitur.

Maxime autem conſtat ex *Servii* loco, ubi fiſſum (ſeu interciſum diem) ex jure pontificio exponit, non totum religioſum, ſed pro parte duntaxat.

Atque ex hac obſervatione defendi poſſunt vel excuſari *Neapolis* & *Moreſtellus*, ſupra notati, quando apud *Ovidium* dies mane nefaſtos interpretantur interciſos. quamquam proprie aliquid intercedat diſcriminis: quod *Varro* ubi interciſos dies exponit, recte videtur attendiſſe; quamquam & is videri poteſt eodem nomine quoque comprehendiſſe dies principio ac prima parte nefaſtos, cum ſpeciatim eorum, illo loco, ubi fieri hoc oportuerat, mentionem nullam facit.

(IV.) *De nonnullis Faſtorum Sacrorum ſive Kalendarii diebus Feſtis, adeoque Nefaſtis, ſecundum Menſium Seriem.*

Menſis IANVARII

Kalendae. De litera K quam publica lapidum monumenta & optimae notae Codices ſemper exprimunt vid. *Duker.* ad *Flor.* III. XXI. 1. & *Drakenb.* ad *Liv.* III. 6. Factum illud in hac voce ex veteri vſu, qui in propriis nominibus, & eiusmodi vocibus, quorum vſus frequentior, diutius ſemper, quam alibi ſervatus eſt.— Cum dies fuerit Iano ſacer, cur dies faſtus? v. *Animadv.* L. I. c. I. p. 26. Cf *Columella* L. XI. c. II. vbi *Kalendis* ipſis *Januar.* omne genus operis auſpicandi cauſſa inſtaurari ſcribit.

Postridie Kalendas. Dies olim religioſus, vti omnes dies poſteri. qua de re monuimus. Poſteri dies an iidem, qui Aegyptiaci? v. *Schurtzfleiſchius* p. 321. *Noriſius* de *Annis Macedonum* p. 58. & ibi *Ambroſii* locus. Fuerunt quidem dies parili ratione pro infauſtis habiti, & inde quilibet dies atri, poſteri, vel Aegyptiaci recte dicuntur, ſed non tamen omnes *Aegyptiaci* poſtridie ſunt *Kalendas*, *Nonas* & *Idus*.

A. D.

A. D. III. Non. *Votorum Nuncupatio.* v. *Spanhemius* ad *Juliani* Orat. I. p. 276. & *Schurtzfleifchius* in *Anno Romano*, p. 322. fequ.

Prid. Non. Vehementer errat *Schurtzfleifchius* l. c. p. 326. diem ratus hunc Romanorum opinione infauftum fuiffe, quod Pontifices certis de caufis conftituerint omnes, qui proxime *Kalendas*, *Nonas* & *Idus* fequerentur, atros dies habendos. Gell. V. 17. infignem quoque hanc in rem locum putat *Joannis Tzetzae.*

Menfis FEBRVARII

Quirinalia.

Manutius ad *Cicer.* II. ad *Q. Fratrem Epift.* 3. *p.* 40. quaerit, qui potuerit *Quirinalibus* iudicium exerceri. refpondeo, quia dies fuit NP. Nefaftus priore parte

FERAL*ia.* ita appellata tradit *Varro* L. V. ab *inferis & ferendo*, *quia ferunt tum epulas ad fepulcrum*, *quibus jus ibi parentare: fic* & Ovid. Faft. II. 569.

Hanc, *quia jufta ferunt*, *dixere Feralia lucem.*

Feftus autem dubium reliquit, a *ferendis* epulis, an a *feriendis* victimis potius dicantur: fed fi a *feriendo* derives, non *Feralia*, fed *Ferialia*, vt puto minus recte, appellarentur. Sed rectius fane Varro, Ovidius, & ipfe Feftus a *ferendo.* Feraliorum autem dies quot fuerint, & quando inciderint menfe Januario, maxime incertum fuit hactenus Interpretibus.

In *Faft. Marm. Maff. Feralia* ponuntur *A. D. IX. Kal. Mart.* atque ita pariter habent *Fafti Conftantii.* in vetuftis autem *Faftis*, qui *Ovidio* praefiguntur, Feralia notantur *A. D. XII. Kal. Mart.* In *Demfteri Kalendario* nulla fit mentio Feralium: *Petavius IX. Kal. Mart. Gaffendus XII. Kal. Junius*, *XI. Kal. Mart.* refert: *Briffon.* de *Rit. Nupt.* p. 10. & *Hoffman. de Die ac Noct. Nupt.* videntur exiftimaffe *Feralia* jam coepiffe prid. Id. Febr. Celeber. *Ernefti* in *Clav. Cic. voc. Feralia*, hunc,

hunc, scribit, diem festum celebrasse Romanos *ante D. VIII. Kal. Maj.* docente Cicerone *ad Attic. Lib. IX. Ep.* I. Ovidium tamen in *Fast.* II. 569. diem Feraliorum facere *XI. Kal. Mart.* Sequutus est V. Cl. ac descripsit *Bosium*, ad *Cic. Ep. ad Att.* VIII. 14. nisi quod calamo aberrante pro *VIII. Kal. Mart.* dederit *Maj.*

Videamus de *Ciceronis* loco accurratius: Lib. VIII. Ep. 14. *Eodem enim die video Caesarem a Corfinio post meridiem profectum esse, id est Feralibus, quo Canusio mane Pompejum. Lib.* autem *IX. Ep. I.* scribit: *Canusio VIII. Kal. profectus erat Cnaeus haec autem scribebam pridie Nonas; XIV die postquam ille Canusio moverat.* Ad utrumque locum varia commenti sunt Interpretes. *Corradus*, *Feralia* ait fuisse *XII. Kal. Mart. Malaspina* τὰ, *id est Feralibus*, vel in mendo cubare, putat, vel pro glossemate habet, cum repugnantia sit in temporibus, nam Canusio profectum Pompejum *VIII. Kal. Mart.* Feralia autem fuisse *XI. Kal. Bosius* denique arbitratur, *Ciceronem* ex Fastis veterum Pontificum Feralia retulisse in *octavum Kal. Mart.* Ovidium vero aliosque, qui posteriores Fastos secuti sint, correctos nempe a *C. Caesare* & *Augusto*, eundem diem festum triduo ante collocasse, *XI.* nempe *Kal. Mart.* Itaque variatum similiter in *Terminalibus*, quæ *Ovidio* IX. Kal. Mart. *Varroni* autem VII. & in *Vinalibus*, a *Varrone* relatis XII *Kal. Sept. Festo* contra & Auctori *Kalendarii Manutiani* in a. d. XIV. incidere iubentur.

Fastos veterum Pontificum, quos citat *Bosius*, intelligere videtur, quales sunt *Maffeiani*, nullos enim novi alios vetustiores, quos appellere potuerit: at *Fasti* illi videntur *Ovidio* recentiores; tum *Feralia* illic reponuntur, non *VIII. Kal.* sed *IX. Kal. Mart.* Nec credo facile, Caesarem vel Augustum, cum Fastos corrigerent, dies festos suo veteri loco motos in alia transtulisse: vid. quae alibi notantur in *Terminalibus* & *Vinalibus.*

Verba illa in Ciceronis loco priore *id est Feralibus*, ut ingenue fatear, mihi quoque non nihil videntur languere, & pro glossemate habenda: at cum omnibus serventur in Codicibus, & nos retineamus potius, atque cum Fastis redigamus utrumque locum in concordiam. Scribit *Tullius* Ep. I. Lib. IX. *nam Canusio VIII. Kal. profectus erat Cnaeus, haec autem scribebam pridie Nonas, XIII. die post, quam ille*

ille Canusio moverat. Varie & hic numerales notas corrigunt Interpretes; at si legamus, addita priori numero unitate, VIIII. in quem incidunt diem Feralia, seu potius finiuntur; nam is dies, qui ultimus esset placandis Manibus, κατ' ἐξοχὴν hoc nomine videtur appellatus. cuncta erunt sana, & *Fastis Maffaeorum* congrua: nam ab a. d. VIIII. Kal. Mart. a. *d. prid. Non.* dies sunt quatuordecim, more Romanorum computatis diebus a quo & ad quem.

At nunc videamus etiam an *Ovidio* Feraliorum idem sit terminus: Lib. II. Fastor. vs. 567. sq.

> *Nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint*
> *Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.*

Difficilior paullo explicatu locus est; Quidam colligere inde sibi visi sunt, velle *Ovidium* a die XVIII. per alios decem dies feralia potuisse continuari. *Neapolis* autem id significasse arbitratur, Feralia *XII. Kal. Februarias* (sic leg. *Martias*) finita esse, si quidem remaneant sic dies undecim, incluso ipso die Feralium: caeterum Poëtam a vetustis Fastis aberrare putat, & Feralia incepisse a *VI. Idus* terminataque *XII. Kal.*

Kirchmann. de *Funerib.* IV. 1. *die Februarii XIX*, h. e. XI. *Kal. Mart.* ex *veteri Kalendario*, tum ex *Ovidio* locat: credo scribere voluisse XII. sic enim supersunt undecim dies post *Feralia.* Sed videamus, an non potius *Ovidium* inter Fastosque marmoreos probe conveniat. *Regifugii* diem ponunt Fasti *A. D. VI. Kal. Mart.* sic plane & *Ovidius Lib.* cit. vs. 685. sq.

> *Nunc dicenda mihi Regis fuga: traxit ab illa*
> *Sextus ab extremo nomina mense dies.*

ubi *sextum* diem ab extremo mense dicit, qui in Fastis est A. D. *VI. Kal. Mart.* non VII. vt *Siccama*, & alii putant, vid. ubi de *Regifugio* dicam.

Ponamus jam *Ovidium* una cum *Fastis Maff.* Feralium diem ultimum retulisse in *A. D. IX. Kal. Mart.* cuncta probe conspirant: *Caristia* enim proxima erant Feralibus, ergo A. D. VIII. vid. vs. 617.

 Prox-

Proxima cognati dixere Cariſtia cari.

Proxima ſcilicet diei Feraliorum d. VIII. *Kal. Mart. Terminalia* autem die continuo ſequenti celebrabantur: vid. vs. 639. erant ergo A. D. VII. *Kal. Mart. Regiſugium* vero A. D. VI. easd. Kal.

Kirchmannus, aliique putant per XI. dies *Feralia* fuiſſe celebrata, idque indicare Poëtam cum dicit:

— *Quot habent Carmina noſtra pedes.*

putavi aliquando, velle *Ovidium*, ſex dies fuiſſe *Feralium*, quorum, cum ultimus notetur in Faſtis IX. *Kal. Mart.* initium fuerit oportet A. D. XIV. Kal. *Mart.* qui dies erat *endotercifus:* neque obſtat, quod *Quirinalia* in A. D. XIII. incidant; ita namque & menſe Junio, ubi *Veſtalia* celebrantur ab A. D. V. Id. usque ad A. D. XVII. Kal. Jul. *Matralia* interveniunt A. D. III. Id. Verſus enim Elegiaci ſex pedes habent. Imo forte cum verſu Pentametro dicit, *quot habent Carmina pedes* ſignificare voluit per quinque celebrata *Feralia:* quae firmatur conjectura ex MS. veteris *Kalendarii Ovidiani Faſtis* praemiſſi, cuius diſcrepantes a vulgatis editionibus lectiones dedit *Graevius* Praef. T. VIII. Theſ. Antiq. ubi ad XIII. Kal. Mart. haec leguntur: *Raptus Romuli, ſ. Quirini in coelum. Feſtum ſtultorum & Mutae. Feraliti & initium Parentalium Deorum.* Quin & ex ipſo *Ovidio* non male ita colligas: Etenim Lupercalia ponit Ovid. vs. 267. *Tertia poſt Idus*, ita & in Faſt. *A. D. XV. Kal. Mart.* deiu vs. 475. docet, proximum diem poſt id eſt XIV. Kal. vacuum eſſe, isque in Faſtis eſt *Comitialis;* tertium vero poſt Lupercalia diem dicatam eſſe Quirino

Proxima lux vacua eſt; at tertia dicta Quirino:

Vs. autem 533. continuo addit de Feralibus:

Eſt honor et tumulis ——

ubi Neapolis hoc intelligit de tertio die poſt Quirinalia: at cum nihil mo-

moneat Poëta de die interpoſito, accipio potius de eodem die Quirinalium. Itaque ſi Feralia coeperint A. D. XIII. & exierint A. D. IX. Kal. quinque erunt dies, quot pedes in verſu pentametro.

Forte objiciat quis mihi ipſum diem, Romulo ſacratum, inter dies Feralium computari non poſſe; quoniam per eos dies mali ac funeſti ominis cauſſa Deorum templa eſſent, operta cunctaque ſacra intermitterentur, vid. *vs.* 563. Sed ita accipio ut ſignificet eodem die Quirinalium ſacro peracto ſub veſperam vel noctem initium ſumſiſſe Feralia: quomodo & Lemuralia noctu peragebantur: vid mox *infr.*

Nondum tamen, fateor, ſatis facio mihi. nam non videtur ſignificare poëta, per quot dies celebrata fuerint Feralia, atque unde ſumſerint initium, non ulterius procedere Feralium dies, quam ut undecim dies ſuperſint in menſe; at vero quo modo undecim dies ſupererunt poſt IX. Kal. An dicemus, forte hoc velle, initium Feralium non ulterius vel ſuperius reponendum, niſi ut undecim dies ſuperſint, ſcilicet a primo die Feralium, idque forte ob diem bis Sextilem, ſcilicet, ſi Februarius dies habeat XXVIII. tunc initium Feralium eſſe poſtridie Quirinalium ſeu *XII. Kal. Mart.* ita namque in menſe ſupererunt dies XI. ſi vero annus bisſextilis eſt, initium eſſe Feralium A. D. XI. Kal. Mart. ſeu tertio die poſt Quirinalia, ac tum ſane & reliqui fient dies undecim.

Caeterum *Feralia* ab Numa ſunt inſtituta, idemque feſtum fuit, quod *Lemuralia*, ab Romulo inſtituta. De Lemuralibus vid. Ovid. v. 421. Agebantur nocte. Templa pariter olim Lemuralibus claudebantur, ut poſtea diebus Feralium vid. v. 485. & II. 563. infauſti quoque erant utriusque feſti dies nuptiis *v. l. l. c. c.*

Templis autem clauſis Dii celabantur, ne funeſto aſpectu contaminarentur: cuncta enim, quae Deos manes ſpectabant, triſtia habebantur & ominoſa. Unde & apud Graecos, ubi menſe exeunte Antheſterione etiam fiebant, ominoſi fuere hi dies: vid. Heſych. μιαραὶ ἡμέραι τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, ἐν αἷς τὰς ψυχὰς τῶν κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν. & *Animadverſ.* p. 18.

De Lemuralibus vid. Scholiaſt. Horat. ad Lib. II. Ep. 2. vs. 209. ubi Poëta *nocturnos* dixerat *Lemures;* quod explicat Acro: *umbras vagantes hominum ante diem mortis*, (*Pitisc.* in *Lexic. Antiq.* citat *poſt*

 mor-

mortem ex Gyraldo, p. 215.) *& ideo metuendos. Et putant, Lemures esse dictos, quasi Remuros a Remo, cujus occisi umbras frater Romulus cum placare vellet, Lemuria instituit, id est Parentalia, quae mense Majo per triduum* (non intellige dies continuos,) *celebrari solent ante additum anno mensem Februarium, ob quam rem Maio mense religio est nubere & item Martio, in quo nuptiis habito certamine a Minerva Mars victus est, obtenta virginitate Minerva Nerine est appellata.*

Patet ex hoc loco, institutis Feralibus mense Februario, Lemuria abiisse in desuetudinem, aut abrogata esse vid. & Ovid. v. 420.—427. sq. nomen tamen mansit & pars ritus veteris. vid. ibid.

Uti Feralium dies nuptiis habebantur infausti v. Ovid. II. 557. sqq. sic & Lemuralia v. 487. vid. Plutarch. *Quaest.* 85. & *Alex. Tassonus* in *Miscell.* lingua Italica scriptis, sub titulo; *di Pensieri diversi*, Lib. VIII. c. 2. ubi multa de hac superstitione, quam & hodie apud *Ferrarienses* obtinere, scribit.

Fabarum usus in sacris feralibus, Ovid. II. 576.

Et septem nigras versat in ore fabas.

quod & in Lemuralibus, Ovid. v. vs. 436.

Vertitur: & nigras accipit ante fabas

ubi melius *ore* legendum puto non *ante*, quod cl. Burmannus recepit, ratus non vero simile, his sacris *ore* accepisse, ut jaceret, sed *manibus*: *ore* autem ex alio loco, ubi de sacris magnis agitur huc migrasse. At vero τὸ *ante* recte damnatur Heinsio. & *ore* multi codd. habent, & confirmatur, quod ita moris quoque esset in Feralibus, ipso teste Ovidio.

Caeterum de faba in Lemuralibus ac Parentalibus adhibita v. Festus & Varr. vid. & Tunstall. de Cic. Epist. ad Att. & Qv. Fr. p. 86.

Feraliorum dies IX. Kal. Mart. in *Tab. Maff.* notatur *fastus*. nulla enim isto die sacrificia. vnde *Ovidius* II. *Fastor* 563. seque.

Di

Di quoque templorum foribus celentur opertis
Thure vacent aræ: ſtentque ſine igne foci.

In Lemuralibus autem tres dies notantur *nefaſti*, non quod nefaſti eſſent ſacrorum, vel ſacrificii cauſa, ſed quod opinione vulgi haberentur pro atris, aut quod lege iis agi non poſſet, ne qui noctu ſacris Lemuralibus operabantur, interdiu avocarentur, & judicio tenerentur adeſſe.

Ultimus dies feralium faſtus notatur in Faſtis: nempe, cum nulla hoc feſto peragerentur ſacrificia, imo celarentur Dii adopertis templis, nihil vetitum, quo minus jus redderet Praetor.

Quaeritur autem an per quinque tantum dies, ut ſupra collegimus ex Ovidio, an vero totus menſis Parentalibus fuerit dicatus. *Athenaeus* Lib. III. pag. 98. menſem Februarium Romanis, teſte Juba Mauro, ita appellatum ſcribit ἀπὸ τῶν καταυδαίων φόβων κατ' ἀναίρεσιν τῶν δειμάτων, ἐν ᾧ τοῦ χειμῶνος ἐστὶ τὸ ἀκμαιότατον, καὶ ἔθος τότε τοῖς κατοιχομένοις τὰς χόας ἐπιφέρειν πολλαῖς ἡμέραις. *a ſacris, quibus ſubterranea terriculamenta & pavores depellantur: tum vero hiemis rigor ſuaviſſimus eſt, & vita functis inferias multis diebus afferre ſolvereque ſolent.* ſic vertit *Dalechampius* & notat, menſe Februario populum per XII. dies, februari ſolitum, id eſt luſtrari. *Caſaub.* ad h. l. Animadv. p. 119. Antheſteriona, menſem Atticum partem ait complecti Februarii Martiique, imo ſi *Scaligerum* de Em. Temp. p. 254. ſq. ſequare, Ἀνθεστηριὼν incidit in Januarium & Februarium.

Apolloniates etiam menſe Februario vita functis parentare ſolebant. *Athenaeus* Lib. VIII. p. 334. πρότερον μὲν οὖν φασι, τοὺς κατὰ τὴν Ἀπολλωνίαν ἐλαφηβολιῶνος τὰ νόμιμα συντελεῖν τοῖς τελευτήσασι, νῦν δὲ leg. νῦν δὲ καὶ Ἀνθεστηριῶνος. vertit *Dalechampius prius quod aiunt, in Apollonia Februario menſe vita functis parentare ſolitos, nunc autem id fieri Novembri.* ἐλαφηβολιὼν non eſt *Februarius*, neque Ἀνθεστηριὼν eſt *November* Romanorum *Januuarius* eſt Ἀνθεστηριὼν, Februarius ἐλαφηβολιὼν: vid. Fabricii *Menolog.* niſi potius ex Parapegmate Attico Scaligeri menſem Antheſteriona reſpondere Januario ac Februario, Elaphebolion vero partem complectatur poſtremam Februarii ac priorem Martii.

Locum Athenaei ſic lego φασι τοὺς κατὰ τὴν Α. ἐλαφηβολιῶνος τ. ν. σ. τ.

τ. τ. νῦν δὲ καὶ Ανθεστηριῶνος· nam utroque iſto menſe Parentalia celebraſſe Apolloniatas, patet ex verbis ſequentibus διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν μόνοις τούτοις τοῖς μησὶ τοὺς ἰχθὺσ τὴν ἀνάβασιν ποιεῖσθαι, ἐν οἷς τοὺς τετελευτηκότας εἰώθασι τιμᾷν. nempe narrat, Apolloniam Chalcidicam amnibus duobus allui Ammite & Olynthiaco, utrumque in lacum Bolycen defluere; juxta Olynthiacum vero Olynthi, Herculis & Bolyae filii eſſe monumentum ſepulcrale: indigenas narrare κατὰ τὸν Ἀνθεστηριῶνα καὶ ἐλαφηβολιῶνα menſe *Novembri ac Februario* (ſic, verte *Januario & Februario*) quod tùm *Bolya lacus* ſic a *Bolya*, *Olynthi* matre dictus, *Apopyrin*, id eſt ingentem piſciculorum copiam, mitteret in Olynthum fluvium (διότι πέμπει ἡ Βολυη τὴν ἀπόπυριν Ολύνθῳ) atque ſic quaſi mater *Bolya* filio Olyntho parentaret. quod autem mirandum ſit, iſtos piſciculos non commeare ultra ſepulcrum Olynthi. πρότερον μὲν etc. ſic verto. Dicunt igitur Apollaniatas antea quidem menſe *Elaphebolione* (id eſt Februario vel Martio vita functis parentare ſolitos, nunc vero etiam menſe *Anthesterione*, (id eſt *Januario* & *Februario*) atque ob eam cauſſam his tantum menſibus piſces adſcendere (ex lacu Bolya in amnem Olynthiacum, quibus honore afficere conſueverunt mortuos. Hinc itaque colligimus *Apolloniatas* & menſe Januario exeunte, & initio Februarii *Parentalia* celebraſſe.

TER*minalia.* Cl. *Boſius* ad *Cicer* VIII. ad *Att.* XIV. *Ovidium* putat repoſuiſſe *Terminalia* IX. *Kal. Mart.* cum *Varroni* ſint A. D. VII. *Kal. Mart.* Faſti etiam *Maffaeorum* referunt in A. D. VII. *Kal. Mart.* & ita quoque credo *Ovidium* cenſuiſſe, ſi recte capias.

REGIF*ugium.* *Faſti Maffaeani*, & *Conſtantii* Regifugii diem ponunt VI. Kal. Mart. *Kalendarium*, quod *Ovidii Faſtis* praefigitur, *Tarquinii Superbi fugam* refert in A. D. VIII. *Kal. Mart.* Conferantur iidem Faſti in menſe *Maio* a. d. X. *Kal. Jun.* at in MSC. Graeviano a. diem VI. *Kal. Mart.* notatur: *Fit Sacrificium pro fuga Tarqvinii.* Ipſe vero *Ovidius* II. *Faſtor.* 685.

Nunc dicenda mihi regis fuga traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina menſe dies

Nea-

Neapolis ex antiquiſſimo codice *quintus* legendum praecipit, eoque die in Faſtis lapideis notat diem Regifugii ſignatum. Nobiliſſimus autem *Heinſius* notat, ex hoc loco fore, vt euinceretur Regifugium Septimo Kalendas Martias celebratum fuiſſe. ceterum alios quoque eruditos hunc Poëtae locum valde exercuiſſe, *Petavium* inprimis, qui L. V. c. 9. *Variar. Diſſertat.* ad *Auctarium operis de Doctrina Temporum*, *Ovidium* oſcitantiae & ſupinitatis arguit, quod in diem ab extremo menſe ſextum faciat *Regiſugium* incidere, cum in quintum inciderit; deſudaſſe etiam hic notat *Neapolim*, cui reponenti *Qvintum diem* pro *Sexto* negat ſe poſſe aſſentire, cum omnes Codices pro vulgata ſtent ſcriptura, praeter vnum *Hamburgicum*, in quo *Septimus extremo nomina menſe dies.* vnde *Siccama* notat ab *Ovidio* Regifugium poni a. d. VII. *Kal. Mart.* deinde notat fatigaſſe quoque locum *Manutium*, & *Matium*, cum vero τὸ *ab* inconcinne prorſus bis hoc diſticho occurrat, loco poſteriori, etſi inuitis membranis ſe ſcribere: *Sextus in externo nomina menſe dies.* — Cur *externo* velit, & quid ſit *menſis externus*, id profecto neſcio. Jmmo vero illud *ab* omnino retinendum, et *Sextus ab extremo* i. e. a fine menſis ſeu vltimo die. —— *Manutius* in *Explanatione* p. 218. inter *Ovidium*, & Kalendarium de die Regifugii controuerſiam ponit, cum ille aſſignet ei Februarii diem XXIII. In Kalendario autem XXIIII. ſit adpoſitum. nec ſane ſi Regifugii dies fuerit N. totus nefaſtus potuerit eſſe Terminalibus die XIII. qui NP. i. e. Nefaſtus parte fuit: alioquin diem fuiſſe eumdem NP. nefaſtum parte, & N. id eſt integrum nefaſtum. *Matius* in *Annotation.* c. VI. p. 63. *Ovidium* putat, cum in die XXIII. Februarii Regifugium collocet, memoria lapſum, vel pro *Sexto Quintum* diem legendum eſſe opinatur. At ſi quid ego video, nihil pecauit prorſus *Ovidius*, aut aliquid his oſcitantiae datum. Omnino enim in omnibus feſtis ſuo tempore ponendis convenit *Ovidius* cum Faſtis marmoreis. Lupercalia ponit tertio die poſt Jdus, id eſt, XV. Kal. Mart. vid. vers 267. ſequ. dein vers 475. inquit

Proxima lux vacua eſt: at tertia dicta Quirino

quo ſignificat, proximum poſt lupercalia diem XIV. Kal. Mart. vacuum, id

id est, sine festo esse. Jn Tabula Maffaeorum festus dies non notatur, est tamen intercisus, cuius notae causam ignoro. Forte is dies tempore fastorum lapideorum festus fuit, ideoque notatus EN postea vero tempore *Ovidii* ab Augusto rerum actui accommodatus. Porro tertiam notat *Quirino* dicatam, id est diem XIII. Kal. Mart. Tum vers. 533.

Est honor & tumulis animas placare paternas

vbi significat eodem Quirinalium die Feralium quoque dies incipere: iique durabant usque ad Caristia, quae incidebant in a. d. VIII. Kal. Mart. itaque sex dies Feralium numerat: vs. 617. Proxima cognati dixere Caristia cari. proximo autem die post Caristia Terminalia sunt vid. vs. 639. *Nox ubi transierit* etc. ac tandem vs. 685.

Nunc dicenda mihi Regis fuga, traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies:

diem sextum dicit qui in Fast. marm. notatur a. d. VI. Kal. Mart. atque ita loquens Poëta respexit ad Kal. Mart. & sic Romanorum more computans sextum diem dicit a Kalendis Mart. prorsus ut dicebatur a. d. VI. Kal. Mart.

Haec tamen difficultatibus premuntur: non enim proprie si extremum mensem dixerit ultimum Februarii, dies erit sextus, sed quintus: sed loquens de ultimo die, seu fine Februarii, cogitavit de prima die Martii.

Macrob. Saturn. 1. 12. *Tarquinium pulsum* scribit: Neapolis putat Macrobium carmine Ovidii deceptum, cum canit IX. Kal. Jun.

Quatuor inde notis locus est ——

sed nullam, recte observat *Neapolis*, ibi esse mentionem Regifugii, quod tamen *Panvinium* etiam sensisse scribit. Ubi vero *Siccama* legerit, *Macrobium* in VII. Kal. Jun. alios in ipsas Kal. Quintiles reiicere, nescio. sed alios secutus aliis erravit vehementius.

Notavit quoque *Macrobii* errorem *Augustinus* ad Fest. *pag.* 50.

Ast

Aſt vix potuit verus regifugii dies incognitus fuiſſe *Macrobio*, Faſtorum peritiſſimo, quique multorum vetuſtiorum auctorum libros de Faſtis verſare ſolebat quotidie: quin conſtat etiam tempore *Macrobii* & poſt in Faſtis Regifugii diem VI. Kal. Mart. notatum adhuc fuiſſe, ut apparet ex Faſt. *Conſtantii.*

Si probe Macrobii verba exponamus, nihil inde contra eum probari aut inferri poteſt. nam primo dici poteſt, non ipſius ſed aliorum fuiſſe hanc opinionem: ita ſcribit: *nonnulli putaverunt, Junium menſem a Junio Bruto qui primus Romae conſul factus eſt, nominatum: quod hoc menſe, id eſt Kalendis Juniis, pulſo Tarquinio, ſacrum Carnae Deae in Caelio monte voti reus fecerit.* forte verba *pulſo Tarquinio*, loco mota ſunt, ac reponi debent paullo ſupra, *qui pulſo Tarquinio primus Romae Conſul factus eſt*, vel ita accipi poteſt, Junium Brutum Kalendis Juniis ſacrum inſtituiſſe Carnae Deae, voti reum, quod votum ſuſceperat pulſo Tarquinio, ſive ob Tarquinium pulſum, fugatumque.

Huc pertinet *Feſti* locus in voc. Regifugium quem ſupr. notavimus. ubi certe Feſtus, quantum ex ejus reliquiis colligere nunc datur, miſere errat, Faſtorumque Romanorum rationem plane ſe non intellexiſſe oſtendit.

Menſis MARTII.

Pridie Nonas Martias. In Calendario Maffaeorum adſcriptum eſt: *Hoc die Caeſar Pontif. Maxim. fact. eſt.* Quaeritur, de Julio Caeſare an de Auguſto hoc interpretandum ſit? *Siccama* ad Julium Caeſarem refert, citans *Suetonium* in Caeſar. c. XIII. & *Ovidium* Lib. III. Faſtorum. at vero *Neapolis* ad *Ovid.* loc. Lib. III. vs. 415. de *Auguſto* accipit. *Burmannus*, aut alii Interprètes nihil notant. Reliqua faſtorum fragmina nos deſtituunt. niſi quod *Demſteri Calendarium* ad Auguſtum quoque referat. Mihi obſtare videtur, quod cum an. v. c. 741. Pontificatum acceperit Auguſtus, dudum jam hoc nomine inſignitus, neque in monumentis unquam tum temporis Cæſar appellatus, Sed potius inſcriptus ſit *Auguſtus.*

Hi ſunt verſus *Ovidii*, 415.

Sextus ubi Oceano clivoſum ſcandit Olympum &c.

Gronovius quidem exempla aliquot e Cicerone produxit, in quibus *a. d. II.* loco *pridie* ſcribitur; verum, uti recte cenſet *Salmaſius* in *Epiſt. p.* 284. dubiae ſunt fidei, aut ex corruptis depromtæ codicibus lectiones pravæ. ubinam vero illa Gronovii obſervatio? in libris certe *Obſervationum*, aut notis ad *Livium*, aut Epiſtolis ad Salmaſium in Collectione Burmanni eam non invenio. Similiter *Cicero* ad *Att.* lib. IX. Ep. 8. *Coenantibus*, ait, *II. Idus.* ubi *Malaspina*, &, quod miror, *Grævius* etiam explicat hanc numeralem notam *pridie Idus.* putat ſcilicet *Malaspina* II. Idus idem valere, quod *pridie Idus*, poſteaquam priſci illi, inquit, utro modo id ſcriberent, non laborabant; & pariter cenſet *Grævius II. Idus* idem valere, quod *Prid. Idus*, & τὸ *Pridie Idus* eſſe interpretationem τοῦ *II. Idus.* quod priori ſcriptura ejecta in contextum ſit translatum. Sed hoc minime credo: omnino legendum eſt *Pr. Idus*, uti ipſo fatente *Grævio*, vulgo in codicibus obtinebat; quod vero nonnulli codices *II. Idus* legunt, id poſterioris aetatis librariis tribuendum eſt, quando loco *pridie*, ſcribebant II. vel corruptum ex PR. Alium locum quoque citat *Malaspina* ex *Ciceronis* libr. Epiſt. ad *Torquatum*, (qui eſt VI. ad *Div.* Ep. 14.) vbi legi dicitur *ad II. Kal.* Sed vitioſum hunc locum eſſe iam adnotavit *Corradus.* Quod vero attinet ad primum illum *Ciceronis* Epiſtolar. ad *Q. Fratrem* locum, cum primos editores exaratum illud *a. d. II. Idus M.* offenderet, idque ab analogia linguae Latinae alienum maxime illi cernerent, addita unitatis nota, mutaverunt in *a. d. III. Id.* M. atque ita probe Ciceronem ſanitati reſtitutum arbitrabantur. Dies ille *III. Id. Mart.* in Tabulis Faſtorum notatur EN. *interciſus* cujusmodi generis diebus, ſpatio inter utrumque nefas interjecto, ſeu medio tempore inter hoſtiam caeſam & exta porrecta, quin lege potuerit agi, ac Prætor tria verba fari, nullus dubito, atque adeo die III. Id. Martias, licet interciſo, abſolvi potuit *Seſtius.* Cum tamen nullorum auctoritate codicum MStorum illa videatur lectio firmari, malo ex cod. Pal. legere *a. d. p. id.* id eſt, *A. D. Pridie Idus*, ea enim forma *ante diem pridie*, pro ſimplici *pridie*, veteris eſt elegantiæ: ſic in Fragmentis legum apud *Frontin lib. II. de Aquaeduct. T. Quinctius Crispinus Coſ. populum jure rogavit, populusque jure ſcivit in foro pro Roſtris a. d. pr. R. J.* hoc eſt, uti *Gronovius* exponit, *Obſerv. lib. IV. c.* 1. *ante diem pridie* ſive *Kalendas*,

ſive *Eidus Junias;* nam poſterius *R.* corruptum procul dubio. ex duplici tamen lectione, quam proponit vir ill. prior omnino eſt recipienda, non tantum ob ſimilitudinem majorem inter literarum figuram τοῦ K & R, ſed vel maxime poſterior damnanda eſt conjectura, quoniam *Pridie Idus Jun.* dies eſt totus nefaſtus ob *Veſtalia;* ergo comitia illo die nulla, neque populus jure rogari potuit, aut legem ſciscere. Eadem & alibi vſus eſt Cicero loquendi formula, *ad Att. lib. II. Epiſt.* 14. *Statim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodiſſime exſpectari viderem, duntaxat A. D. prid. Non. Mai.* ſic enim & ibi legendum cenſeo pro vulgato *ad*, uti ab imperitis librariis plus centies exaratum eſt, pro *a. d. ante diem.* Nihil enim analogiae aut rationi linguae adverſatur. Nam quemadmodum per ἀναστροφὴν, quod alii per ellipſin vocabuli *perfectum* explicant, quos inter *Auguſtinus*, *Emend. lib. IV. c.* 6. v. *Schwartz.* ad *Turſellin. Particulas p.* 139. ſed melius multo exponitur per ἀναστροφὴν *A. D. VI. Kal. ante diem ſextum Kalendas* dicimus, pro *ſexto die ante Kalendas*, qua de locutione praeter alios in primis vid. *Salmas.* in eruditiſſ. Epiſt. ad *Gronov.* in *Collect. Epiſt. Salmas. Ep. CXXIV. & ſeq.* ita pariter eadem figura loquendi recte ſcribimus *A. D. Prid. Non. ante diem pridie Nonas*, pro *pridie ante Nonas.* Contra in *poſtridie*, ut juxta dicamus *Ante diem poſtridie Kalendas*, *Nonas* vel *Idus*, quo minus ea formulá utamur, ipſa prohibet linguæ ratio, & analogia. unde ſimul patet, per *ellipſin*, vt putabat *Auguſtinus*, illa non dici; nam ſi ea locum obtineret, dici quoque poſſet *ante diem poſtridie* ſc. *perfectum.* Abſolutus ergo eſt *Seſtius ante diem pridie Idus Mart.* is enim dies, in Faſtis NP. *nefaſtus priore* notatus, judiciis cauſſisque agendis, parte ſua poſteriore, erat accommodatus. & credo vulgatam lectionem *a. d. II. Id. Mart.* vel errore librabrii ortam, loco τοῦ PR. ſcribentis II. vel ex gloſſemate potius natam poſterioris ætatis, ut videatur librarius more ſaeculi loco *a. d. pridie* ſcripſiſſe *a. d. II.* Etenim dies Kalendis, Nonis, Idibusque proximos, ſeu dies poſteros, quos poſtridie appellabant ſemper veteres, in *Conſtantii Kalendario* nusquam *poſtridie* dixerunt, ſed a ſequentibus Kalendis, Nonis, Idibusque numerarunt; nondum obtinebat tamen, ut loco *pridie* quoque notarent *A. D. II.* quod inde a temporibus *Theodoſii* videtur uſu invaluiſſe, uti ex ſubſcriptione *Novellæ Theodoſianae* conſtat. ad

quam

quam Theodosii aetatem forte referendum quoque vetus Kalendarium, quod antiquis codicibus Fastorum Ovidii praefigitur, insertum etiam T. VIII. T. A. Græv. *pag.* 89. *seqq.* quo nimirum in Kalendario dies tam *pridie* quam *postridie* ubique numerali nota exprimuntur. Spuria proinde vel certe longe posterioris est temporis, quam prae se fert inscriptio apud *Donium* Class. VI. 40. p. 235. & ex eo apud *Seb. Donatum* in *Supplem. Nov. Thes. Murat* Class. V. Tom. I. p. 154. in qua D. D. II. *Non. April* pro *prid. Non. April.* Recte autem *Malaspina* censet ad *Cic.* IX. ad *Att.* Ep. 8. *ad* (immo a. d.) *secundum Kalendas* non dixisse veteres, quoniam nusquam *Secundo Kal.* omnibus suis elementis scribitur. Sed quid dicendum de formula *ad Kal. Jan.* ap. *Cicer.* XV. ad *Att. Ep.* 25.? quam *Graevius* sumit pro *a. d. Kal. Jan.* explicatque *ipsis Kalendis Januar.* Minus recte, vt puto. nuspiam enim scio alibi eam formulam obviam esse. Resoluemus eam locutionem: nam a. d. III. Kal. est III. die ante Kal. an sic pariter a. d. Kal. erit dies ante Kal.? Minime gentium. nam si dico a. d. III. Kal. tum more Romanorum computatio fit a Kalendis. quod hic non habet locum. Itaque aut numeralis nota hic est omissa, vel *ad* notat circiter, sive sub Kalendas. Eximius est hanc in rem locus Ciceronis pro Rosc. Amer. c. 44. *Opinor*, inquit, *esse in lege*, *quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant*, *nimirum ad Kalendas Junias.* ubi *ad* notat initium, ex quo tempore. Sic ad *Kal. Græcas* proverbium Augusti. Neque ego censeo ubique τὸ *ad* resolvendum esse in a. d. *ante diem.*, uti fere nunc ubique VV. DD. facere solent.

LIBeralia. Dicebatur dies XVII. Martii, isque togae virili seu liberae dandae pueris erat dicatus. Neque tamen semper & ab omnibus videtur is dies hac in re vsitatus. v. *Masson* in *vita Horatii.*

Q. REXC. F. Hac nota signatur A. D. IX. Kal. April. atque iterum a. d. IX. Kal. Jun. (ubi posteriore loco in exemplari, quod *Grævius* Thesauro suo inseruit, legitur Q. REXC. E. vitio procul dubio errantis manus sculptoris,) explicatur *Quando rex comitiavit fas.*

Bis ita notatus legitur dies in Fastor. Tab. Maff. alia Fragmenta Fastor. menses Februarium & Majum non habent. at Ovidius in suis Fastis semel

mel duntaxat ejus diei facit mentionem, nempe a. d. IX. Kal. Jun. vid. Fast. Lib. v. 727. ubi post *Tubilustria*, quae in Tabula etiam Maffaeorum hunc diem proxime praecedunt, pergit:

Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis,
Vel mos sacrorum; vel fuga regis in est.

Mense autem Martio & *Tubilustrium*, quod festum eo etiam mense praecedit & sequenti die Q. REX. C. F. praetermittit Ovidius. Fasti, qui Ovidio præmittuntur, referunt ad X. Kal. male, & contra Ovidii mentem. Cum quatuor notas dicat *Ovidius*, Fastorum Tabulam ob oculos habuisse videtur, in qua, non uti in Tab. Maffaeorum integrum legebatur REX, sed potius Q. R. C. F. uti in *Fragm. Fastorum Venusinorum* habetur. uti & in Fragmento, quod in Exquiliis effossum est.

Quaenam vero hujus diversitatis caussa est *Ovidium* inter, & *Fastos Maffeianos?* an tempora distinguenda? an dicendus post Fastos ab Augusto correctos unum tantummodo quotannis ejusmodi in Fastis notatum diem IX. Kal. Jun. antea vero duos, alterum nempe IX. Kal. April. Fastos enim Ovidius vulgavit post an V. C. DCCLIX. vid. Masson. p. 134. & alibi. Augustus antem annum correxit ad praescriptam a Caesare Julio formam anno DCCXVI. eoque simul tempore judiciorum actuumque publicorum dies laxavit, XXX. amplius dies actui rerum accommodans, teste Suetonio, in *vit. cap.* 32. ut videri possit Imperator tum diem quoque alterum eorum, qui ita in Fastis inscribi solebant, & partim nefasti erant, exemisse, & actui rerum cum aliis accommodasse. Unde simul colligi posset Tabulam Maff. Fastorum emendatione ab Augusto instituta esse vetustiorem.

Has literarum notas *Varro* explicat Lib. V. de LL. cap. 4. *Dies* Quando Rex comitiavit fas *dictus ab eo, quod eo die Rex Sacrificulus itat* (uti recte Scaliger ad Festum legendum praecipit) *ad comitium: ad quod tempus est nefas, ab eo fas: itaque post id tempus lege actum saepe.* Comitiare explicat Varro *itare*, vel *ire ad comitium.* Pro *dicat*, quidam corrigebat *sacrificat* vid. not. ad Fest. *Frag. p.* 24. ubi V. D. ex eo, quod in Festi fragmento *tat* superest, apud *Varronem* potius legendum *itat*

itat arbitratur. non male forte *ſacrificat* legitur: *ſacrificat ad comitium*, unde Plutarch. ἐν ἀγορᾷ θυσίαν vocat πρὸς τῷ λεγομένῳ κομιτίῳ. ita in *foro* erat ſacrificium illud ad, ſive juxta comitium. non in comitio, unde patet lectionem *itat ad comitium*, pro *in comitium* locum non recte habere. — *Dicat* legitur in citato loco Varronis, quod *Siccama cap.* 2. exponit, Regem ſacrorum poſt peracta ſacrificia ad Comitium verba feciſſe de rebus divinis: ſed ne nihil de phraſi illa *dicere ad comitium* pro *in comitio verba facere*, nunc dicam, ex *Plutarchi* loco & *Ovidio* manifeſtum eſt, protinus peracto ſacrificio, Regem comitio fugiſſe.

Magnam hic, ut alibi, Paulli Epitome ex Feſti amplioribus commentariis nimis conciſe ac breviter concinnata, rei literariae cladem attulit: ita de hac diei nota Paullus: QUANDO REX COMITIAVIT FAS *in faſtis notari ſolet & hoc videtur ſignificare, quando Rex ſacrificulus divinis rebus perfectis in Comitium venit.* Ubi recte notat Scaliger verbum *venit* eſſe hoc loco alienum prorſus; non enim rebus divinis Rex in comitium venire, ſed abire inde ac fugere ſolebat: Feſti verba in compendium mittens Paullus hoc loco & alibi ſaepius, antiqui ritus ignariſſimus male ea compilavit: ipſa namque Feſti rudera, quae ſuperſunt, oſtendunt ſatis, ſcripſiſſe eum in hanc fere ſententiam: QUANDO REX COMITIAVIT FAS — *dies quando Rex in Comitium venit, ejus diei pars anterior nefas habetur, poſterior fas, cum ſacris peractis inde abit vel fugit.* — Locum Feſti in editionibus ſic a VV. DD. ſuppletum hodie legimus: *Quando Rex* COMITIA SIC *fas: ſic notatum eſſe diem in Faſtis in* HONOREM *regis ſacrorum, ajunt, qui de feriis* MENSTRUI SCRIPSERUNT, *quae Nonis Februarii in curia a* REGE DICUNTUR: *eae vero a multis ſcriptoribus traditae ſunt: nam quo die Rex in comitium venit, ejus pars anterior nefas habetur, contra autem poſterior fas; quia, ſacris peractis inde abit: quod* SI QUIS ALIUS PRO REGE *eo die in comitio fecerit, puta Pontifex;* TUM HIS DIES *totus eſt faſtus.* Quid Feſti dimidiati verſiculi ſignificent, ſe ignorare, ingenue fatetur *A. Auguſtinus.* Quae in Feſti reliquiis corrupta leguntur, facile ſunt reſtituenda: pro COMITIA SIC leg. *comitiavit:* pro *menſtrui* leg. *menſtruis*, ut eſt in Fragmentis Urſini: pro a *Rege dicuntur* leg. *edicuntur*, pro *tum his dies* corrig. tum *hic* vel *is dies.* at rite ſuppleri omnia poſſe, quae deficiunt, non video, qua ratio-

tione fieri queat: quae in supplementis hic *de feriis*, *quae Nonis Februarii in Curia a Rege edici* solebant, memorantur, non video, quid huc faciant, ubi exponuntur Fastorum notae Q. REX C. F. quales duo olim quotannis fuere dies, non Nonis Februarii, sed VIIII. Kal. April. & Jun.

Quae in fine addit Festus, *si quis alius pro Rege* etc. perquam etiam obscura sunt: Scaliger, utrum intelligat *fas*, an *nefas*, nescire se, ait: an forte dicemus integrum diem tum fuisse potius fastum, id est, *comitialem*, siquidem tum ordinarium a Pontifice aliove sacerdote fieret sacrificium?

Alio etiam loco in voc. *Regifugium* hujus notae ac diei mentionem fecit idem *Festus*, ubi cum supplementis recentiorum Interpretum verba sic leguntur: ... *Regifugium dies notatur in Fastis* VI. KAL. *Martias*, *ut ait Verrius*, *ita dictus*, QUIA *eo die rex Tarquinius Roma fugerit;* QUOD FALSUM *esse arguit Cincius in libro fastorum*, ET TULLIUS *de Feriis*, *qui Saliares Virgines & SALIOS adesse dicunt regi sacorum*, *cum facit* SACRIFICIUM *in comitio*, *quo facto statim fugit. quo verum* COGNOVERIT *esse*, *qui legerit in fastis dies tales*, QUALES NOTANTUR *sic Q. REX. C. F. id est*, QUANDO REX *comitiavit*, *fas: id est ad comitium* ITAT. (hic etiam lego ad comitium *sacrificat*) HIS *enim tantum feriis regi sacrorum in comitium* NEC IN *aliis ire licet. qui mos videtur ascitus ex* ETRURIA. *Regifugium item dies notatur in fastis* KAL. JUNIIS. *qui dies quia totus nefastus non est*, LEGI DEBET CUM *nota N' non N*, *quod ille dies sit* E N E FASTO FASTUS. *Paullus Festi* Epitomator haec tantum verba excerpsit: *Regifugium sacrum dicebant*, *quo die rex Tarquinius fugerit Roma*. — *Augustinus* ad h. l. *Festi* notat, verba se non adsequi, nisi quae *Paullus* inde notaverit, in Fastis, diem totum esse nefastum, ac nonnulla videri hic ad alia verba pertinere. — *Scaliger* autem observat; actum hic fuisse de Regifugio usque ad illa ... *truria;* mox deinde aliud caput ordiri. additque *Regifugium* dies Kal. Juniis in Fastis notari, & legi debere eum NP. quod ille dies sit e nefasto fastus; ex quibus apparere, ait, *Festo* aut *Verrio* displicuisse vulgatam Fastorum lectionem, quae per N. quasi totus nefastus sit, hunc diem conciperet, uti & hodie in Calendario Marmoreo. Mihi autem & in hoc Festi loco cuncta rursus incerta videntur, & desperata. Etenim qvae dissensio *Verrium* inter & *Cincium*, &

& *Tullium*, (five Julium) de hoc die regifugii fuerit, non liquet. Ipse *Festus Verrium* non probe videtur intellexisse. recte enim Verrius Regifugium dies VI. Kal. Mart. interpretatus est diem, quo Tarquinius Roma fugerit (seu fugatus potius sit) isque dies, ut in Fastorum *Tabula Maffaeorum* recte notatur, totus fuit nefastus: Cum autem *Festus* in Fastis *Cincii*, et *Julii* libro de *Feriis*, relatum quoque legisset diem notatum Q. R. C. F. non *Kal. Juniis*, ut hic exhibetur, sed *IX. Kal. Junias*, qui dies a *Cincio*, *Julioque*, *Regis fuga*, forsan notatus est; nisi potius dicas, istum *Festi* ipsius errorem esse, ut putaverit Kal. Juniis regifugium fuisse, quem errorem secutus videri potest ex *Festo* Macrobius. Uti quoque *Ovidius* cum scribit *seu fuga Regis inest*; confudit dies plane diversos: cumque isto die, quando rex comitio fugisset, fas rediret, neque adeo plane esset nefastus, sed pro parte tantum, reprehendit Fastos, in quibus dies *regifugii* VI. Kal. Mart. notaretur, litera N., quem ipse putabat signandum quoque esse NP., haud probe distinguens Regifugium diem VI. Kal. Mart. qui festus erat in memoriam fugati olim Roma Tarquinii, & diem Q. R. C. F. seu fuga regis sacrorum ex comitio VIIII. Kal. Jun. — Morem, ritum & antiquitatem hujus diei exponit *Scaliger* ad *Festum* pag. 156. observans, Regi sacrorum neque magistratum gerere, neque verba ad populum facere, licuisse, neque propterea in comitium ire potuisse, nisi hoc die sacrificii caussa, quo peracto propere se inde reciperet; vid. *Plutarch.* in *Quaest. Rom.* Segm. 63. — Ceterum iam antiquo tempore notas Fastorum *Q. R. C. F.* dupliciter sunt interpretati, vel *quando rex comitiavit fas*, id est, postquam rex sacrorum in comitio fuit, ibique sacrificium peregit, dies ex nefasto fit fastus. Eaque interpretatio fuit vera. Cum vero moris erat, ut exponit nobis *Plutarchus*, ut rex, peracto sacrificio protinus ac properanter ex comitio fugeret, ad istam fugam alludentes nonnulli, quasi fastorum notae eo spectarent, interpretari solebant, *quando rex comitio fugit.*

Quam duplicem notarum hujus formulae interpretationem attendens *Ovidius* scripsit, his quatuor notis, ordine lectis, vel *morem sacrorum inesse*, hoc est, indicari, quando rex comitiaverit, id est in comitium venerit sacrificii caussa, quo peracto dies esset fastus; vel inesse *fugam regis*, nempe ex comitio, id est indicare morem seu consuetudinem, qua solitus erat ille sacrorum rex peracto sacrificio, propere se inde recipere,

ac veluti fugere ex comitio. *Augustin.* ad Fest. p. 46. putat ignorasse Ovidium, quid quatuor notae illae significarent, idque confessus ipse ei videtur, cum dicat *vel mos sacrorum*, *vel fuga* regis inest. at vid. Scalig. pag. 157. non expedivit quoque auctor Fastorum, qui *Ovidii Fastis* praemittitur plerumque, cum explicat ad X. Kal. Junias *mos sacrorum pro fuga Tarquinii faciundorum non modo. inest fuga Tarquinii. inest Kal. Mart.*

IX. *Kal. April.* *Sanguen* dies Aegyptiacus v. *Cuper.* in *Harpocrate* p. 90.

Mensium APRILIS. MAII & JVNII.

FERIAE LATINAE. Ferias Latinas putat *Manutius* in Commentario ad Cic. Epistol. *ad Q. Fratrem* p. 46. olim *Statiuas*, deinde in conceptiuarum fuisse ordinem redactas, & statiuas quidem olim fuisse arbitratur ob locum *Livii* XXV. 12. vbi eum scribat: *Romae Consules Praetoresque vsque a. d.* V *Kal. Mai. Latinae tenuerunt. Eo die perpetrato sacro in monte in suas quisque provincias proficiscuntur.* non vero simile putat Manutius, Consules, cum victor Annibal vastaret Italiam, consulto in V. Kal. Mai. qui dies a primo initi Magistratus die, Idibus Martii, 43. dierum spatio distaret, Latinas distulisse, vt sibi ipsi imponerent ideo necessitatem diutinae in vrbe mansionis, cum nulli magistratui in provincias abire fas esset, nisi Latinarum sacro confecto. Consules erant hoc anno 541. Q. Fulvius & Appius Claudius. At vero cum incertus fuerit vsque ad A. V. 600. ineundi Consulatus dies, quaero, vnde Manutio constiterit hos iniisse consulatum Idibus Martiis. Fateor lubens, hoc circiter tempore Idus Martias diem Consulatui ineundo fuisse solennem. Nam & Consules A. 538. T. Sempronius & L. Postumius Idibus Martiis auspicati fuerant consulatum v. *Liv.* XXIII. 24. & A. 542. Cn. Fulvius & P. Sulpicius eodem etiam die inierunt, teste *Livio* XXV. 41. ac similiter de Anno 553. & 565. constat, adeo, vt Idus Martiae quodammodo hac aetate solennes videantur fuisse consulatui ineundo. Hoc tamen anno serius paulo iniisse videntur, siquidem prioris anni Consules bello intentos ad comitia consularia evocare non placebat, eamque ob caussam comitiorum ergo Di-

Dictator creatus eſt, teſte *Livio*, XXV. 2. Deinde ſi vel maxime idibus iniiſſe ſtatuamus, aliae praeter *Latinas ferias* his novis Conſulibus fuerunt morae; delectus militum impediebatur, comitia Pontifici Maximo creando, petente cum duobus aliis hunc honorem ipſo Conſule *Q. Fulvio Flacco* v. eund. Liv. c. 4. ſequ. Huc accedit, quod prioris anni Conſul Q. Fabius & Fulvius Centumalus tum adhuc cum imperio apud exercitum erant, ac denique notandum, non initio hujus anni Annibalem vaſtaſſe Italiam, ut ſcribit Manutius, ſed poſt Tarentinorum defectionem in hiberna regreſſum, teſte Livio c. 11. ſub fin. Hinc explicari quoque poſſe videtur, de quo dubitatur a Livio *l. c. Caeterum*, inquit, *defectio Tarentinorum, utrum priore anno, an hoc facta ſit in diverſum auctores trahunt: plures propioresque aetate memoriæ rerum hoc anno tradunt factum.* Credo, defectionem Tarentinorum accidiſſe, conſulatu Fabii Maximi & Sempronii Gracchi an 540. ad exitum vergente, cum a Dictatore comitiorum habendorum cauſſa creato deſignati jam erant novi Conſules, Fulvius Flaccus, & Appius Claudius, qui inito iam magiſtratu, quo minus ad exercitum proficiſcerentur, militum delectu, aliisque inpediti moleſtiis moras in urbe trahebant, usque a. d. v. Kal. Mai. confectis Latinis feriis. isque rerum ſtatus apud Tarentum in cauſſa fuit procul dubio, quare conſules ad Comitia Romam avocari nequiverint. Itaque cum illa defectio initio anni acciderit, (uti conſtat ex Polybio *lib. VIII. c. 28. in fin.* ubi ſcribit, Hannibalem praeſidio in urbe Tarentina, quam proditione ceperat, relicto, cum reliquis copiis in caſtra profectum, ibique reliquum hiemis quietum tranſegiſſe. & Livius etiam, regreſſum Hannibalem in hiberna tradit.) cum, inquam, illa defectio Tarentinorum initio anni 541. acciderit, ſed conſulatu nondum defunctis conſulibus prioris anni, hinc diverſæ auctorum ſententiæ, quorum quidam, quod res geſta erat ſub prioris anni conſulibus, adſcribebant factum an. 540. alii non quibus Conſulibus, ſed quo anno v. c. factum eſſet, reſpicientes, tribuerunt eam defectionem an. 541.

Dies religioſi ſiue atri, tales erant, quibus aut privatim aut publice quidquam fieri majoris momenti, religio vetabat. ita explicat Manutius ad h. l.

& recte minus tamen congrua huic loco est explicatio: nam atri dies eo maxime a Nefastis erant distincti, quod atro die nullum fas erat fieri sacrificium, uti ex eorum institutione constat: Nefasto autem die inprimis sacrificia fiebant. Cum ergo Latinis feriis sacra fierent in monte Albano, sequitur eos dies non proprie religiosos, sed Nefastos fuisse. hinc & Feriarum Latinarum diebus lege agi non licebat. v. exemplum ap. Tacit. *Ann. IV. c.* 36.

Consules, Prætores aliique magistratus paludati in provincias vel ad bellum gerendum proficisci, nefas erat, priusquam Latiar esset confectum. v. Liv. h. l. & varia exempla a Dukero citata ad Liv. lib. XLI. cap. 17. ejus rei caussam reddit Macrobius Lib. I. *Sat. c.* 16. nefas erat prælium sumere, quoniam Latinarum tempore quondam induciae in Romanum populum Latinosque firmatæ essent. — Contra Manutium inferri etiam potest, quod satis mature a Consulibus hoc anno in a. d. v. Kal. Mai fuerunt indictæ: equidem credo, ultimum fuisse operum, quæ consules in urbe priusquam in provincias proficiscerentur, ferias Latinas indicere & celebrare: itaque novi Consules, licet statuamus iniisse Idib. Mart. priusquam ad exercitum proficiscebantur, delectus militum agere, provincias sortiri, aliaque domi in bonum ordinem constituere debebant, ut adeo maturius abire vix potuisse videantur. neque ullum novi exemplum Latinarum citius aut maturius confectarum. *Prid. Id. Apr. Liv.* lib. *XLIV. c.* 19. easdem tamen cap. 22. Latinas *prid. Kal. April.* fuisse ait. v. interpretes ad locum priorem. Lib. XLII. c. 35. dicitur: quo magistratus maturius in provincias proficiscerentur, *Latinæ Kal. Juniis fuere.* Consules tamen eo anno Licinius Crassus & Cassius Longinus a. d. XII. Kal. Mart. creati v. Liv. *c.* 28. procul dubio legitimo tempore inierunt vel Kal. vel Idib. Mart. & cum maximum immineret bellum, tamen non ante *Kal. Junias* profecti sunt. Atque adeo initio anni priusquam expeditionem susciperent Coss. aut magistratus, Latinæ agebantur mense Martio ad finem vergente, Mense *Majo*, ut & *Junio* ineunte. hinc quod ap. Liv. lib. XLV. c. 3. legitur senatus in triduum supplicationes decrevit, ut Latinae edictæ a consule sunt in a. d. IV. III. & pr. Id. Nov. quodque Douiatius ad Liv. XLII. c. 35. iis diebus ferias Latinas celebratas putat, aliter est explicandum. v. interpretes ad posteriorem locum, quem locum ita legendum credo: *Ob eas res gestas ductu auspicioque L. Anicii Prætoris, sena-*

natus in triduum supplicationes decrevit, *&*, *ut Latinae edictae a Consule sunt in a. d. IV. & III. & pr. Id. Nov. &* absorptum erat priori syllaba *it*, vel vocula sequenti *ut*.

Latinae in quatriduum indicebantur. v. Sigon. ad Liv. XLII. c. 3. conf. *Wesseling* ad *Acta Diurna*, citatus a *Dukero* ad Liv. XLIV. c. 19.

CER*eales* LVDI in Circo.

In Fastis Maffaeorum Prid. Idus notantur *Ludi Cereris*, atque ita deinceps per octo dies continuos ludi notantur vsque ad XIII. Kal. Mai. vbi CER. N. LVD IN CIR. Sic in Kalendario Herwartiano Ludi Cereales notantur Prid. Jdus Apriles, per octo similiter dies continuos ad XIII. Kal. Mai. at in *Lambeciano* Ludi Cerealici a. d. III. Jdus Apriles vsque a. d. XIII. Kal. Mai. atque adeo per nouem dies. Cfr. *Schurtzfleischius* p. 348. qui sua sublegite *Ryckii Animadversionibus* in *Tacitum*, ex Fastis Marm. & *Herwart.* corrigens Lambecianum Calendarium h. l. & certe cum pridie Jdus non notentur *Ludi* in *Lambeciano* hoc Calendario, error videri poterit Scriptoris, vno die ante, quam oportebat, hos Ludos referentis. Equidem tamen vix dubito, quin *Ovidii* tempore per nouem dies continuos Cereales Ludi sint celebrati. Exibant hi Ludi die XIII. Kal. Mai. in quo omnes conveniunt. Cf. & *Ovidius* IV. *Fastor.* 679. sequ. At *Ovidius* initium ponit Cerealium Ludorum, si recte computes a. d. III. Jdus Apriles. Ait autem vers. 165. *Nox vbi transierit* &c. intellige primam mensis *Aprilis*, adeoque postridie Kalendas Pleiades occidunt. vers. 179. *Ter sine perpetuo* &c. intellige de die Pridie Nonas, quando Megalesia incipiunt. Celebrabantur autem per dies sex vsque ad a. d. IV. Idus, qui vltimus Megalesiorum. Male *Petavius* octo, credo deceptus *Livii* loco XXIX. 14. Omnes Fasti adsignant tantum dies sex.— vers. 377. *Postera cum coelo* &c. intellige de die secundo Magalesiorum, itaque postera lux est capienda de ipsis Nonis. vers. 377. *Tertia lux (memini) Ludis erat.* Exponit *Neapolis* de tertia post Nonas, seu VI. Idus Apriles. male omnino. *Tertia* lux, inquit, est Ludis, seu tertius dies Ludorum Megalesiorum, atque adeo postridie Nonas. vers. 385.—391. *Plura locuturi* &c. rem, quam dixi, demonstrant. De his ludis v.

Ryckius ad Tacitum p. 369. vbi corrigit *Lambecium*, & *Norisius* de *Ann. Maced.* p. 26.

ROB*igalia.* Jllustris *Maffei* in *Arte Critica Lapidaria* p. 210. inscriptionem memorat Foroiuliensem a *Phil. a Turre Monum. vet. Antii* p. 316. ex eo a *Muratorio* CII. 6. & *Jo. Dom. Bartoli Antichità d'Aqvileia*, p. 109. n. 94. editam, in qua leguntur haec verba: DEO RVBIGO SACRVM, sed suspectum putat eum lapidem, tum quod infra in lapide sculptile ornamentum depingitur, quod nequaquam sit operis antiqui, tum etiam quod Deum *Robigum* nulla vsquam votiva exhibuerint marmora, nisi in vno tantummodo lapide, apud *Reinesium*, eoque fictitio. Sed cur priorem illam plane damnaverit vir illustris, nullam equidem satis idoneam vel iustam rationem video. Saepius enim optimis etiam fidissimisque monumentis imperitum postea vulgus ornamenta qvaedam insculpsit, aut depinxit, id quod etiam Fastorum Capitolinorum Tabulis accidisse testatur *Panvinius*, aliique αὐτόπται. Quod vero nullae supersint aliae votivae inscriptiones, Deum Robigum memorantes, inde quidem nullum, vt mihi videtur, argumentum depromi potest satis firmum. nihil enim rationi sanae repugnat, nec obstat quidquam, quare agricolae (vt certe haec inscriptio in agro posita fuit,) huic Deo, qui colebatur, *ne mala culmos esset robigo*, vt loquitur *Virgil.* I. *Georg.* 150. votiuam eiusmodi tabulam suspendere potuerint. Causa vero, quod non aliae votivae extent amplius tabulae, haec est, quod eiusmodi inscriptiones, tenuiori laminae marmoreae insculptae, & in agris, aëri, ventorumque iniuriis expositae haud difficulter magnam partem perierint. Idem videtur accidisse votiuis Rusticorum numinum marmoribus, quod de cippis milliaribus scribit ipse ill. *Maffeius*, p. 293. scilicet cum non in civitatibus aut frequentioribus locis, sed in agris solitariis statuebantur, imperii Romani vi & maiestate dilapsa, vniuscuiusque arbitrio patuerint, atque agrestium hominum operibus atque aedificiis vbicunque inservire hi votiui lapides sint coacti. *Reinesiana* vero inscriptio, quam spuriam quoque damnat, ita se habet: Class. I. 233.

RO-

ROBIGO ET CERERI ET FLORAE
SACRVM L. AMPIANIVS MER
ENDA LALVMVIANVS PREFEC
TVS PRAETORIVS PECVN. S. DD.

Fictitiam ideo putat *Maffeius* ob auctorem *Ligorium*, a quo *Spanhebemius* accepit. *Ampianiam* gentem, *Praefectum Praetorium*, quod *Ligorianum* est officium (forte opificium) patriam *Lanumvium*, & *Florae* numen, nulla pariter, quae commentitia non sit, votiva tabula conspicuum, & quo suboleat, falsarium e Calendario Maffeiano sibi hos Deos hausisse, in quo *Floralia* post *Robigalia* consignantur. — Vel sic tamen non adeo perspicue fictitia censebitur haec Inscriptio, & plane falsa. Nondum enim adducor, vt credam, omnes, quae *Ligorium* profitentur, inscriptiones spurias esse. *Ampiania* gens licet libera re publica incognita, quo minus posteriori tempore eam fuisse statuamus, nihil causae video. *Praefectus Praetorius* in ea tabula vitium esse potest exscriptoris, vti & in *Lanumvianus*. Plura enim ex *Ligorianis* male exscripta esse monumenta satis constat. Recte ii videntur tria haec numina in votiua tabella iunxisse, sed ex Calendario Maffaeorum haustam esse hanc inscriptionem, minime mihi apparet. — *Donatus* in Not. ad *Maff.* p. 211. de Robigalibus agit, citatque *Varron.* I. de R. R. 1. *Plin.* XVIII. 29. *Bartoli* in notis ad *Inscript.* p. 109. 110. n. 49. putat aberrasse amplissi. Praesulem a *Turre*, vbi Deo *Robigo* docet canem & ouem sacrificari. ac *Turrius* id probat ex *Ovid.* IV. *Fast.* 935. at non animadvertit ad vs. 907. ex quibus satis constat *Robigini* non *Robigo* veteres sacrificasse. De huiusmodi Dea loquitur *Tertullianus* I. de *Spect.* 5. *Lactantius* I. 20. *Augustinus* IV. de *Civ. Dei* 21. Attamen *Festus* in *Robigalia* Deum facit, & *Gellius* V. N. A. 12. vbi interpretes perperam pro Deo Rubigo afferunt *Ovidii* IV. *Fastor.* 907. locum. Inter recentiores *Robigi* meminerunt *Reinesius* ad Inscriptionem citatam, *Rosinus*, alii.

LVD. FLORales. vid. Ovidius IV. Fastor. *Plin.* XVIII. 29. IV. Kal. Maias instituerunt Romani A. 516. *Varro* L. I. de RR. & V. de Lingv. Lat. vid. etiam *Lactantius* L. I. c. 20. *Cicero Floram* matrem

trem

trem quoque appellat V. *Verr.* 14. — Ill. *Maffeius* in *Art. Crit. Lapid.* p. 210. Florae numen fcribit, in nulla votiva Tabula, quae commentitia non fit, confpicuum effe. Sed praeter *Reinefianam* infcriptionem ante memoratam, vbi tria numina Robigus, Ceres & Flora iunctim leguntur, quamque non omnino fpuriam habendam credo, aliae etiam Infcriptiones Deae Florae votivae funt ap. *Muratorium Nov. Thef.* XCII. 5, 6. Has etiam illuftr. *Maffeius* pro genuinis non habet. Sed nefcio tamen, qvare damnet. Certe Rufticos in agris faepius hisce praefertim numinibus votiua ftatuiffe marmora, nulla videtur ratio vetare, quo minus credamus.

Menfis MAII

LEM*uralia.* v. *Animadverf.* p. 242.

Menfis JVNII

VEST*alia.* in Faftis a. d. v. Eidus Jun. notantur hoc modo:

HVESTNFER

VESTAE

De Infcriptione fupra vidimus. *Ovidius* quoque ad eumdem refert diem VI. *Faftor* 249. non quidem expreffis verbis, fed ex iis, quae praecedunt, tum etiam, qvae fequuntur, idem ille dies in Faftis notatus hinc etiam colligitur. Praecedit enim proxime dies Menfi facratus, quem refert ad A. D. VI. Jdus, atque adeo, cum nihil, vt folet, accuratius de die Veftalium definiat, fignificat tacite, Veftalia effe referenda in diem proxime fequentem V. Idus. magis etiam conftat ex verf. 469. fequ vbi ftatim poft *Veftalia*, & ante *Matralia*, quae a. d. III. Jdus erant, adeoque IV. Idus ponit Delphinis ortum vefpertinum. Cum vero *Ovidius*, vbi de Nuptiis filiae agit, omne illud tempus inde a poftridie Nonarum ad XVII. Kal. Jul. Q. ST. D. F. fignificat propter dies nefaftos inutile fuiffe atque alienum a nuptiis, quaeri poteft, quare illi novem continui dies fuerint nefafti, atque ita in Faftis marmoreis etiam omnes notantur, litera N. excepto, quod Idus ipfae vti per totum annum prima tantum parte fint nefaftae. caufam exponit *Feftus* in voc. *Penus*, vbi fcri-

ſcribit: Penus vocatur locus intimus in aede Veſtae *tegetibus ſeptus*, (ita recte pro *ſegetibus... ſaepius*) *qui certis diebus circa Veſtalia aperitur, ii dies religioſi habentur.* Vbi quos dicit dies *religioſos*, intelligendi proprie ſunt, non *atri*, ſed *nefaſti*. Dies illi circa Veſtalia, quos reſpicit *Feſtus*, fuere novem continui nefaſti, inde a VII. Idus vsque ad XVII. *Kal. Jul.* nempe a. d. VII. *Idus Jun.* Veſtae penus, hoc eſt, intimus ille locus aperiebatur, ac patebat per nouem illos dies. Claudebatur XVII. Kal. Jul. uti eximie patet ex Faſtis *Conſtantii*, vbi ad diem VII. Jdus notatur *Veſta aperit*, id eſt, aperitur eo die Veſtae penus. Deinde Veſtalia notantur V. Jdus, vt aliae quoque Faſtorum Tabulae cum *Ovidio* conſentiunt. Die autem XVII. *Kal. Jul.* notatur: *Veſta clauditur.* qui idem dies in Faſtis *Maſſaeorum* notatur Q. ST. D. F. Dies autem ille XVII. Kal. Jul. fuit partim Nefaſtus partim Faſtus. Errat enim *Sertor. Vrſatus* p. 938. cum ait, totum hunc diem faſtum fuiſſe notans, idque ex Faſtis colligendum. ſed prorſus male! Nempe putavit, ideo quod hic dies in fine notaretur litera F. propterea, vt alios dies, fuiſſe faſtum; cum hae notae exponi debeant, faſtum illum diem eſſe, poſtquam ſtercus delatum eſt. contra, quod hic conferri poſſit in Feriis conceptivis; dies incipiebat eſſe nefaſtus, quando Feriae eſſent conceptae, idque ſolemni formula ſignificabatur etiam, *quando conceptae fuerint* N. *Macrob.* I. *Satur.* 4. fin. Verba ex edicto Praetoris profert: *Die Noni popolo Romano Quiritibus compitalia erunt, quando concepta fouerint* N. qua formula ſignificabatur, nefas, ſeu nefaſtum fieri diem, quando, & quam primum compitalitia fuiſſent concepta.

Q ST D F. Cf. *Animadverſ.* p. 245.

Is dies in Tab. Faſt. Maff. notatur a. d. XVII. Kal. Jul. vertitur *quando ſtercus delatum fas.* In Fragm. *Faſtor. Venuſinorum* notatur hic dies F. XVII. Q. S. I. F. explicari poſſet *quando ſtercus inlatum fas.* ſed in his veteres & viſitatas formulas ſervare ſoliti erant. Lege ergo Q. S. D. F. *Varro* ſcribit, eum diem ſic appellatum, quod eo die ex aede *Veſtae* ſter-

ſtercus everreretur, & per Capitolinum clivum in locum deferretur *certum.* quid ſi legas *artum*, ut ita dixerit locum, quem *Feſtus* vocat *angiportum.*

Feſtus autem eodem modo, quo dies Q. R. C. F. ita hunc quoque in voce: *quando ſtercus delatum fas* Q. ST. D. F. in Faſtis notari ſcribit, qui talis ſit, ut aedes Veſtae eo die purgaretur, ſtercusque in alvum capitolinum ex aede veſtae deferretur, cumque id factum ſit, tum licere Prætori tria verba.

Paullus ita habet: QUANDO STERCUS DELATUM FAS, *eodem modo in Faſtis notatur dies quo ſtercus purgatur ab aede Veſtae.* Feſtus autem ſuppletus a viris doctis ita: *quando* STERCUS DELATUM FAS, EO*dem modo in faſtis notatur* DIES, QUI TALIS EST, UT *aedes Veſtae eo die purgetur*, STERCUSQUE IN ALVUM CAPITOLINUM *ex aede Veſtae deferatur.* CUM ID FACTUM SIT *tunc Prætori liceat fari tria verba.* In voce *Stercus* ita ſcribit: *Stercus ex aede Veſtae XVII. Kal. Jul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta ſtercoraria. tantae ſanctitatis majores noſtri eſſe judicaverunt.*

Ovidius Lib. VI. Faſt. vs. 225. *ſqq.*

Primaque pars hujus thalamis aliena reperta eſt:
Nam mihi ſic conjunx ſancta Dialis ait:
Donec ab Iliaca placidus purgamina Veſta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis.

atque iterum 713.

Haec eſt illa dies, qua tu purgamina Veſtae,
Tibri, per Etruſcas in mare mittis aquas.

Scaliger, quem ſequuntur alii, priorem Feſti locum ex *Varrone*, ipſoque *Feſto* in voc. ſtercus corrigendum putat, pro *alvum* reponens *clivum.* ſed ſtercus ex aede Veſtae non delatum *in* clivum Capitolinum, ſed ut Varro ait *per* clivum capitolinum *in locum certum*, & ut Feſtus in v. *ſtercus in angiportum* medium fere clivi capitolini *locum certum*, illum videri poſſet Feſtus dixiſſe *alvum*, qua ſcilicet ſordes vel ſtercus continebatur. ex quo *certo loco* vel *alvo* per angiportum ſordes deferebantur in Tiberim

rim atque adeo & facile explicari etiam poteſt, in quo *Neapolis* incertum ſe haerere confitetur, cui credat, *Varroni*, *Feſtoque*, an *Ovidio*, & facile hi poſſunt componi probe conſentientes.

Dies ille, quo ſtercus ex aede Veſtae deferebatur, in Marm. Tab. Maff. notatus eſt a. d. XVII. Kal. Jul. neque alium diem, arbitror, intelligit Ovidius, cujus primam partem ob eam cauſſam thalamis alienam dicit. Kalendas, Nonas, Idusque novis nuptiis celebrandis religioſas fuiſſe ac propterea devitari ſolitas, recte ad *Ovidii* locum notat Nob. *Heinſius*, quod vero addit, dies quoque omnes poſtriduanos fuiſſe atros, ac propterea ſuſpicatur, diem poſt idus Junias, utilem nuptiis haud recte dici, in eo neſcio an recte Poëtam ceperit? addit *Heinſius* haud dubie intelligi diem ante XVIII. Kal. Jul. idibus jam exactis, (ita ſcribit *Heinſius*, rectius dixiſſet ante diem XVII. nam menſis cum 30 habeat dies, non datur XVIII. Kalendarum) quare videndum, ne *Naſo* ſcripſerit, *poſt actas Idus*, ſequentem vero verſum oſtendere diem fuiſſe interciſum. Dies poſtridie Kalendarum, Nonarum, & Iduum non erant amplius *Ovidii* tempore religioſi, ut alibi docemus, adeoque illi huc nihil pertinent: dies cujus poſteriorem partem notat Poëta, aptam nnptiis copulandis eſſe intelligit certe a. d. XVIII. Kal. Jul. ut Faſti marmorei docent, & ex ipſo Ovidio colligitur: ſupr. vs. 213. ſqq. Nonas hujus menſis retulerat *Sanco Fidio Semoni.* vs. 219. ſqq. interponit de filia, quam cum vellet elocare, dicit ſe quaeſiviſſe apta taedis tempora, additque verſ. 223.

Tum mihi poſt ſacras monſtratur Junius Idus
Utilis & nuptis utilis eſſe viris.

In MSt. Faſtis *Græv. Theſ. Præf.* notatur ad diem VIII. Idus (vel poſtridie Nonar.) *malum eſt nubere:* ſed ex *Ovidio* apparet, non eum tantum diem, ſed ſequentes continuos ad XVII. Kal. Jul. fuiſſe alienos a nuptiis. Omnes itaque dies inde ab Nonis ipſis hoc menſe uſque ad *poſt ſacras Idus* alieni erant atque inutiles nuptiis. iique dies in Faſt. Marmoreis omnes notantur litera N. Nefaſti. Ipſae Idus, ut aliis menſibus totius anni omnibus, dies erant prima tantum parte nefaſti: ſed quo minus tamen faſta diei parte nuptiae poſſent celebrari, obſtabat vetus religio, quam

ex Macrobio retulimus: Dies itaque *poſt Idus*, ſeu poſtridie *Idus* videri potuiſſet ſignificaſſe. Non enim, ut dixi, omnes iſthoc tempore dies poſtriduani fuere atri, plures ut *faſti* notantur in Tabula Maffaeorum. verumtamen is quoque dies poſtridie Idus Junias rurſum hoc menſe totus nefaſtus; utilis itaque matrimonio ineundo dies demum ſequens poſtriduanus, id eſt XVII. Kal. Jul. isque etiam prima parte nefaſtus alienus erat, donec aedes Veſtae purgata eſſet: cum itaque non intelligit poſtridie Idus, minus definite locutus eſt *Ovidius*, diem ſibi monſtratum dicens poſt Idus, cum non is dies Idus ſequatur, ſed tertius ſit poſt Idus: hac difficultate, ut videtur, motus Nob. *Heinſius* legebat loco poſt *ſacras Idus*, *poſt actas Idus*, id eſt *Idibus* jam exactis: ſed ea mutatione nihil adhucdum dies definitur ſatis certus, quin unum idemque eſt *poſt Idus*, ac, *poſt actas Idus:* Idus enim actæ dicuntur ipſo illo Iduum die præterito, non poſtridie Idus, ut putavit Heinſius, ex nomine nempe, ut credo, quod is dies poſtridie Idus dicatur, ſed propterea ad Idus non pertinet. quemadmodum pridie, poſtridie, dies Kalendarum, diesque aut Kalendas non ſunt ipſæ Kalendæ vel dies Kalendaris. Idus actas dici, unico Iduum die finito, patet ex *Ovid.* Faſt. I. 617.

Reſpiciet Titan actas ubi tertius Idus,
Fient Parrhaſiæ ſacra relata deæ.

Ubi tertius Titan reſpiciens actas Idus eſt dies XVIII. Kal. Febr. ſeu tertius dies poſt Idus. Ego certe nihil video illa differre. Vitium puto latere in hoc verſu inveteratum, nempe in voce *Junius*, quod vocabulum quid huc faciat prorſus non video. Nam quivis facile intelligat, Poëtam *Idus Junias* intelligere; quomodo ſcribere poteſt, Junium ſibi monſtratum poſt Idus (nempe Junias) & quid notat, quod dicit, Junium ſibi monſtratum? lego ſine ulla hæſitatione:

Tum mihi poſt ſacras monſtratur TERTIUS *idus.*

id eſt *tertius dies* poſt *Idus*, qui eſt XVII. Kal. Julias. Cum olim tertius legeretur, mutationi cauſſa fuit ignaris librariis, quod eleptica eſſet locutio *tertius* pro dies tertius, cum rariſſime ſubſtantivum prætermittat *Ovidius*. Ita tamen *Sexta Kalendas* I. *Faſtor.* 705. & *Poſtera cum roſeam* V. *Faſt.* 159. Græci frequenter ἡμέρα omittunt ἐν τῇ δευτέρᾳ, τρίτῃ &c.

Qvae-

Qvaeri possit, undenam illud stercus in aede Vestae isthoc tempore, certe quod Vestalia tum essent. an asinorum stercus erat? Aselli enim molitorii in honorem Vestae coronobantur monilibus de pane, v. *Ovid.* VI. *Fastor.* 311. & 347. Cur vero nefastus fuit ille dies usque ad tempus, quo stercus id esset delatum? cur licet, stercus deferretur ex aede Vestæ Prœtori non licuit tria verba fari, & cur inutilis ea parte fuit dies rebus gerendis, ut ex *Ovidio* patet, qui alienam esse primam partem dicit nuptiis.

Non certe is dies nefastus fuit parte, eam ob causam, ob quam alii sacri dies, nempe sacrificii ergo.

A. D. X. Kal. JUL. in Kalendario Constantii *Macellus rosa sumat* v. *Spon. Miscell. Sect.* I. p. 20.

A. D. VIII. KAL. IVL. *Solis Institium.* Sic Fasti Rustici Farnesiamni forte Sculptoris ἁμαρτήματι. Aliud Calendarium *Bernardini della Valle Solstitium.* In Fastis vero *Constantii Solisticium* legitur. *Columella* II. R. R. c. 4. *Solstitium* ante diem IX. vel VIII. Kal. Julias ponit. Atque *Scaliger* dicit, veteres per Solstitium aestivale semper intelligere diem VIII. Julii, puto dicere eum voluisse A. D. *VIII. Kal. Jul.* Solstitium idibus Septembribus plenilunio convenire scribit *Plutarchus* in *Poplicola*, T. I. p. 229. *Solstitium* an de bruma dicatur, v. *Norisium* de *Ann. Maced.* p. 16. & 20. & *Drakenborch* ad *Livium* Tom. IV. p. 790. Brumam certe A. D. VIII. *Kal. Januar.* denotant in Fastis *Tropae Chimerinae.*

Mensis JVLII.

K. IVL. FELICIT IN CAP. id est *Kalendae Juliae, Felicitati* (sacrum fit) *in Capitolio* vid. *Animaduersiones* p. 244. De aede *Felicitatis* a *Lucullo* condita, & alia deinceps exstructa a *Lepido*, testantur passim Scriptores. at aliunde nescimus, nisi ex Fragmento Fastorum *Antiat.* apud *Murat.* CCCV. Kalendis Juliis sacrum factum fuisse Felicitati in Capitolio. An ibi templum, an vero ara duntaxat huic Deae. alterum enim templum Felicitatis in Velabro fuit, alterum eo loco, vbi fuit curia Hostilia.

A. D. III. NON. QVINCT. LVDI APOLLINares *Livius lib. XXXVII. c.* 4. *Ludos Apollinares* ponit *ante*

diem quintum Idus Quinctiles. ubi Urſinus ratus numeralem notam corruptam pro V. *Idus* putat corrigendum *a. d. II. Idus;* additque, Prid. Id. quod in antiquo eſt Kalendario, veteres dixiſſe pro *ante diem ſecundum.* uti quoque *lib. XXVII. c.* 23. ubi Prætor Licinius ita primus Ludos Apollinares voviſſe dicitur, & feciſſe eos *a. d. III. Nonas Quinctil.* eumque deinde diem ſolennem ſervatum; putat *Urſinus* legendum *II. Non.* Verum Kalendarium id *Livii* aetate non eſt vetuſtius. Errandi cauſſa fuit Urſino, quod in Faſtis Ludos Appollinares legeret notatos *Pridie Nonas Quinct.* ex eaque obſervatione Livium *lib. XXVII. c.* 23. corrigebat pro *a. d. III. Nonas* legens *a. d. II. Nonas.* Ludi Apollinares initio non quotannis, aut die certo celebrabantur, deinde anno V. C. 543. decrevit ſenatus, ut in perpetuum voverentur, vid. Livius *lib. XXVI. cap.* 23. fiebant tamen die incerta ad an. 545. quo P. Licinius Varus legem ferre ad populum juſſus eſt, ut hi ludi in perpetuum in ſtatam diem voverentur, isque primus ita vovit fecitque A. D. III. Nonas Quinctiles, teſte Livio *lib. XXVII. c.* 23. qui addit, eum quoque diem deinde ſollemnem ſervatum. Cum tamen in Faſtis Maffaeiorum Ludi Apollinares non *III. Non.* ſed. *prid. Non.* ſint notati, Urſinus ex iis Faſtis Livium emendandum cenſuit. quod ſi autem certo conſtaret, primum, quo auſpicabantur, Ludorum diem fuiſſe ſemper Prid. Nonas Quinctiles, emendandus eſſet Livius *A. d. pr. Non.* ſed contra omnium codd. fidem & auctoritatem nihil temere mutandum arbitror. Quid ergo? an dicemus alterutrum, vel Livium, vel Faſtorum auctorem aberaſſe? an vero potius putabimus, primum ludorum diem, qui prius fuerat III. Nonas, in a.d. Pridie, Auguſti tempore fuiſſe remotum: ſed Faſtorum auctor, & Livius cum ſint ejusdem ætatis, haud facilis inter eos diſſenſio eſſe poteſt, & cum Livius diſerte ſcribit, eum deinceps diem, III. Non. Quinct. ſolemnem ſervatum, indicat ſua quoque aetate haud alio die Ludos Apollinares celebrari coeptos, quam III. Nonas. Credo equidem, revera III. Nonas primum ludorum celebrandorum fuiſſe diem, nam Livianae auctoritati accedit etiam Kalendarium Conſtantii, ubi Ludi Apollinares notantur ex *A. D. III. Non. ad A. D. III. Idus Julias* per novem dies contiuos. Quin imo Faſtos Maſſeiorum quoque non diſſentire crediderim: ſed propter anguſtum nimis ſpatium, cum ſuo loco notari non poſſent hi ludi, in-

inferius paullo exarati ſunt, quaſi e regione pridie Nonarum, cum tamen ad a. d. III. Nonas, ubi e regione Poplif. N notatur, pertineant, ut Faſtorum monumentum inſpicienti patebit. Atque ita quidem memorati Faſti plane cum Livio, et Conſtantii Kalendario, etiam dierum numero, quibus Ludi celebrabantur, probe conſpirant. Ludos ergo Apollinares auſpicabantur Romani III. Non. Quinct. ipſo Poplifugii die: hinc notandus Siecama. in Comm. ad *Faſt. c.* 13. ratus, die Poplifugii III. Non. Quinctil. Natalem Julii Caeſaris celebratum eſſe: verum eum teſte Dione Caſſio *lib. XLVII. pag.* 503. Triumviri edicto juſſerunt, quoniam die Caeſaris natali Apollinares Ludi fierent, pridie ejus diei natalitia Caeſaris peragi, quod Sibyllino oraculo interdictum eſſet, ne ea dies alii Deo, praeter Apollinem, eſſet feſta. Vnde manifeſtum, Caeſaris natalem diem celebratum *a. d. IV. Non. Quinctil.* In Faſtorum tamen tabula is dies Caeſaris Natalis non notatur, quoniam Auguſtus, ut mihi quidem videtur, hunc quoque diem inter triginta, et amplius alios, teſte Suetonio in *Aug. cap.* 32. qui honorariis ludis occuparentur, actui rerum accommodaverit: exemit autem Faſtis Auguſtus ludos illos honorarios, poſtquam mortuo Lepido Pontificatum Max. erat adeptus, qua poteſtate corrigendi Faſtos ipſi jus competeret.

Cum autem Dio *Caſſ. l. c.* ſcribat, Sibyllino oraculo interdictum eſſe, ne dies Ludorum Apollinarium alii Deo, praeterquam Apollini, eſſet feſta, roget forte quiſpiam, an igitur liceat eum diem Ludorum referre in diem Poplifugii: ſed is dies Poplifugii non erat feſtus, neque ejus dici nomine cuiquam Deorum ſacra fiebant:

Notandus etiam Demſterus, qui in ſuo Kalendario Rom. Ludos Apollinares refert ad *a. d. V. Idus Jul.* Julii vero Caeſaris natalem ad *a. d. IV. Id.* Petavius vero Ludos eos ponit in Kalendar. Rom. *Pridie Non.* Gaſſendus *Pridie* etiam, et per *VIII. dies* celebratos dicit. *Junius* denique *III. Non. per octiduum ab Licinio Varo inſtitutos* memorat. Per *octiduum* celebratos dicunt, quoniam ex male intellectis Faſtis unum diem minus computant. At vero ex inſtitutione Licinii Vari non fuerunt per octo dies continuos celebrati, ſed unius tantum fuerunt diei, ut ex Livio *lib. XXVII. c.* 23. et *XXX. c.* 3. colligere eſt, mox vero plures fuerunt dies adjecti. Nam Livio *lib. XXXVII. c.* 4. a. d. V. Id. Quinctil. Ludi Apol-

Apollinares memorantur. Atque inde pariter, quod per plures continuos dies hi ludi peragerentur, patet, recte ſcripſiſſe Livium *lib. XXXVII. c.* 4. *a. d. V. Id.* celebratos, et fruſtra eum locum ac ſine ulla cauſſa ab Vrſino tentatum.— De Ludis hisce Apollinaribus vid. Noris. ad Cenotaph. Piſana, *Diſſ. II. c. VI. p.* 137. et Dodvell. de Cyclis, *Diſſ. IV.* §. 16. Poſtridie IDVS.

In primis hic dies celebris in Romanorum Annalibus et Faſtis, quod ob ſacrificium inauſpicatum, hoc die, triduo ante cladem Allienſem commiſſum, unus, aut praecipue, cauſſam dedit, cur reliqui omnes dies proximi Kal. Non. Jd. fierent religioſi. v. quae prolixe diſputavimus in Animadv. cap. V. Schurzfleiſch. p. 322. in Not. obſervat, plures quidem apud Romanos fuiſſe dies Allienſes, ſingulatim vero et praecipue diem XVI. Julii ſic appellatum fuiſſe Allienſem. —— Legiones enim populi R. ad Alliam hoc die ad internecionem a Gallis caeſas, postridie quoque vrbem amiſſam. Atque adeo Livii locum Lib. VI. vitioſum eſſe, quando ibid. legatur, Allienſem diem XV. Kal. Sext. fuiſſe, eumque locum emendandum, ac reſtituendum numerum *decimum ſeptimum* Romanae denominationis. Erroris hic plena ſunt omnia.

A. D. XIII. Kal. Auguſt. *Ludi victoriae Caeſaris* ad *Iulium Caeſarem* pertinent v. *Sueton. Aug.* 10.

Menſis AVGVSTI

X. Kal. Sept. VOLC*analia.* vid. *Petr. Victorium* XVII. *Var. Lect.* c. 2. et *Cuper.* II. *Obſerv.* 5.

Menſis SEPTEMBRIS

A. D. IX. Kalendas Octobres AVGVSTI NATALIS. *Horatius* I. *Epiſt.* V. verſ. 9. *Cras*, ait, *nato Caeſare feſtus*
Dat veniam ſomnumque dies. impune licebit
Aeſtivam ſermone benigno tendere noctem.

Nempe *Horatius* amicum Torqvatum pridie ante diem natalem Caeſaris

saris inuitat, vt conviva ipsi esset. ne autem recuset venire ob causam *Moschi*, quam defendendam susceperat, dicit, eam ob causam intermitti posse, siquidem impune liceat transigere, cum crastinus dies natalis Caesaris veniam somnumque daret, id est veniam a iudiciis, quod causae die nefasto agi non poterant, et permitteret simul otium, seu partem solido demere de die, et dare somno. *Impune* est sine vllo detrimento. Alii explicant, a Censore non vetabimur aestivo hoc tempore vti noctis refrigerio v. edit. *Gesnerianam*, quae explicatio non placet. Certe Censores, si fuerint hoc tempore, talia vix curabant. — Ast de eo disputant, per diem natalem Caesaris intelligatur *natalis Julii Caesaris*, an *Augusti*. *Porphyrion Divi Caesaris* natalem significari ait, additque: *id esse ipse probat, dicens aestivam noctem, qvia ille idibus Juliis celebratur. Cruqvii* Scholiastes natalem diem *Augusti* IX. Kal. Octobres intelligit. vnde miror, ipsum *Cruqvium* fluctuasse, & tamen de die natali Julii Caesaris accepisse, dum scribit, *Horatium Dionis* sententia confirmari *de natali die Caesaris, quem in Julio statuit, at Commentatorem & Suetonium in Septembri.* Sed non distinxit *Cruqvius. Dion* de natali Julii Caesaris loquitur: Commentator vero & *Suetonius* de Natali die Augusti. *Torrentius* observans, diem natalem Augusti IX. Kal. Octobres fuisse, putat non probe convenire aestivam noctem. qvare existimat, cum haec scripserit Horatius, *ob natum forte in familia Caesarum Augusto nepotem aliquem, ferias indictas fuisse.* Plura vid. apud *Massonum* in *vita Horatii*, p. 207. & 211. *Io. Matthi. Gesnerus* ad h. l. Horatii, Julii Caesaris natalem designari refert. Equidem omnino de natali die Augusti accipiendum puto, argumentis a *Massono* productis motus, id addo, quod palmarium est, quod imperante Augusto Natalis Julii Caesaris non videtur celebratus esse, in Calendario certe Maffaeorum non memoratur, vbi Augusti natalis notatus est IX. Kal. Octobr. in aliis vero Kalendariis Augusti aetate posterioribus, dies natalis *Julii Caesaris* notatur IV. Jdus Iul. vt recte *Macrobius* I. *Saturn.* 12. vnde refutandi, qui Idibus ponunt.

Mensis OCTOBRIS

A. D. II. Idus Octobris. *Suetonius* in *Nerone* c. 8. *Inter horam sex-*

tam septimamque processit ad excubitores: quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur; proque Palatii gradibus Imperator consalutatus. Hunc diem, non intelligendum, publicec religiosum fuisse, sed ex privata superstitione patet ex *Tacito* XII. Ann. 68. scilicet *Agrippina* Chaldaeorum monitis hoc tempus medii diei expectauerat, quod ex Chaldaeis intellexerat, sibi alias totum diem istum fore infaustum: neque enim aliter, vt putant quidam, (vid supra in postridie Kal. Januar.) auspicandi tempus dirum sibi putabant. Pertinet huc *Juvenalis*, a *Torrentio* ad *Suetonium* citatus. Conf. quoque meae *Animadversiones* L. I. p. 10. de hac Chaldaeorum arte. adde Indicem *Taciti* voc. *Chaldaei*. In Kalendario Constantii A. D. III. Id. Octobr. *Ludi Iovi Liberatori* De quo Epitheto Iovis v. *Spanhemium* ad *Julian. Orat.* p. 282.

Mensis DECEMBRIS.

Fasti Rustici huius tutelam mensis Vestae tribuunt. at *Macrobius* I. Sat. 7. Saturno.

OPALia. Dies festus inter Saturnalia quotannis celebrabatur. v. *Festus* In voc. Cf. *Spon.* I. *Misc. Erud. Ant.* p. 6. In Kalendario Amiternino: FER. OPI AD FORVM.

DIValia. A. D. XII. Kal. Januar. seu dies XXI. Decembris in *Fastis Maffeianis* notatur hoc modo. DIV NP. *Manutius*, Aldi pater, in explanatione Kalendarii, et ipse *Aldus* in Notarum Explanatione exponunt *Divalia: Divi Julii diem festum.* at in posteriore editione *Manucius* exposuit *Divalia Divae Angeronae diem festum* eamque explicationem postea sequuti sunt omnes Fastorem Interpretes. Nisi quod *Dionys. Petavius* in Kalendar. Rom. Explanatione Thes. Graev. Tom. VIII. p. 138. exponat adhuc *Divalia Divi Julii diem festum.* in *Gassendi* Kalendario exponitur *Divalia, seu Angeronalia.* *Saubertus* de *Sacrificiis* p. 77. Angeronalia et Divalia distinguit perperam. Nec leviter errat *Struvius*, in *Syntagm. Antiq. Rom. cap. IX. p.* 431. Divae Angeronae festum in Kalendario notatum scribens: *Divalia Ange-*

geronalia. nam prius tantummodo vocabulum, et quidem compendifactum DIV. in Marmore exhibitum eſt, alterum Grammaticorum eſt interpretamentum: tum haud recte conjunctim ſeu per appoſitionem *Divalia Angenoralia* dici poſſe exiſtimo. Divae Angeronae, juxta fidem Marmoris ſacrificatum eſſe XII. Kal. Januar. teſtantur etiam Plinius, Solinus, Macrobius. mirum tamen in aliis vetuſtis Kalendariis horum Divalium mentionem non fieri. nam neque in Kalendario Lambeciano, neque in Faſtis Amiterninis memorantur; quin in his etiam non dies ille priori parte nefaſtus, ſed Comitialis notatur: quod qua factum ſit ratione, nondum mihi adeo poſitum in aprico. Imperator Claudius multa ſacrificia multasque ferias abrogavit, ſub Veſpaſiano etiam, qui Faſtos adulatione temporum rurſum foedatos exonerarent, ſorte ducti ſunt. Denique poſtremo Antoninus ferias festosque dies haud paucos abrogavit: hinc dicas forte, festum *Angeronalium* diem ab Imperatore Cajo jam abrogatum: nam Fastos Amiterninos haud fere ſerioris aetatis putem: et crediderim fere, *Plinium*, *Solinum*, *Macrobium*que non ex moribus ſuæ ætatis, ſed priſci temporis conſuetudine loquutos eſſe.

ANALECTA *et* EMENDATIONES

ad

Singula quaedam ANIMADVERSIONVM

Loca

Veluti

ad L. I. c. I. § II. p. 7. *& verba*: vnum atque alterum in medium producam exemplum || In Tabula *Heracleenſi priore Part. II.* quae Neapoli nunc adſervatur, in lucem edita et egregie doctis commentariis illuſtrata ab Alex. Symmacho Mazochio, *medio verſu* 134. et 136. intervallum, unius aut duarum vocum capax, de induſtria relictum cernitur inane: utrumque locum, quam fieri poteſt, accuratiſſime exhibebo; prior *verſu* 134

ita legitur: ΤΑΝΔΕΔΕΥΤΕΡΑΝΜΙΣΘΩΣΙΝΟ ⊢ ΑΕΜΒΛΟΣ ΔΑΜΑΡΧΟΣΦΙΛΩΝΥΜΩΤΕΤΡΩΚΟΝΤΑΜΕΔΙΜΝΩΝΠΡΩΓΓΥΟΣΤΩ.

ΣΩΜΑΤΟΣ ΘΕΟΔΩΡΟΣΘΕΟΔΩΡΩ. Eadem vulgari, quo hodie utimur, literarum charactere sic legenda: τὰν δὲ δευτέραν μίσθωσιν ⊢ α (A.) Ἔμβολος Δάμαρχος Φιλωνύμω τετρώκοντα μεδίμνων πρώγγυος τῶ σώματος Θεόδωρος Θεοδώρω *secundam locati partem Ha. Rostrum navis Damarchus Philonymi, quadraginta medimnis, sponsor corporis .... Theodorus Theodori filius.* Notat il. Mazochius in *comm. ad h. l. pag.* 249. post πρώγγυος τῶ σώματος tantum intercedere spatii, quantum capiat monosyllabum, curiae index, et παρασήμου vocabulum, quod utrumque, arbitratur, tunc ei, qui scribendo adesset, latuisse, opportune adjectum iro, ubi resciviffet. Ast quomodo tandem fieri potuit, aut credi par est, Theodorum illum Theodori filium, qui pro Damarcho, Philonymi filio, sponsorem corporis (πρώγγυον τοῦ σώματος) se praebuisse legitur, adeo fuisse scribae hujus decreti incognitum, ut monosyllabum, curiae notam ac παρασήμου vocabulum praetermittere necesse habuerit, postea demum temporis, ubi innotuisset utrumque, spatio huic vacuo inserendum? Mihi quidem, ut verum fatear, nil minus sit verosimile. Quicumque hac memorantur *Tabula* conductores agri Dionyso sacri, uti et eorum sponsores, accuratissime describuntur, non a suo tantum, sed patrum quoque suorum nomine; quin ne forte cum aliis, si qui ejusdem nominis et proprii et paterni essent, ut fieri poterat, confunderentur, diligenter etiam nominibus eorum, quos accuratius designari intererat, *curiae* nomen atque *insigne ejus curiae* praescribebantur. vid. Mazoch. *pag.* 149. seu, ut verius arbitror, *populi*, δήμου, sive *tribus*, et *curiae* nomina, de quibus alibi nobis opportunior erit dicendi locus. Si autem necessario tribus et curiae nomen sponsoribus fuit adscribendum, quamvis statuamus, scribae tum forte non succurrisse, cur, quaeso, postea non est additum (haut enim difficulter poterat rescisci) prius quam in aerario Tabulae reponerentur, quando et alia scalptoris παρερἱματα, hic admissa, prius correcta sunt, ut certo nobis apparet ex *Tab. I. Segm.* 1. *vs.* 12. *vs.* 81. *et* 120. Quid, nonne omnem dubitationis ansam praecidit, quod ex ipso sponsore Theodoro scriba, uti nomen ejus, pater-num-

numque, ſic tribus quoque et curiae non potuit non cognoscere? nam in ipſo negotio locationis haud dubie praeſens interfuit, ut aperte ipſa nos docet *Tabula vs.* 56. ubi jubentur conductores ſuos praedes Polianomis coram adducere, neque alios, quam quos ipſi Polianomi velint admittere. Aliam igitur, quae ſola huic lacunae ſupplendae relinquitur, ingreſſus viam, praetermiſſionis et intervalli inanis cauſſam arbitròr, quod Damarchi, conductoris, ſponſor Theodorus ejusdem, atque ille, tribus curiaeque civis fuerit Heracleenſis; quare ex proxime praecedentibus, ſpatio ante Theodori nomen vacuo, quod, accuratiſſime circino dimenſum, totidem literarum capax eſt, eadem repetenda tribus atque curia ⊢ Α ΕΜΒΟΛΟΣ. Alterum hoc *eodem in Aere vs. proxime poſteriore* exemplum exſtat hujuscemodi:

ΤΑΝΔΕΤΡΙΤΑΝΜΙΣΘΩΣΙΝΓΕΤΥΙΟΝΠΕΙΣΙΑΣΛΕΟΝΤΙΣΚΩ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ κ. τ. λ.

ΤΩΣΩΜΑΤΟΣΚΝΣΦΑΙΡΩΤΗΡΕΣΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟΣ ΤΑΝΔΕ κ. τ. λ. τὰν δὲ τρίταν μίσθωσιν Γε Γυίον, Πεισίας Λεοντίσκω τριάκοντα πέντε μεδίμνων πρώγγυος τῶ σώματος ΚΝ. Σφαιρωτῆρες, Ἀριστόδαμος ...... τὰν δὲ κ. τ. λ *Tertiam locali partem VE. Gyion, Piſias Leontisci filius, quinque et quadraginta medimnis: ſponſor corporis KN. calcei lora, Ariſtodamus .... Quartam &c.* Hoc etiam intervallo inani, vir cl. arbitratur, patris nomen Ariſtodami, tunc incognitum Decreti ſcribae, poſtquam innotuiſſet, adſcribendum fuiſſe. Itane vero credemus etiam, Ariſtodamum ſponſorem coram Polianomis Quinquennalibus adductum a Piſia, Leontisci filio, agri conductore, ſui patris nomen adeo oblitum plane fuiſſe, ut ciere nequiverit? Mihi, ad hanc lacunam adtendenti, viſum mox fuit, nomen aliquod, ex praecedentibus revocandum, hoc ſpatio ſupplendum eſſe, id autem nihil eſſe aliud, quam quod, *proximo verſu*, ſupra hac ipſa lacuna exaratum legitur, ΛΕΟΝΤΙΣΚΩ. Piſiae pater itaque fuit *Leontiscus*, et Ariſtodami pater eodem fuit appellatus nomine, perſonas tamen fuiſſe diverſas, ex diverſa utriusque filiorum, Piſiae atque Ariſtodami, *tribu* et *curia* apparet. Tertium his adjungam exemplum ex pulcherrimo totius Antiquitatis Lapidariae monumento, *Faſtis* nempe *Capitolinis* ubi in Fragmento III. ad annum Vrbis CCCXXXV. duo Servilii, Dictator, ac Magiſter Equitum hoc deſcribuntur modo:

Q. SERVILIVS. P.F .SP. N. PRISCVS. FIDENAS. II · DICT.
C. · . Q.F. C. N. AXILLA · MAG. EQ.

Qui Fragmina horum Faſtorum ediderunt, SIGONIUS, PANVINIUS, PIGHIUS, cur Magiſtri Equitum nomen gentis in lacuna hic relictum ſit, taciti praetereunt; *Marlianus* vero arbitratur, illud una cum binarii numeri nota omiſiſſe horum Annalium Digeſtorem, quod cum LIVIO anceps haeſerit, an hoc anno cum Dictatore *Q. Servilio* Magiſter Eq. fuerit C. ille *Servilius Abala II.* PIRANESIUS autem, ob ſplendidiſſimam hujus Monumenti accuratiſſimamque editionem optime de Literis meritus, *verſu altero* putat, *Servilii* nomen a ſculptore de induſtria praeteritum, ut labori parceret. Sed hoc, qui noverit, Faſtos illos, monumentum publicum, exquiſitiſſima diligentia et ἀκριβείᾳ inſculptum, difficulter ſibi patietur perſuaderi. Unica et probabilis cauſſa praetermiſſionis eſt, quod hoc inani intervallo ex verſu ſuperiori gentile *Servilii* nomen repetendum erat.

p. 9. poſt verba: *in iudicium aliquam vocans* || Proprium enim in hac re verbum Ἕλκειν. vid. *de Rhoer Fer. Daventr.* p. 19. ſeq.

p. 12. poſt verba: *Seu meridie tertii diei. Caſaubonus* ad *Athen* 382. in fin. et ſq. obſervat, multos Graeciae populos Theſmophoria agitaſſe, ſed diverſo dierum numero. Alibi enim novem dierum, alibi trium, alibi autem quatuor fuiſſe, teſte *Heſych.* in τρίτη Θεσμοφορίων. caeterum Athenis tres dies duraſſe videri Theſmophoria, non quatuor, ſiquidem e quatuor diebus nullum proprie appellaveris medium, ut hoc loco *Athenaeus* facit, et *Ariſtophanes* in *Theſmophoriazuſis.* Alibi per novem dies in Graecia celebrata fuiſſe Theſmophoria, non credo aliunde conſtat, praeterquam ex uno *Ovidii* loco, (male citat *Caſaub.* in margine *Athenaei Virgilium*,) *Metam. Lib. X. pr.* 434. *ſq.* ubi de Feſto Cereris, quod feminae celebrarent annuum.

Perque novem noctes Venerem tactusque viriles
In vetitis numerant. ——

ubi

ubi plura Interpp. notant, quae ſane neſcio, an cuncta ſatis recte ſe habeant. Regius per *Feſta piae Cereris* intelligit *Theſmophoria*, per decem dies, ut *Diodor.* ſcribit, celebrata, (v. p. 334. edit Weſſ.) ac Poëtam confudiſſe ſacra Cereris, ac Proſerpinae; Cereri quidem priſcos ſacrificaſſe per dies decem, cum ſemen in terram jactaretur; Proſerpinae autem tempore meſſis. *Heinſius* de Theſmophoriis non autem de Eleuſiniis agi putat, quae duo Feſta perperam confundantur, etiam ab antiquis. *Theſmophoria*, moeroris plena, a ſolis feminis, *Eleuſinia*, hilaritati data, a viris celebrata eſſe cenſet. *Burmannus* vero neque Theſmophoria neque Eleuſinia Poëtam hic in animo habuiſſe credit, ſed feſtum Cereris, quod in Oriente celebraretur. Nam in Theſmophoriis tres tantum noctes pure ſe habuiſſe matronas, neque de primitiis tum oblatis quidquam reperiri. v. *Meurſ. Lect. Att.* v. 21. *Graec. feriat.* in Θεσμοφόρια, ubi oſtendit illa cum Eleuſiniis ſaepe confundi, ſed nunquam haec Ovidii verba adduxit, quod admiſit Caſtellanus. Ut ingenue dicam, quod ſentio, Poëta videtur mihi h. l. *Theſmophoria* intendiſſe; quo pertinet inprimis, quod per novem noctes feminae, dum id feſtum celebraretur, a venere abſtinuiſſe dicantur, quod in Theſmophoriis uſitatum colligas ex jejunio, quod obſervabant. caeterum dum in fingenda exornandaque hac fabula verſatur, novem quidem dies tribuit feſto, non quod Graeci per totidem dies celebraverint, ſed dum in Oriente haec Theſmophoria peracta deſcribit, nonnihil ex moribus Romanorum admiscuit. vſ. 431. ſq.

> Feſta piae Cereris celebrabant annua matres,
> Illa, quibus nivea velatae copora veſte
> Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

quibuscum conf. quae poëta habet *Faſt.* L. IV. vs. 411. ſqq. et de albis veſtibus vs. 619. ſq.

> Alba decent Cererem, veſtes Cerealibus albas
> Sumite.

Cereales autem Ludi apud Romanos per novem celebrabantur noctes.

p. 13. *aliquam faciemus medicinam* || reſpexit haud dubie *Vaaſſenius* ad lapidis Epheſini Epigraphen, in *Praefationis Appendice Heſſeliana* ad *Gudium* obuiam, Stell. 5. n. XXXII. XXXIII. quam alicubi ſingulari in ſchedu

dula ſic vulgari charactere deſcripſit & illuſtrauit, & quidem prioris lateris titulum hoc pacto reddidit:

Τὴν πανήγυριν καὶ ἀτελεῖον
καὶ ἐκεχειρίας εἰς ὅλον τὸν
ἐπώνυμον τῆς Θεοῦ μῆνα
τυχοντα τὴν Αρτεμισι-
ακὴν κρίσιν καταστήσαντα
καὶ τὰ θέματα ἀγωνισ-
ταῖς αὐξήσαντα, καὶ ἀνδρι
άντας τῶν νικησάντων
· αναστήσαντα
τὴν τιμὴν ἀναστήσαντος
. . . φανίου φαυστου
τοῦ συγγενοῦς αὐτοῦ

i. e. Senatus Populusque hoc monumento honoris publico honorauit . . . . *qui diem feſtum* (ſeu Ludos publicos) *et vacationem* (ſeu Ferias) *et Ferias in vniverſum menſem, qui nomen a Dea habet, & iudicium Artemiſicum conſtituit, & praemia certatoribus auxit, & ſtatuas victorum erexit. honorem procurante . . . Phainio Fauſto, cognato eius.*

Tabula ſuperne fracta, nonnulla deſiderantur. duo forte verſus. Prior ex ſimilibus exemplis Inſcriptionum facile reſtituitur hoc modo Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτείμησεν. tum poſteriori verſu nomen ſequebatur viri, cui hic honor obtigit. Reliqua ſatis ſalva ſunt aut facile reſtituenda, verſ. 1. Pro ΑΤΕΛΕΙΟΝ credo in marmore legi ΑΤΕΛΕΙΑΝ. ad verſ. 5. ἐγκρινεῖν εἰς τὸν ἀγῶνα Graecis idem eſt, quod ἀπογράφεσθαι. Athletae dicebantur apud Gymnaſiarcham ἀπογράφεσθαι, vel ἐγκρινεῖν εἰς τὸν ἀγῶνα, profiteri nomen. v. *Caſaubon.* ad *Athenaei* L. VI. p. 272. qui autem ex athletis parum videbantur exercitati, eos reiiciebant Gymnaſiarchae, idque erat ἐκκρίνειν τοῦ ἀγῶνος. atque hinc forte Ἀρτεμισιακὴ κρίσις, explicanda. quod hic κρίσιν, id eſt modum δοκιμασίας probandi & reprobandi Athletas, vel alios certatores, qui feſto *Arthemeſiorum* pugnare ſolebant, conſtituerit. In altero latere verſ. 7. ΠΑ..ΝΜΕΝ legendum ΠΑΡ-

ΠΑΡ'ΗΜΙΝ παρ' ἡμῖν apud nos verſ. 10. ΕΝΩΝΗΝΙ leg. ΕΝ Ω ΜΗΝΙ ἐν ᾧ μηνὶ, in quo menſe, verſ. 18. ΟΝΊΟΝΗΝΑΊΟΝ leg. ΟΛΟΝ ΤΟΝ ΜΗΝΑ ΤΟΝ ΑΡΤΕΜΙΣΙΩΝ ὅλον τὸν μῆνα Αρτεμισιῶνα. Menſis Αρτεμίσιος, vt dicebatur Macedonibus, aliisque, teſte hac inſcriptione, Epheſiis appellatus Αρτεμισίων. vid. de hoc menſe Fabricius in Menologio. Cf. Lexicon Conſtantini. In Inſcriptione Corcyrenſi apud *Montfauc. Diar. Italic.* ſaepius Αρτεμιτιος appellatur. De Artemiſiis, ſeu Feſto Dianae v. *Plutarchus* in *Marcello* p. 308. & *Livius* XXV. 23. diem feſtum Dianae per triduum agi Syracuſis docuit *Meurſius* in *Graecia Feriata*, fol. 51. Ad illuſtrationem huius marmoris egregia vide in Notis Cl. *Koenii* ad *Gregorium* de *Dialectis*, p. 139.

Ad Pag. 17.

O B S E R V A T I O N E S

De ratione Nominum apud Graecos.

Olim antiquiſſimis temporibus quotquot fuere gentes uno et ſimplici nomine fuere contenti, quod filiis a parentibus plerumque ab eventu aliquo imponebatur, nullo nomine paterno aut cognomine, niſi raro admodum utebantur.

Cum autem fieri non poſſet, quin diverſi ſaepe homines eadem in civitate ſimul eodem tempore degentes iisdem eſſent inſigniti nominibus, moris erat ſuo nomini patris nomen adjungere, ne duo pluresque ejusdem nominis confunderentur: quod egregie ſignificat Plautus in *Trinummo Act. IV. Sc. 2. vs.* 74. ubi roganti Sycophantæ, ubinam Lesbonicus habitaret, respondet Charmides.

> *At enim multi Lesbonici ſunt hic, niſi nomen patris*
> *Dicas, monſtrare non poſſum.*

Poſtea vero non tantum neceſſitatis cauſſa, ut ab aliis diſtinguerentur, ſed promiſcue etiam omnes et honoris ergo, ita ex nomine patris, appellari coeperunt, praeſertim ubi publico aliquo monumento nomen conſignabant.

Notiſſimum autem eſt Graecos in iſtiusmodi formula exprimendo vocem υἱὸς per ellipſin uſitatiſſimam fere ſemper prætermittere, in primis ſi nomen filii continuo patris nomen ſequitur, eique nulla voce alia interpoſita poſtponitur.

Raro admodum optimi vetuſtiſſimique ſcriptores Græci vocem υἱός vel παῖς adponunt: certe quod ad Herodotum et Thucydiden attinet affirmare auſim vel centies et amplius ea ellipſi vocis υιος uti, cum vix ſemel hic illic υιος vel παις adponant. Nonnulla tamen exempla in utroque iſto auctore notavi, in Herodot. pag. 37. Ἀστυάγει τῷ Κυαξάρεω παιδὶ et pag. 54. Ἀστυαγης ὁ Κυαξαρεω παις pag. 197. Ψαμμήνιτος ὁ Ἀμάσιος παῖς. pag. 417. Βισάλτη Ἀπολλοφάνεος παιδὶ. pag. 454. Στησαγόρη τῷ Κίμωνος ἀδελφέου παιδὶ ὁμομητρίου. *Steſagoræ ſui fratris uterini filio*, ubi τὸ παιδὶ ne apto quidem ſatis loco inter ἀδελφέου ὁμομητρίου poſitum, friget: leg. forte ἀδελφέου τοῦ ὁμομητρίου. pag. 477. Γλαυκον Ἐπικύδεος παῖδα. Haec exempla percurrenti Herodotum obvia mihi fuerunt, in quibus neglecto ellipſeos uſu, vocabulum παις exprimitur: unde cum contra manifeſto appareat, quam diligenter is auctor millenis aliquot in locis obſervarit uſum ellipſeos, fere nullus dubito, quin pronunciem, a ſciolis et librariis hic illic vocem παις explicandi gratia margini adſcriptam poſtea temporis textum auctoris occupaſſe.

Quod de Herodoto dixi, idem id de Thucydide affirmo, in quo hæc tantummodo loca notavi: pag. 145. Ἀρχελάος ὁ Περδίκκου υἱός. pag. 161. ὑπὲρ Παυσανίου τοῦ Πλειστοάνακτος υἱος. in reliquis omnibus analogiam ſervat, quare etiam duobus iſtis locis, vocem υἱὸς additam non Thucydidi, ſed librariis tribuo. Monui, conſtantem hunc ellipſeos uſum obtinere, ſi filii poſt nomen continuo, nulla voce interpoſita, ſequatur nomen patris; excepto, quod particula μὲν, δὲ, τε aut ſimilis tuto intercedat ſaepe. Quoties autem patris nomen filio praeponitur, ellipſis non videtur habuiſſe locum: uti pag. 201. ap. Herodot. τῷ Λίβυος Ἰνάρω παιδὶ Θαννύρᾳ, *Tbannyrae Inari Afri filio:* et ita duobus verſibus poſt legendum, puto: Τῷ Αμυρταίου παιδὶ Παυσίρι, *Pauſiri Amyrtaei filio* ubi ſyllaba Παυ vocem παιδὶ abſorpſit. pag. 100. Ὁ τῆς βασιληΐης τομύρυος παῖς Σπαργαπίσης. *pag*. 274. τούτῳ τῷ Μεγαβύζου παιδὶ Ζωπύρῳ. *pag*.406. ἐπὶ τοῦ Ἀδρήστου παιδὸς Αγιαλέος. *pag*. 497. ubi inter procos Agariſtae memorat Herodotus nomen quo-

quoque professum e Peloponneso Leoceden: ἀπὸ δὲ Πελοποννήσου, scribit, Φείδωνος τοῦ Ἀργείων Τυράννου παῖς Λεωκήδης. Φείδωνος δὲ τοῦ τὰ μέτρα ποιήσαντος Πελοποννησίοισι, καὶ ὑβρίσαντος μέγιστα δὴ Ἑλλήνων ἁπάντων. Turpiter hæc interpolata et luxata pronunciat cel. Wesseling. Palmerius quoque et Gronovius huic loco opem aliquam conferre conati sunt, quorum tamen lectiones mihi videntur minus certae, et Herodoti stilo quodammodo repugnare. Nusquam enim alibi Herodotus ita a proavo, omisso patre et avo, aliquem describit: additum παῖς nihil hic quidem loci nocet, quoniam pater filio ordine præponitur: in quibusdam autem codd. prætermittitur παῖς, quare legendum forte: ἀπὸ δὲ Πελοποννήσου Λεωκήδης ὁ Φείδωνος, τοῦ Φείδωνος Αργείων Τυράννου, τοῦ τὰ μέτρα ποιήσαντος &c. *Leocides Phidonis F. Phidonis argivorum Tyranni N. ejus nempe qui mensuras constituit.* Quod si vel sic etiam Phidon ille, qui Peloponnesiis mensuras invenisse dicitur, aetate nimis antecedit, quam ut ejus nepos inter procos interesse potuerit Agaristæ, vel ipsius error habendus est Herodoti, diversos annales secuti ant duo ejusdem nominis Phidonas confundentis, vel ex glossemate marginali, dicendum est, ultima illa Αργείων Τυράννου, τοῦ τὰ μέτρα &c. textum occupavisse.

Sic pariter Thucyd. etiam, ubi præcedit filio nomen patris υἱὸς addit: *pag.* 142. Καὶ τόντε Φιλίππου υἱὸν Ἀμύνταν. et alibi.

Idem etiam observavi in participio ὢν, nempe, quoties in hac formula ὢν additur, tum quoque παῖς vel υἱὸς apponunt: ut Herodot. *pag.* 103. Καμβύσης Κύρου ἐὼν παῖς καὶ Κασσανδάνης. et sic forte *pag.* 197. Ψαμμήνιτος ὁ Αμάσιος παῖς rectius leg. ὢν Ἀμάσιος παῖς.

Caeterum quoties verbum aliquod vel una aut plures voces intercedant filii inter atque patris nomina, et denique quotiescumque verborum ordo perturbatur, solet Herodotus et Thucydides nomen παῖς vel υἱὸς exprimere. uti *pag.* 10. Περίανδρος δὲ ἦν Κυψέλου παῖς. pag. 165. μετὰ δὲ τούτου βασιλεῦσαι Αἰγύπτου Μυκερῖνον ἔλεγον, Χέοπος παῖδα. pag. 130. ἦν Ὀνήσιλος, Γόργου μὲν τῶν βασιλῆος Σαλαμινίων ἀδελφεὸς νεώτερος, χέρσιος δὲ τοῦ Σιρώμου τοῦ Ευέλθοντος παῖς. ubi ultimum παῖς pertinet ad primum nomen Ὀνήσιλος. qualis verborum ordo etiam est pag. 467. Πέρκαλον τὴν χίλωνος τοῦ Δημαρμένου θυγατέρα. Apud Thucyd. pag. 123. πείθουσι τὸν Σάδοκον τὸν γεγενημένον Ἀθηναῖον, Σιτάλκου υἱόν. Raro certe exempla sunt,

in quibus vel verbo aliquo interveniente aut ordine mutato, παις omittitur, quod tamen bis eadem periodo facit Herodot. pag. 279. Ζωπύρου γίνεται Μεγαβυζος.

Inſcriptiones vero Graecae ſuperiorem illam ellipſeos vocis υἱὸς analogiam ubique probant. Cum enim in illis raro aut nunquam ordo perturbatur, ſed filii praemiſſo nomini continuo addatur nomen patris, nusquam vocem υἱὸς expreſſam oſtendimus; ſi inſcriptio a Graeco homine eſt profecta. certe aliquot Inſcriptionum millia quae nobis ſuperſunt hodie, mirum in modum id confirmant.

Inde ob additam vocem υἱὸς ſuſpectum mihi eſt memorabile illud Monumentum Adulitanum, cujus initio praeſcribitur. Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος, υἱὸς Βασιλέως Πτολεμαίου. etc. Ubi autem υἱὸς in inſcriptionibus additur, indicio mox illud eſt, a Romano homine titulum eſſe exaratum, cum ex genio linguae Latinae vox *filius* in ejusmodi formula nunquam omittatur. SCtum Romanum, quod Græce exſtat ex Tabula aenea olim Fulvii Urſini, apud Gruter. pag. DIII. ἐπὶ ὑπάτων Κοΐντου Λυτατίου Κοΐντου υἱοῦ Κάτλου, καὶ Μάρκου Αἰμιλίου (Κοΐντου υἱοῦ) Μάρκου υἱωνοῦ Λεπέδου etc. Κοΐντος Λυτατιος Κοΐντου υἱὸς Κατλος. et dein Λεύκιος Φαβέριος Λευκίου υἱὸς et ſic porro etiam in Grœcorum nominibus ibi memoratis idem obtinet Ἀσκληπιαδην φιλίνου υἱὸν Κλαζομένιον, πολύστρατον πελυαρκου υἱὸν Καρύστιον, Μενισκον Εἰρηναίου τὸν γεγονότα Μενίσκου Θαργηλίου υἱὸν Μιλήσιον. quae eadem verſibus quatuor poſt ſic repetuntur ibi nomina, niſi quod Meniscus ita deſcribatur, Μενισκον Εἰρηναίου υἱὸν Μιλήσιον τὸν γεγονότα Μενίσκου ἀντ͂θένδε Θαργηλίου. vid. de h. l. *Periz. Diſſ.* I. p. 108. —— Nomina haud pauca propria ſunt apud Graecos, quae re vera ſunt participia praeſentis, aut indefiniti temporis, vnde in propria nomina converſa ſunt vti Τελέσας, Ἀλεξαμενος, aliaque id genus, a *Caſaubono* in *Animadverſ.* ad *Athenæum* L. V. c. XX. hunc in cenſum referri quoque poſſunt, quae in Tabulis *Baudelotianis* apud *Spon.* X. *Miſcellan.* p. 315. *Montfaucon. Palaeogr.* p. 135. & *Maſſeium* in *Galliae Antiqvit.* p. 91. ſeq. reperiuntur ΤΕΓΟΝ quod ab initio ſuppletum eſt ΣΤΡΑΤΕΓΟΝ, id eſt, Στρατηγων neque enim cum ill. *Maſſeio* accipiendum hoc loco pro participio. & ibidem in Tab. 2. Επιλυσαμενος a futuri temporis participio.

cipio. ibidem postea est ΣΠΕΥΣΟΝ i. e. Σπεῦσον. MIMNON id est Μίμνων *manens*, a verbo μίμνω, quod ortum ex reduplicato μιμένω, a μένω, maneo. — Multa vero Graecorum nomina composita sunt vel cum voce στράτος, quod peregrini vel servi manumissi, militiae adscripti, sibi adscivisse, vel ex virtute sibi adoptasse videntur. *Theophrastus* in *Character Mor.* cap. περὶ κακολογίας. ὁ μὲν πατὴρ Σωσίας ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο. Ἐγένετο δὲ ἐν τοῖς στρατιώταις Σωσίστρατος. ἐπειδὴ δ' ἐς τοὺς δημότας ἐνεγράφη. *Casaubon.* legit ἔπειτα *postea*, cum ἐπειδὴ postquam sententiae redditionem postulet, quae hic desideratur. Sed crediderim fere in fine deesse Nomen proprium, quod *Sosias* ille sumsit, postqvam inter cives relatus erat. itaque sic lego: ὁ μὲν πατὴρ Σωσίας ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο. ἐγένετο δ' ἐν τοῖς Στρατιώταις Σωσίστρατος. ἐπειδὴ δ' ἐς τοὺς δημότας ἐνεγράφη Σωσιστρατίδης. vt nempe servile seu liberti nomen *Sosias* primum inter milites mutaverit in Σωσίστρατος, vel Σώστρατος, *Sostratus*, dein postquam civium tabulis inscriberetur, (quando nomina plerumque prius indita certis de caussis mutabant V. *Casaubon.* ad *Athenaeum* V. *Deipnos* c. XIII. p. 369. 370.) se professus fuerit Σωσιστρατίδην, quasi patre ingenuo iam natum, id est *Sostratum*, *Sostradi Filium.* In eximio vetustatis monumento Atheniensi, quod *Baudelotius* in Museo suo servauit, recensentur milites, qui variis in bellis occubuerunt . . . ΥΣΓΡΑΤΟΣ forte Πολύστρατος . . . ΜΟΣΓΡΑΤΟΣ forte Δημόστρατος, Σώστρατος, Φανόστρατος, Ἀρχέστρατος, Χαιρέστρατος, Λυσίστρατος. Αγνόστρατος . . . ibid. ΟΛΥΝΠΙΑΣΓΡΑΤΟΣ forte Ὀλυμπιόστρατος. — Sic composita cum voce MAXH in eodem marmore Atheniensi haec obvia sunt exempla. Εὐθύμαχος. Ἀλεξίμαχος. Ἀντίμαχος. Λυσίμαχος. Πρόμαχος, Σωσίμαχος. — Composita ibidem ex voce ἈΡΧΗ haec sunt: N . . ΘΑΡΧΟΣ, vbi obseruandum Θ scribi ante A non aspiratum. Θαλλίαρχος. Νίκαρχος .. ΟΥΡΑΡΧΟΣ forte Φρούραρχος, nomen Φρουρος in his ipsis Tabulis infra obvium est. Ἀρίσταρχος. — Composita ibidem cum voce ΔΩΡΟΣ. Ἀπολλόδωρος Ἀναξιδωρος, Κηφισόδωρος, Θεόδωρος, Ἀθηνόδωρος. Ἀρτεμίδωρος, Μητρόδωρος Πυθόδωρος. — Simplex ΠΟΛΙς πολιδος est apud *Diogen. Laërtium* L. III. p. 197. cuius accusativus πολιν est pag. seqv. in fine. Composita vero cum voce ΠΟΛΙς. vti Ἀρχέπολις apud *Platon.* in *Cratylo* p. 261. G. vbi eiusdem significatus esse dicit atque Hectoris et Astyanactis.

Eupolis Poëta Comoediae priscae apud Horatium. Ἀρχίπολις in Inscriptione Lesbiorum apud *Murat.* 569. 1. vbi divinare nescit, viri an civitatis nomen sit, reprehensus propterea ab *Hagenbuchio Epist. Epigr.* p. (20.) Ἡφαιστόπολις apud *Herodotum* p. 168. ibique in Notis Cl. *Wesselingii* vbi citat quoque Ἀμφίπολιν, Ἀγησίπολιν & Κρατησίπολιν. Ἀγησίπολις κλεομβρότου, et alius πausaniu apud *Plutarchum* in *Apophthegm. Lac.* p. m. 102. Ἀγησίπολις Legatus Lacedaemoniorum v. *Polyb. Excerpt. Leg.* n. XLIX. Ἀγησίπολις Legatus Rhodiorum ad *Marcium* Consulem ibid. in *Excerpt. Legat.* LXXX. Ἀγησίπολις Ἀγησιπόλιδος flectitur apud eumdem *Polybium* IV. 35. Alius Ἀγησίπολις Dymaeus ibid. V. 17. vbi addito articulo leg. τοὺς Δυμαίους, Ἀγησίπολιν καὶ Μεγακλέα. Ἀμφίπολις in Inscriptione Smyrnaeensi apud *Boubier*, *Marbres Antiqves* p. 21. Ἀγσίπολις in inscriptione Sicula apud *Lancellotum* Class. XV. n. 6. *Abrupolis*, Rex Sapaeorum, ap. *Liv.* XLII. 13. & ibi notata. Δημόπολις, filius Themistoclis Phylarcho Historico memoratus v. *Plutarch.* Tom. I. p. 283. Σωπόλιδος Rhetoris meminit *Libanius* Epist. 881. an forte flexerunt Σώπολις Σωπόλιδος, δι — Σώπολις contractum ex Σωσίπολις, vti Σώστρατος ex Σωσίστρατος.— *Sopolis* commemoratus *Ciceroni* v. *Clavis* Ciceronianae *Indicem Historicum Ernesti.* — Εἰρήνη . . . Σωσιπόλιδος Ἀμαξαντέως γυνὴ in Inscriptione Atheniensi ap. *Spon. Itiner.* Tom. II. p. 384. — Καλλιπόλιδος μνῆμα *Pausan.* p. 40. lin. 41. —— Composita cum voce genitivi casus ΑΝΔΡΟΣ in Tabula *Baudelotiana*, quae nunc est Academiae *Parisiensis Inscriptionum* apud *Maffeum* in *Antiqv. Gall.* p. 91. lin. 16. . . . ΣΑΝΔΡΟΣ, forte supplendum ΧΑΡΙΣΑΝΔΡΟΣ, vel ΑΡΙΣΑΝΔΡΟΣ quod nomen mox infra ΑΡΙΣΑΝΔΡΟΣ p. 91. Col. 1. & p. 92. Col. 1. lin. 17. ΧΑ . . . ΑΝΔΡΟΣ recurrit. Archon huius nominis memoratur in marmore *Sandvicensi* semel atque iterum sic exaratus, cum minus accurate *Diodorus* alii Fasti χαρίανδρον vocitent v. *Corsini Dissertat.* VI. p. 112. Eidem *Corsino* in *Fastis* Tom. III. p. 302. χαρίσανδρος *Carisander* appellatur, ni festinantis calami vitium est. Nam mox et deinceps recte χαρίσανδρος *Charisander* vocatur. In iisdem quoque Tabulis *Baudelotianis* est ΑΝΔΡΟΣΘΕΝΕΣ et ΠΥΡΡΑΝΔΡΟΣ p. 93. — Composita ab ΑΓΑΘΟΣ, velut ΗΑΓΑΘΟΔΕΜΟΣ p. 92. Col. 3. in Tabula Bau-

Baudelotiana vbi notetur ab initio aspiratio. Αρχαγαθος nomen Siculum. vid. *Burmannus* in *Sylloge Vet. Inscript.* p. 553. *Siculorum Dorvilii*, vbi citat *Diodor. Sic.* L. XX. c. 33. seq. *Archagatus* Haluntinus, vitiose sine aspiratione in nonnullis *Ciceronis* exemplis IV. *Verr.* 23. qui literis th scribi debebat. *Archagathus* primus Medicus Romae, qui Romam venit ex Peloponneso. v. *Plin.* XXIX. 1. — Vocabulum ΔΗΜΟΣ plura Graecis propria dedit nomina. Ipsum quoque Δημος proprii nominis vice fuit. Δημος ὁ Πυριλαμπυς *Aristophani* memoratur in *Vespis*. vid. *Casaubon.* ad Athenaeum. L. IX. p. 428. De primitiuo Δαμων, quod idem ac Δημων, vid. *Hemsterhus.* ad *Aristophanis Plutum.* pag. 352. it. *Mazochius* ad Tabulas *Heracleenses*, p. 139. n. VI. In Tabulis *Baudelotianis* sunt composita Δεμοσρατος, . . . ρεδεμος, forte χαιρεδεμος, Ευυδεμος, Δεμονικος, Ισοδεμος, Τιμοδεμος, Ηαγαθοδεμος, Χαρεδεμος, Φιλοδεμος. Εκδημος in Polybii Excerptis p. 34. ibique *Vales.* ευδημος Theophrasto, qui Scholiastae Aristophanis ad *Plutum* 844. ευδαμος vid. ibi *Hemsterhus.* — Composita cum voce ΙΠΠΟΣ. Ipsum vocabulum ιππος proprii quoque nominis loco habitum forsan, vti alia animalium nomina, ταυρος in hac Tabula Atheniensi, & alibi obvium nomen et ΗΙΠΠΟΝ, id est ἵππων. vnde Γ . . . ιππος, forte γλαυκιππος, vel καλλιππος, Λμυδριππος, Ποσειδίππος, Σοσιππος, Φιλιππος, Αλεχσιππος, Ηιπποδαμας, idem est etiam Δαμασιππος vti Theodorus, et Dorotheus, Timophilus et Philotimus etc. Archon qui *Diodoro* ἱπποδημος dicitur, omnino potius est appellandus ἱππόδαμας: est enim δαμας του ἵππου, et nescio an vsquam ιπποδημος nomen occurrat, quoniam nihil notat; quum Graeca nomina propria semper aliquid denotent. ιπποδαμας Archon vocatur et in Marmore *Sandvicensi.* — Composita cum voce ΚΡΑΤΗΣ quod et ipsum simplex est vsitatum. Sic in Tabulis *Baudelotianis* . . . ΡΑΤΕΣ forte Σοκρατες. Καλλικρατες. Τιμοκρατες. Ευθοκρατες. Αυτοκρατες. Μνεσικρατες. Πολυκρατες. Αμεινόκρατες.

ad p. 21. circa fin. post verba: *itaque, vt cadant.* || Cl *Jo. Cannegieter* in *Disquisitione* de *Notis* p. 334. legit: *itaque vt iam cadant* ex nota veteri, qua voculas *ita* et *iam* eodem prorsus modo exaratas putat.

ad p. 22. lin. ego non capio || *Cannegieterus* l. c. p. 335. exponit:

nit: *item obſervanto ad alios dies vbertatem lactis, foetusque feriasque conceptivas propter ea habento.* Vix intelligo, quid velit feriasque conceptivas propter ea (*vbertatem lactis foetusque*) nihil hic lex iubet de feriis conceptivis. dein vltima exponit: *id quod ne committi poſſit*, ne quid autem in his peccetur, aut omittatur: ita tamen, vt praeferat *in quod*, pro *id quod*

ad p. 24. ſub fin, *habenda eſt ratio intercalandi.* || vid. & *Cannegieterus* l. c. p. 336. ſeq.

ad p. 25. *lin.* 11. *quietos dies*, || et Act. I. Verr. c. vltimo *vacuos* appellat.

ad p. 26. poſt locum *Ovidii* adſcripſerat *Vaaſſenius:* Cf. *Columella* L. XI. c. 11.

lin. vlt. *ut Nundinarum dies & alia haud pauca ſuo loco nobis monſtrabunt* || haec in chartis ſuis de *Nundinis* diſſeruerat:

O B S E R V A T I O

de

N V N D I N I S.

Nundinarum quoque dies faſti fuerint an nefaſti, jam olim disputatum fuiſſe, ex Macrobio conſtat *lib.* 1. *Saturn. cap. XVI.* vbi variorum juris divini conſultiſſimorum diverſas opiniones de Nundinis in medium producens, ex *Granio Liciniano* ſententiarum discordiam ita componit, ut ſtatuat, illos, qui Nundinas ferias, adeoque et nefaſtos dies, dicant, a mendacio vindicari patrocinio vetuſtatis, qui vero contra ſentiant, aeſtimatu aetatis, quae legem ſecuta ſit *Hortenſiam*, qua effectum, ut faſtae eſſent Nundinae, vera depromere: quibus vel *Granius* ille *Licinianus*, vel *Macrobius* procul dubio ſignificant ante legem *Hortenſiam* Nundinarum dies nefaſtos fuiſſe, ea vero perlata, faſtos evaſiſſe, uti Ruſtici, qui nundinandi cauſſa in urbem venirent, lites componere poſſent; unde ſimul infert, eos auctores, qui Nundinas ferias nefaſtasque pronuntiarint, ante legem Hortenſiam respondiſſe,

ſe, qui vero nundinas faſtos dies dixerint, ea lege fuiſſe poſteriores. De legis itaque *Hortenſiae* aetate paullo accuratius erit agendum: prius tamen, quam id agere inſtituam, obſervari velim, non inde a prima inſtitutione ſive *Romulus*, ſeu *Servius Tullius* harum primus fuerit auctor, Nundinas, ut *Macrobius* ſignificare videtur, quaque illi in re Interpretes quoque recentioris aevi haud difficulter fidem adjungant, non ſemper ferias ac propterea Nefaſtos dies fuiſſe. Teſtem produco unicum, ſed claſſicum, omnique exceptione majorem, Dionyſium Halicarnaſſeum, *Lib. VII. pag.* 463. Ubi αἱ δὲ ἀγοραὶ, ſcribit, Ῥωμαίοις ἐγίνοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων, δι᾽ ἡμέρας ἐνάτης. ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν, τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ᾽ ἀλλήλων ἐλάμβανον, τά τε κοινὰ ὅσων ἦσαν κύριοι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες ἐπεκύρουν. *Nundinae autem Romanis habebantur nono quoque die, uti nunc etiam noſtris adhuc temporibus; iis vero nundinis plebeji ex agris in urbem confluentes res venales inter ſe permutabant, et jure inter ſe agebant ac ſuffragia ferebant de negotiis publicis, de quibus vel leges eis permitterent arbitrium, vel Senatus ad eos referret.* De vetuſtis loquitur Dionyſius Romanae reipublicae temporibus, quibuscum ſuae aetatis mores confert, quare pro Ῥωμαίοις, quod minus apte opponitur ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων, legere malim παλαιοῖς vel τοῖς πάλαι Ῥωμαίοις *Romanis veteribus.* Erycius Puteanus de *Nundinis Rom. cap.* 3. *T. A. G. T. III. p.* 651. hunc Dionyſii locum ad prima et antiquiſſima referendum putat tempora, id colligere ſibi viſus, ex phraſi τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων. quod ſcribit Dionyſius, Ruſticos Nundinis res venales inter ſe *permutaſſe*, ſiquidem nummorum uſus nondum eſſet. Verum tamen, quo de hic loquitur tempore Dionyſius, pridem pecunia ſignata utebantur Romani, et dictio ἀμείψεις ποιεῖσθαι notat hoc loco *emere ac vendere*, ac venales inter ſe res emendo ac' vendendo permutare. Dum enim Nundinis fruges venderent ruſtici, aliaque ſimmul eodem tempore, ſibi neceſſaria, in urbe emerent, recte dicuntur Dionyſio *res venales inter ſe permutare.* Pertinet autem Dionyſii locus ad annum V. C. CCLXII. quando Marcius Cariolanus tyrannidis adfectatae a Tribunis Plebis inſimulatus, ipſis nundinis in judicio populi cauſſa cognita, damnatus eſt.

Ex quo igitur loco clarissime apparet, *Nundinas* tum temporis fuisse *Comitiales*, ac propterea *Fastos* etiam dies, et lege potuisse agi, si quando scilicet Comitia forte non haberentur, utrumque non tantum diserte h. l. Dionysius observat, sed quibuscumque diebus Comitialibus, hoc casu, si nulla essent populi comitia, Praetori fas erat, libera verba pronuntiare; ut alibi docemus. Ut vero ad Macrobium redeam, vel ex uno constat Dionysio, olim quoque diu ante legem Hortensiam Nundinas feriis non adnumeratas, sed fastas fuisse; deinceps vero per longam annorum seriem inter nefastos relatas pro feriisque habitas usque ad Hortensii legem, dubitare nos non sinunt auctores, a Macrobio laudati, tum Festus in *voc. Nundinas*, scribens, *feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique caussa, eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores;* et Plinius *lib. XVIII c.* 3. *Nundinis urbem revisitabant, et ideo Comitia Nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Uterque, ut palam est, de antiquioribus loquuntur temporibus, quum ipsorum quidem aetate, ex lege Hortensia, Nundinæ dudum essent fastæ. Reliquum jam est, ut de ipsa lege Hortensia ejusque tempore, quo perlata est, atque auctore dicamus. Referunt viri Docti hanc legem ad Q. Hortensium Dictatorem anno V. C. CCCCLXIIII. Epoch. Varr. (ast in Comm. ad Fastos ostendam, duobus demum tribusve annis post Dictatura functum Hortensium,) a quo eodem leges Valeria ac Publilia de plebiscitis diligentius sint sancitae, vid. Bach. *H. J. Lib.* 11. *c.* 2. *Sect.* 1. §. 24. aliosque Historiarum Juris Interpretes, si unum excipias cl. Ritterum ad Heinecc. *Lib. I.* §. 41. non sibi liquere pronuntiantem. Pighius in *Ann. T.* 1. *pag.* 409. quem sequitur Dodwell. *de Cyclis Diss. X. p.* 483. a Dictatore Hortensio hanc legem in gratiam plebis rogatam existimat, ut rustici, qui nundinandi caussa in urbem venirent, lites componere et jus obtinere possent: quae vereor equidem, ut vera sit legis ratio. Quid enim gratiae confert plebi, si Nundinalibus diebus emendis vendendisque mercibus occupata, cogatur non tantum lites sequi, sed comitiis quoque ad suffragia ferenda interesse? cum quidem ea potius ratio fuerit, quare Nundinae olim, ut vidimus anno 262. fastæ, postea temporis in gratiam plebis nefastae feriaeque fuerint factae, ne, si lege

agi

agi liceret, aut cum populo, nundinatores avocarentur. Sed ne incertis aliorum argumentis referendis refutandisque insistam diutius, tum aliunde, tum ex ipso mox patebit *Macrobio*, longe posterioris esse aetatis legem *Hortensiam* de nundinis perlatam. Ex ipsis auctoribus vetustis, quorum diversas de nundinarum qualitate sententias memorat *Macrobius*, palmarium primo loco depromam argumentum. Julius Caesar, *XVI. Auspiciorum libro*, negat Nundinis concionem advocari posse, id est cum populo agi, adeoque nundinis haberi non posse Comitia: idem adfirmabat Cornelius Labeo *primo Fastorum libro*, Nundinis ferias esse pronuntians. Ergo ad id aetatis, quo Auspiciorum libros scripsit *Julius Caesar*, et *Cornelius Labeo* Fastos, dubio procul omni Nundinae adhuc fuerunt feriae ac Nefasti dies. Licet autem non certo mihi constet, quo anno Caesar hoc de auspiciis opus in lucem ediderit, nullus tamen dubito, quin haec et huic similia eruditionis monumenta, uti Orationes quaedam, libri de Analogia, et alia nonnulla, juvenili aetate elaborata, prius jam in hominum manibus versarentur, quam majora in urbe moliri coepit et rempublicam tractare, quod Suetonius refert, *cap.* 3. morte Syllae comperta, id est anno fere 676. V. C. Neque posterioris longe temporis esse *Cornelium Labeonem*, Fastorum scriptorem, vel ex ipsis, opinione a Macrobio relata, atque aetate legis Hortensiae, quam mox proferemus, colligere est. ὡς ἐν παρέργῳ autem notari velim, hinc etiam constare, *Cornelium* hunc *Labeonem* probe distinguendam a *Q. Antistio Lateone*, Jurisconsulto summae auctoritatis, et a *Labeone* Theologo, cujus Augustinus mentionem facit *lib. II. de C. D. c. II.* aliisque *Labeonibus*, quos plerique cum celebri Jurisperito confundunt: vid Heinecc. et Bach. in *Hist. Jur.* sed illuc redeo. Statuamus igitur, *Caesarem Julium* et *Labeonem Cornelium* de Nundinis nefastis suam dixisse sententiam, saltem ante annum V. C. 680. negari non potest, ad illud usque tempus Nundinas fuisse ferias. Jam vero contra ex aliorum auctoritatibus scriptorum apud eundem Macrobium l. c. obviis videamus, an elici possit tempus, quo Nundinae Fastae feriaeque haberi coeperint, quo reperto, facile legis aetatem atque auctorem intermedio utriusque temporis intervallo deprehendemus. *Titus*, Nundinarum dies non ferias, sed solennes tantum modo dixerat: quod et *Julius Modestus* affirmabat,

 scri-

scribens, *Messalla* augure consulente Pontifices, an Nundinarum dies feriis tenerentur, respondisse eos, ferias sibi non videri; cui postremo addit, quem primo appellari oportuerat loco, *Trebatium Testam libro primo Religionum* scribentem, Nundinis magistratum posse manumittere, Judiciaque *adjicere (f. exercere)* De aetate *Trebatii* satis constat ex Cicerone, variis locis; ipsi fuit Caesari ac Ciceroni familiarissimus, verum juris responsionibus et scriptis de jure pontificio libris florere demum coepit Ciceronis ferme consulatu anno 690. *Messalla* vero Augur, h. l. a *Macrobio* ex *Julio Modesto* ad partes vocatus, idem prorsus est, quem supra *Lib.* 1. *Saturn cap* 9. *M. Messallam Cn. Domitii in consulatu collegam, eundemque per annos quinquaginta et quinque Augurem*, scripsit, ubi quoque verba Messallae de *Jano* refert; citatur etiam ipsius *Explanatio Auguriorum* in Festo, voce *Marspedis*, atque alibi. In primis autem ex Macrobii loco de Messallæ aetate satis constat; consulatum enim gessit cum Cn. Domitio Calvino anno V. C. 700. quo igitur ex consulatus anno apparet aequales fuisse *Valerium Messallam* augurem et *Trebatium Testam* JCtum, utrumque minores natu, quam Caesarem atque Ciceronem. Intervallum igitur temporis, quo lege *Hortensia* Nundinae inter fastos dies, quibus et agere cum populo, judiciaque experiri poterant, sunt relatae, necessario investigandum est inter an. V. C. 680. et 700. quo quidem spatio temporis commodum in Fastis Consularibus obvius nobis est Q. Hortensius consul cum Q. Metello Cretico, an. V. C. 684. De Q. Hortensio alia nonnulla dicam in *Comm. ad Fastos.* — *P. Manut.* de *Comit.* T. 1. Thes. Graev. p. 498. Dictatorem *Hortensium* fuisse putat. *Gruchius* autem p. 629. admodum fuisse veterem putat; non a Dictatore Hortensio, sed jam ante latam. Praeterea obiter notare liceat, *Almeloveniun* in *Fast. Consul. Jndic. Alphab. pag.* 309. M. Aemilio Scauro adponere cognomen *Hortensium*, quod nescio, qui excidere potuerit viro diligenti, atque in veterum nominibus Romanorum versanti, quorum rationem probe perspectam habere eum oportet, qui Magistratuum Fastos adornare cupit. Hortensius enim nusquam habetur cognomen, (loquor de libera republica.) Nimirum Hortensius, ut ex *Fastis Consularibus* anonymi, quos edidit *Norisius*, constat, anno 645. consul creatus erat cum Sulpicio Galba, verum, teste *Fragmento Capitolinor. Fastor.* in magistratu, vel

vel antequam iniret, damnato, ejus in locum factus erat *Aemilius Scaurus*: perperam igitur damnati consulis *Hortensii* nomen *Aemilio Scauro*, tanquam cognomen, adposuit vir cl. Cum tamen in priori serie Consulum recte leguntur horum nomina, non equidem inperitiae, sed aut nimiae properantiae vel typothetis id tribuendum existimo: vellem tamen ex libro ejusmodi manuali, quo temere saepe fidimus, plurima, quae occurrunt, errata et vitia sive auctoris, sive librariorum, diligentius essent ab editore cl. *Lud. Ublio* sublata. Sed redeo ad legem Hortensiam, quam ad annum 684. relatam a nobis, ducentis et amplius annis recentiorem reddidimus, quam hactenus vulgo credita est: id autem quamvis ex disputatis jam satis, ni fallor, appareat, lubet tamen alia quaedam adjungere, ut dubia quae nostrae opponi possent sententiae removeamus. Cicero *Lib. IV. Epist. ad Attic.* 3. scribit: *ante diem X. Kal. Nundinae, concio biduo nulla.* Supra notavi ex lib. XV. Cæsaris *Auspiciorum*, Nundinis concionem haberi non potuisse, cum autem illa epistola scripta sit annis aliquot post legem *Hortensiam*, haud temere forsan hinc inferre quis posset, indicare velle *Ciceronem*, iis Nundinis concionem nullam esse advocatam, quoniam feriae etiam tum essent ac nefastae. sed Cicero non eo loco significat, quid juris non esset, verum quid factum non esset. Puteanus de *Nundin. cap. XIV.* scriptam putat hanc epistolam an 700. consilibus *Calvino* et *Messalla*, in numeralibus autem notis errorem esse commissum, nam Nundinas fuisse XII. Kal. Decembres, concionem biduo, scilicet XI. et X. nullam fuisse: verum in tempore epistolae definiendo quatuor annos aberrat; quapropter et incertas imo falsas ejus correctiones in numeris Ciceronianis, re ipsa palam est.

Vid. de *Nundinis* fastis, nefastisque, *Antonius Clarus Sylvius* in *Commentario ad leges regias*. Paris. 1603. 8.

CETERA DESUNT.

Ad pag. 56. et 77.

A D D I T A M E N T U M

Capitis ſecundi

de

Notis ac Siglis veterum, et Arcano Geminationis, earumque abuſu in Arte Critica.

Superiori Capite §. 4. occaſione loci Pomponiani obiter de *Siglis* ac *Notis* veterum, tum etiam de *Arcano*, ut Critici vocant, *Geminationis* mentionem feci, vid. *pag.* 56. et 62. Utrumque illud remedium in arte emendandi vetuſtos Auctores mirifice, at ſupra modum, ut ego exiſtimo, plerique extollunt Interpretes. Quod ad *Notas* attinet et *Siglas*, quo vulgo nomine quaevis etiam intelligunt ſcripturae compendia, dum quae veteres quaeque recentiores hac de re vel obiter vel ex profeſſo nos docuerunt, diligentius inquiro, tanta nobis in fertiliſſimo hoc campo, velut ſponte, Obſervationum enata fuit ſeges, ut, ſi quando operoſius hac de re pertractare ferat animus, materies vel prolixae ſatis Disquiſitioni ſufficiat: adeo enim, ut, quamvis forſitan audacter, praefiscine tamen ac veriſſime dixerim, nemo hactenus eruditorum accurate ſatis, quia nemo diſtincte ſatis, hanc pulcherrimam rei Antiquariae partem expoſuiſſe mihi videtur. De Graecorum veterum Notis praeterquam illi, qui Lapidum aliorumque Monumentorum ediderunt in lucem collectiones et Theſauros, ex profeſſo ſcripſerunt. Duumviri in re publica Literaria Principes, ill. Marchio Scipio Maffei, edito eximio libro de *Graecorum Siglis Lapidariis*, Veronae, anno hujus ſaeculi ſexto et quadrageſimo, et celeberr. Eduard. Corsinus, cujus eruditum opus, inſcriptum *Notae Graecorum, ſive Vocum et numerorum compendia, quae in aereis atque marmoreis Graecorum Tabulis obſervantur*, lucem vidit Florentiæ tribus annis poſt. His acceſſit Greg. Placentinius, cujus Tractatum poſtumum de *Siglis veterum Graecorum* edidit Basilius Cardonus, Romae, 1757. ubi quae a Maffeo et Corsino pro-

prolixius expoſita illuſtrataque ſunt, ſummatim complectitur, nonnullas etiam Inſcriptiones ineditas ex iisque nova quaedam vocum compendia, et pauculas ex propria penu hic illic adjecit animadverſiones: caeterum nihil fere in PLACENTINII libro aut in *praevia* CARDONI *Diſſertatione*, niſi excerpta, et ſaepius κατὰ πόδα ex MAFFEI, CORSINIQUE operibus deſcripta, repetitis interdum etiam Typographorum erroribus, ut, quod hodie plerique cenſent cordatiores eruditi, facile hic animadvertas veriſſimum, librorum multiplicatione aliquando progredi Literas, ſaepius autem regredi. — Varia ſunt apud Græcos Notarum genera, quae ſingula in ſuas quaeque claſſes accuratius ſunt diſtinguenda et ſeparatim pertractanda, non ordine Alphabetico exponenda promiscue, ut hactenus VV. DD. placuit, tum alia nonnulla rite obſervanda ſunt, quae hactenus eruditorum fugiſſe videntur attentionem: in primis autem diſtinguendae ſunt Notae publicae ab iis, quae privati, pro ſuo quisque captu, ac voluntate, ſignarunt: ipſa quoque Marmorum aetas, in quibus obviae nobis fiunt ſiglae, accuratius eſt attendenda: tum obſervandum maxime, ut notae et quaelibet compendia ſuis proponantur formulis: ac denique cavendum, ne defectus Lapidum, ſi quos injuria temporum fecerit, vel error fabrilis, aut exſcriptorum incuria, temere pro uſitatis ac legitimis ſcripturae compendiis accipiamus. Haec & alia multo plura probe animadvertere oportet illum, qui rite velit de Notis Siglisque veterum et Lapidari Orthographia judicium ferre vel tractare. Ex magna, quam hunc in finem congeſſi, Animadverſionum copia, ne quis vana jactare me exiſtimet, unum item atque alterum proferam nunc exemplum reliqua copioſius alibi perſecuturus. —— Notarum origo vetuſtiſſima admodum eſt et ab ipſis fere artis ſcribentoriæ (*ſic*) incunabulis repetenda, introducta primum, non adeo elegantiæ cauſſa, quam neceſſitatis ergo, ut vel ταχυγραφίᾳ inſerviret, vel ſpatio et anguſtiis in nummorum epigraphis conſuleretur, vel etiam ad arcana celanda: fruſtra LIPSIUS *Epiſtolar. Centur.* 1. *ad Belgas Epiſt.* 27. aliique eum ſequuti, etiam CORSINUS in *Prolegom. pag. XI.* laborarunt, ut quis primus exſtiterit Siglarum auctor, inveſtigarent, ejusque rei gloriam nominatim XENOPHONTI, Philoſopho et Hiſtorico, tribuendam rati ſunt, decepti loco DIOGENIS LAËRTII, *Lib. II. ſegm.* 48. ubi de Xenophonte ſcribit: καὶ πρῶτος, ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν.

ita

ita distinguendum: quibus verbis non significat ille, primum apud Graecos Notarum inventorum fuisse Xenophontem, sed dicta (Socratis) quae Notis excepisset, in vulgus primum protulisse.

Ex hoc autem *loco* DIOGENIS *citato* colligere est, usum Notarum tempore Xenophontis in privata scriptura, vt verba alterius ore prolata velocissime exciperentur, jam invaluisse, attamen per illa tempora et diu etiam post, Graeci in Monumentis publicis Lapideis Aereisque vocum compendiis plane abstinuerint, si excipias numerales Notas, quaeque ab agrimensoribus adhibebantur siglae, et compendifacta Tribuum vel Curiarum nomina, quae plerumque, ut et nomina interdum dignitatis militaris, propriis nominibus addita, dimidiate solebant exarari. Longe igitur alia mihi mens sedet, atque cl. CORSINO, in doctis *Prolegomenis*, quae libro de *Graecorum Notis* praemisit, pro earum antiquitate disputanti *pag. XVI.* et *sqq.* cui viro praeclarissimo cum paucula respondere hic loci instituam, nihil per me quidem ejus famae, quam apud omnes bonos et aequos Graecae eruditionis aestimatores meritissimam possidet, detractum cupio.

Scribit vir cl. *loco cit.* Notarum usum scribendique rationem facile ex aereis ipsis marmoreisque Graecorum Tabulis ostendi posse, si plura id generis monumenta hodie superessent, neque ea, quae supersint, forent brevissima, aut solam plerumque nominum seriem continerent. At, quamvis fatear, multa praestantioris generis Monumenta Graeca esse deperdita, haud pauca tamen etiamnunc supersunt decreta Graecorum vetustissima, aereis marmoreisque Tabulis inscripta, neque ea brevissima adeo, quin facile compendifacta scribendi ratio ex iis nobis patesceret, si in publicis Monumentis per ea tempora Notarum usus obtinuisset: ne alia commemorem prolixa satis Decreta Lapidea, quae in GRUTERI *Thesauro*, aliorumque Inscriptionum *Collectionibus*, praecipue in CHISHULLI *Antiquit. Asiat.* et RICARDI CHANDLERI *Inscriptionibus* prostant, *Chronicon Oxoniense*, tum *Foedus Smyrnaeorum*, *Sandvicense Marmor*, *Tabulae Heracleenses*, cuncta illa Monumenta vetustissima sane, sine Notis et vocum compendio perscripta sunt, si numeralia signa, et, quae supra memoravi, exceperis.

Existimat tamen CORSINUS, cum in antiquissimis etiam brevibusque Grae-

Graecorum titulis Notae quaedam, Siglae et contractiones occurrant, facile inde efferri posse, alia quoque vocum compendia iis temporibus usurpari consuevisse et in prolixioribus solum titulis adhibita: hunc autem in censum, ut Notarum usum in veterum monumentis adstruat exemplis, primo refert *Inscriptionem Sigeam*, quae Βουστροφηδὸν exarata omnium habetur antiquissima, quam doctis Animadversionibus illustratam primus edidit cl. EDMUND. CHISHULL, post inserta etiam *Antiquitatibus* ejusdem *Asiaticis pag.* 4. et ab aliis saepius repetita: nulla in hoc titulo Nota vel sigla, nam quae ibi occurrunt ΚΑΓΟ, pro και εγω, ΚΑΠΙΣΤΑΤΟΝ, pro και επιστατον et ΜΕΠΟΙΕΙSEN pro με εποιησεν non ex compendifacta scriptura, sed ipsa contracta pronunciatione sic exarata sunt: neque enim ejusmodi Aphaereses, Apocopes, vel Apostrophi in Notarum vel Siglarum classem referendi sunt, sed potius ad genium pertinent sermonis. In octavo tamen versu cum legatur: ΜΕΛΕΔΑΙΝΕΝ :: ΕΟΣΙΤΕΙΕΣ, ubi in medio lacunam supplet *Chisbull*, *pag.* 38. ΔΕΙ, notam ΔΕ loco ΔΕΙ scriptam arbitratur: verum ejus modi siglas ne quidem in recentiorum Graecorum Lapidibus, ubi omnia compendiis plena, facile agnosco, et si vel ita maxime in Sigeo Marmore legeretur, sculptoris incuriae potius, quam arti et rationi Orthographiae tribuendum censerem: nunc autem omnis plane evanescet statim Notae suspicio, si ex apographo *Horstiano*, ex schedis B. MOULDII descripto et a cl. HESSELIO in *Append. Praef.* ante GUDII *Inscriptiones* ******* edito ΜΕ, μελεδαινε με ο Σιγευς· quam verissimam lectionem, quod gratulor mihi, probatam nunc video ab eximio viro, et veteris eruditionis Lapidariae peritissimo Judice RICARDO CHANDLERO, qui superiori anno Londini praeclarum edidit opus *Inscriptionum in Asia Minori et Graecia, praesertim Athenis, repertarum*, ubi inter alia multa venerandae Antiquitatis Marmora, Sigeam quoque Inscriptionem accuratissime denuo delineatam nobis exhibuit *pag.* 1. et in *Syllabo* praemisso testatur, literae M. satis manifesta apparere vestigia.

Ludicra illa seu aenigmatica AESOPI, seu Graeculi potius Monachi PLANUDAE, cum et ipsum virum cl. parum iis tribuisse videam, sciens praetereo. In Inscriptione *Deliaca*, colosseae Apollinis statuae subjecta, uti et in Marmore Agonistico, quod cl. CORSINUS ad an. 4. Olymp.

LXXIX. refert, mihi autem cum ill. MAFFAEO ſpurium plane videtur, nihil quoque agnoscimus compendifactum. Pergimus cum maxime ad praeſtantiſſimas Athenienſium *Tabulas Baudelotianas*, quae nunc in Regia Pariſienſi Academia adſervantur: Monumentum illud, quod Olympiade circiter LXXX. poſitum eſt, et nomina complectitur Athenienſium civium, qui variis bellis variisque annis pro patria occubuerunt complectitur, alibi ampliori commentario explicabimus, hic quae ad Notas pertinent, tantum obſervaturi. In nominibus propriis, quae plura in iis Tabulis recenſentur, nullum prorſus ſcripturae compendium illic apparet: quinque tamen voces contractas obſervaſſe ſibi viſus eſt cl. CORSINUS: bis ſcilicet ΤΡΙΕ pro ΤΡΙΕΡΑΡΧΟΝ, ſemel ΦΥΛΑΡΧ pro ΦΥΛΑΡΧΟΝ legitur: quod autem iſta dignitatum militarium nomina non integre, ſed dimidiate tantum exarata ibi proſtant, cum forte ſpatium, quod inter columnas interjectum eſt, plenum non caperet, minime communem Notarum uſum iis temporibus in publicis Monumentis uſitatum fuiſſe probabit. Quartam in hoc Marmore contractionem intelligendam conjicit vir cl. in verbis: ΦΥΣ . . . ΟΣΔΙΟΚΛ. quamvis enim, inquit, poſtrema vox aut patris nomen in exeſo marmore evanuiſſe videatur, fortaſſe tamen haud integra ΔΙΟΚΛΕΟΣ vel ΔΙΟΚΛΕΙΔΟ vox ibi ſculpta fuerat, ſed contracta potius, aut imperfecta: verum tamen, ſi quid video, nihil hic cogitandum de nomine patris, filii nomini addito, nulli enim in his Tabulis patris nomen adſcribitur, licet plures ejusdem nominis, quibus alioquin diſtinctionis cauſſa id apponendum videri poſſet, neceſſarium fuiſſe, occurrant, neque crediderim facile vocis contractionem hic obtinere, ut ΔΙΟΚΛ exaratum ſit pro ΔΙΟΚΛΕΣ vel ΔΙΟΚΛΕΙΔΕΣ, ſed finales literae duae temporis injuria exeſae ſunt, vel detritae, ac propterea a *Maſſaeo* duobus punctis notatae, ut haud difficulter appareat ſupplendum ΔΙΟΚΛΕΣ. nempe militum nomina ordine in his Tabulis relata videntur, cum Sculptor *Dioclis* forte nomen praetermiſisſet, illud, errore poſtea deprehenſo, e regione nominis ΦΥΣ . . . ΟΣ adſcripſit: idem forte locum error habuit alibi in Tabula priore, ubi nunc legitur ΤΟΧΣΟΤΑΙ ΦΡΙΝΟΣ, ubi voce τοχσοται ill. *Maſſei* arbitratur militiae genus apponi, ut *Phrinus*, *Taurus etc.* fuerint *Sagittarii;* ſed legendum potius credo, atque ita legi in Marmore ΤΟΧΣΟΤΑΙ, ut duo

duo fuerint propria militum nomina, quorum posterius, a sculptore praetermissum, suo loco postea additum est. Postremam denique vocis contractionem in ipso Marmoris titulo deprehendit CORSINUS, ubi loca recensentur, in quibus Athenienses id temporis bella gessere, et milites in proelio occisi sunt: verum nihil quoque illic compendii, non enim ΜΕΓΑΡΟΣ contractum pro ΜΕΓΑΡΟΙΣ vel ΜΕΓΑΡΟΙΣΤΕ aut quadratarii hic erratum est admittendum. sed legendum est ΜΕΓΑΡΟΙ, cum vero postrema vocis litera detrita admodum esset, (BIMARDUS plane deletam testatur) ex ductu literae ἰῶτα superstite, MONTFAUCONIUS exsculpsit Σ deditque ΜΕΓΑΡΟΣ pro ΜΕΓΑΡΟΙ sed de his plura, quando integrum Marmor illustrabimus.

In Marmore Sandvicensi, quod numeralibus Notis refertum est, paucissima vocum compendia, siglas, contractasque voces observari monet ipse CORSINVS, in *Prolegom. pag. XVIII.* saepius tamen reperiri literam solitariam τ ut integra vox τάλαντον exprimatur: sed ista quidem litera in hoc Monumento pro numerali nota etiam accipienda est, uti in Tabulis Agrimensorum litera Π πόδα *pedem* significans: in fronte autem Marmoris occurrunt literae Ε. Θ. quibus formula solemnis, publicis decretis praemitti solita exprimitur; quales formulas, cum in frequenri usu essent et omnibus cognitae, nihil prohibebat, Notis, vel singulariis literis signare. Edidit quoque et exposuit Monumentum illud Sandvicense CORSINUS, in *Diss. VI. in Append. ad Not. Graecorum* minus accurate tamen, quippe apographo vitiose descripto usus, non semel impegit: persequar tantum modo, quae ad scripturae compendia spectant: vs. 27. ita edidit CORSINUS ΟΙ. ΕΤΩΝΙΔΙΟ. ΤΟΤ. ΚΟ (in Marmore autem est ΙΔΙΩ.) suppletque ΟΙ ΔΕ ΤΩΝ ΙΔΙΩΤΩΝ ΤΟ ΤΟΚΟ. et quamquam in voce ΙΔΙΟ unius lacuna literae supersit, integram tamen vocem ἰδιώτων intelligi supplerique debere, quae non explicate, sed Notae compendiique instar expressa fuerit, existimat. Attamen vero si versum metiaris, nam στοιχηδὸν exaratum est hoc Marmor, in suppletione Corsini duae abundant literae, simulque patet, nullam hic conspici vocis contractionem, sed cum TAYLORO legendum ΙΔΙΩΝ opponuntur enim in hoc Monumento αἱ δὲ τῶν πόλεων et οἱ δὲ τῶν ἰδίων in aversa autem Lapidis parte vs. 90. pro ἰδίων est ἰδιώτων eodem sensu. Porro

 in

in vs. 33. nisi quadratarii vel exscriptoris vitium irrepserit, notae vel contractionis ope ΔΗΛ pro ΔΗΛΙΟ exaratum quoque arbitratur; at si ipsum consulas Marmor, apparebit, duas literas vocis ΔΗΛΙΟ postremas in lacuna ibi esse: caetera praetermitto, siquidem ex ipso hoc Monumento, quod aeri incisum, explicatum, et egregie illustratum celeberr. TAYLORO debemus, meliora jam edocti sumus, et certo apparet, praeterquam in Notis numeralibus et solemni formula, quae praemittitur, nihil prorsus obvium esse compendii.

Pergimus cum viro cl. *Prolegom. p. XIX.* ad Sigeorum Psephisma in gratiam Antiochi Soteris, quod edidit CHISHULL *Antiq. Asiat. pag.* 50. ex quo vnicam duntaxat contractionem profert CORSINUS: nempe *vs.* 4. ΤΑΣ ΠΟΛΕΙΣ ΤΑΣ ΚΑΤΗΝ ΣΕΛΕΥΚΙΔΑ, ubi ΚΑ pro ΚΑΤΑ positum arbitratur, quemadmodum hoc ipsum compendii genus in Marmoribus aliis occurrat: CHISHULL errore sculptoris ΚΑΤΗΝ pro ΚΑΤΑΤΗΝ exaratum credit: equidem vero nihil adeo erratum puto, aut compendifactum; sed ope Apostrophi vel Syncopis praepositio Κατὰ juncta articulo ita solet in unam vocem coalescere, ut Κατὴν dicatur pro κατα τὴν, plerumque tamen duplex ponitur Τ, ut Καττοὺς pro κατὰ τοὺς, καττοῖς pro κατὰ τοῖς. neque hoc igitur ex scripturae compendio, sed ex contracta pronunciatione profectum videri debet.

Insigne Chronicon Parium, nunc Oxoniense, praeter numerorum Notas, quibus anni Olympiadum exprimuntur, siglas plane nullas habet; quare nihil moratus ad Milesium Marmor transeo, obvium in CHISHULLI *Antiq. Asiat. pag. 67. sq.* ubi in fine Tabulae unicam tantum modo vocis contractionem CORSINUS observat, ΒΩ. ΔΩΔΕΚΑ legitur pro ΒΩΜΟΥΣ· sed multo mihi vero similius est, quatuor postremas vocis literas in Lapide detritas fuisse, quam suspicari, Quadratarium unicam illam vocem sine ulla necessitate compendifactam scripsisse: certe, si Siglis uti voluisset, cur numeralia potius, quae saepius hic occurrunt, Notis non exaravit, quae integre ubique perscripta sunt, punctum etiam in apographo Scherardiano, ex quo edidit CHISHULL additum ΒΩ. indicat satis defectum literarum in Marmore haberi, temporis injuria exeso vel mutilato. — — In Teiorum Cretensiumque Monumentis nulla vocum compendia reperiri concedit vir cl. nisi quod in

in Foedere Latiorum et Olontiorum menſis dies, quo foedus percuſſum, numerali Nota ΔΙ pro Δεκάτῃ exprimatur, vid. CHISHULL. *Antiq. Aſiat. pag.* 134. In prolixo Marmore, quod Epictetae Spartani complectitur teſtamentum, editum a GUTERO *pag.* CCXVI. *ſqq.* emendatius multo ab ill. MAFFAEO in *Muſ. Veron. pag. XIV. ſqq.* raras vocum contractiones reperiri, CORSINUS fatetur; ego nullas offendo; καθεκάστου, καθεκαυτου, et quae ſunt ejus modi ſimilia, non ſcripturae, ſed pronunciationis coutractae exempla, nihil moror amplius: in ΚΑΔΟΞΕΙ vero ΚΑΠΑΘΗ et *Col.* III. *vs.* 8. ΔΕΚΑ, non ponitur, ut CORSINUS putat, ΚΑ pro ΚΑΙ, ſed Και particula in his omnibus particula eſt Doricae dialecti δυνατική, de qua vid. MAZOCHIUS in *Lexic. Heracleot.* et *Comm.* ad *Tabb. Heracl.* — *Col.* autem *II. vs.* 5. ΚΑΤΑ vitio Quadratarii legitur pro ΚΑΙ ΤΑ, ut recte notat MAFFAEUS: *Col. V. vs.* 12. ΔΕΞΟΥΝ extritis duabus literis finalibus, eſt pro δεξοῦντι· *Col. VIII. vs.* 13. ΚΑΙΠΡΑΚΤΟΣ non eſt pro καὶ ἄπρακτος quamvis et hoc ex linguae genio defendi poſſet, ſed integrum καὶ πράκτος. *Col. V. vs.* 32. et *VII vs.* 4. ΚΑΤΕΝΕΧΥΡΑΣΙΑΝ non per ſiglam, ut credit vir cl. exaratum pro κατὰ τὰν ἐχυρασίαν, ſed exponendum eſt κατ' ἐνεχυρασίαν, uti *Col. VIII. vs.* 13 ἀπὸ ἐνεχυρασίας occurrit: denique poſtremo contractionis vel compendii genus fortaſſe habendum putat, quod *Col. III. vs.* 15. legitur ΚΑΤΑΔΕΜΟΘΕΣΙΑΝ, ſi cum ill. MAFFAEO reſcribendum ſupplendumque foret ΚΑΤΑ ΔΕ ΝΟΜΟΘΕΣΙΑΣ. potius tamen legendum ibi exiſtimat ΔΗΜΟΘΕΣΙΑΣ. Miror, viros doctos immemores fuiſſe elegantiſſimae coniecturae, quam propoſuit cl. PERIZONIUS *Diſſert. I. pag.* 107. Δημοθεσία, ut corrigendum cenſet CORSINUS, difficulter hic probem, cum quia id vocabulum alibi nuſpiam eſt obvium, tum etiam, quod particula δὲ in verborum formula, qualis hic eſt, facile careri non poteſt: Ἀντισθένης Ἰσοκλέους κατὰ δὲ *etc.* in primis autem, quod neſciam, apud Graecos, quemadmodum Arrogatio apud Romanos libera re publica in Comitiis fieri debebat, ob jura patriae poteſtatis, filiorum adoptionem conſenſu populi vel lege perlata, fieri neceſſe fuiſſe: quae poſterior obſervatio MAFFAEI quoque coniecturam reddit inutilem: agnoſcendus itaque cum PERIZONIO levis incuriae fabrilis error,

loco τοῦ ΥΙ exaratum fuit in Lapide M, atque adeo legendum κατὰ δὲ ὑιοθεσίαν

A Lapidibus marmoreisque Monumentis tranſit Corsinius *pag. XX* ad aereas Graecorum Laminas: ac primo huc refert Senatusconjuttum quod Q. Lutatio Catulo. M. Aemilio Lepido Cos adeoque anno V. C. DCLXXV. conditum eſt: apud Gruterum exſtat *pag DIII.* In hac Tabula obſervat, Notam ſeu contractionem reperiri, cum legatur ΚΛΑΖ. qua perſpicue certoque Κλαζομενιοι ſignificetur, quum et in extrema Laminae parte nitide diſerteque legatur integre exaratum ΚΛΑΖΟΜ·ΝΙΟΥ· at vero, quando haec ſcripſit Corsinus, credo, SCtum Lutatianum, ut apud Gruterum exſtat, non ipſi ad manus fuiſſe aut ante oculos. Facile enim animadvertiſſet vir doctus, nullam hic eſſe vocis contractionem, ſed *vs.* 9. in fine, aere fracto vel exceſo literas aliquot evanuiſſe in voce ΚΛΑΖομενιοι, quae eadem bis infra integre perſcripta recurrit; quemadmodum nulla prorſus in hoc Decreto in contextu Graeco (nam ab altera parte idem SCtum Latine exaratum ſolemnes aliquot Notas habet) vocis compendifactae ſigla eſt, quin praenomina etiam Romanorum uti et nomina tribuum ſine ullo compendio exarata ſunt.

In Heracleenſium Tabulis aereis, Monumento admodum prolixo, et vetuſto nullas prorſus obſervat cl. Corsinus Notas, praeter ΓΕ. ΠΕ. ΑΙ. ΚΝ. ΜΕ. quibus τῶν φυλῶν tribuum, ſeu Curiarum nomina indicantur; conf. Mazochius in *Comm. pag.* 148. *n.* 12. *Col.* 2. ſic pariter in Sicula Inſcriptione *Tauromenitana*, quam edidit celeberr. Burmannus in *Syllog. Inſcript. vett. Tom. II. Siculor.* D'Orvillii *pag.* 526. *ſqq.* in Notis, Gymnaſiarcharum nomininibus additis, quas cl. Schraderus pro cognominibus Gymnaſiarcharum accipiendas putabat, vid. *pag.* 543. *ſq.* tribuum potius nomina aut ſimile quid latere exiſtimo; Scio equidem, Siculos cognominibus uſos, de quibus alibi non nihil dicam, verum tamen horum uſus, hujus certe Inſcriptionis tempore, nondum adeo frequens fuit, ut cuilibet fere Gymnaſiarchae additum cognomen legeremus; cum contra nullus Archontum, quos haec Tabula refert, cognomine ſit conſpicuus: tum praeterea, ſi cognomina eſſent, non compendifacte forent exarata, cum Graeci vetuſtiores nomina Notis ſignare non ſolent. Nus-

Nusquam vero plures aut varietate magis insignes reperiri Notas affirmat Cl. CORSINUS, quam in Sicula agrorum terminatione, quae in marmorea Tabula (imprudenter enim vir cl. inter *aerea* monumenta refert) duabus columnis inscripta apud GUALTERIUM *pag.* 28. et GRUTERUM *pag.* ccx. obvia est; quam eandem accuratius multo descriptam et docte illustratam repetiit excellentiss. LANCILLOTIUS CASTELLUS, Princeps Turrismutii, rarum hoc aevo et insigne literarum decus, in *Historia Alaesae Cap. X. pag.* 154. atque in *Inscriptionibus vet. Siciliae, Clas. VIII. n. 9. p.* 102. *sqq.* Primo in hoc Monumento observat cl. CORSINUS, inter numerales Notas characterem I loco τοῦ Z, sive Quadratarii vel exscriptoris iste fuerit error, seu, quod Alaesini ea litera usi non fuerint, unde et saepissime hic legas ΟΡΙΤΟΝΓΑ et ΟΡΙΙΟΝΤΟΣ pro ΟΡΙΖΟΝΓΑ et ΟΡΙΖΟΝΓΟΣ. verum, ubicumque ita exaratum, error facile agnoscitur exscriptoris, minus vulgarem literae Z characterem, qui hac in Tabula aliisque I hac forma semper exarata conspicitur, ignorantis. Vt in eximia Lancilloti editione pulcre observatur, cuius vide etiam doctissima Prolegomena. *p.* XI. & LXV. Caeterum, quod ad alia, quae plurima in hac Inscriptione V. D. affirmat subinde occurrere, vocum compendia attinet, omnis horum summa huc redit, A. pro ἀπὸ, E pro ἐσ, praesertim vero Notam TE vicies fere observari, ut τέρμων vel τέρμονα exprimatur. Postrema sigla TE in Tabula, agrorum terminationem describente, minus sollicitum me habuit, aut habebit quemquam. Conf. quae supra de litera T, in Marmore Sandvicensi saepius obvio et de litera Π, qua πόδες exprimuntur, diximus. Literam vero A pro ἀπὸ, ut hic affirmat CORSINUS, in Marmore legi de eo velim, videas, in ipso *Notarum libro pag.* 1. ubi illud A. quod *vs.* 3. semel tantum occurrit, ubi Lapis initio mutilus est, recte censet, non Siglam esse, sed alterius vocis praecedentis literam extremam: E autem pro εἰς, itidem semel tantum obvium, *pag.* 212. *vs.* 53. apud GRUTERUM, at in editione CASTELLI integre ΕΙΣ exaratum legitur.

De Geminationis et quasi Geminationis arcano mira et magnifica loquitur cl. GUIL. BESTIUS in *Rat. emendandi Leges cap.* 1. §. 4.

ra-

ratus facillimam tutiſſimamque corrigendi rationem in hoc mysterio poſitam, ejusque rei plura *pag.* 18. *ſqq.* in medium profert exempla: ſexcenta et amplius veterum ſcriptorum loca hujur ope auxilioque regulae ab Interpretibus ſunt tentata, quorum haud pauca tamen ſunt numero, in quibus plus nimis ſibi indulſerunt: verum haec ſuo loco relinquamus, non nihil obiter noſtro more et modulo circa rem ipſam notaturi. Supra *Cap.* I. §. 2. *pag.* 7. mentionem injeci de veteri quadam Orthographiae Lapidariae ratione, qua nomen, interdum eodem vel ſequenti verſu iterum recurrens, moris fuiſſe obſervavi poſteriori loco praetermittere, ita ut lacuna tamen (in qua interdum transverſa linea perducta cernitur) ejus vocabuli capax relinqueretur: cum qua exarandi Lapides methodo vetuſta poſſet quodam modo comparari ratio illa ſcribendi per geminationem, qua una pluresve ſyllabae (non literae ſingulares) integra etiam vocabula, ubi bis continuo eadem concurrebant, ſemel tantum ſolebant exarari; niſi quod iſthaec Orthographia in ſcriptis ſolum codicibus, non ita aliis monumentis, uſitata videatur, in eoque etiam a priori ratione recedat, quod nihil ſpatii relinquatur vacuum, aut ſignum, vel indicium aliquod exſtet, unde cognoscas, Librarium voluiſſe, ut ſyllabae vel vox praecedens proxime per geminationem iteretur: falluntur enim, qui putant, in ejusmodi geminatione, monendi cauſa, librorum deſcriptores majuſcula characterum forma uſos; contrarium diu docuit BESTIUS *Lib. cit. pag.* 17. Nondum etiam mihi conſtat ſatis de tempore, quo haec Orthographia primum introducta: tum neſcio, utrum illa communis aliorum Librariorum, an vero propria tantum modo habenda ſit praeſtantiſſimi codicis Piſani, non etiam aliorum exemplarium juris Juſtinianei; quod mihi, attendenti Romanorum Graecorumque Palaeographiam multo viſum fuit veriſimillimum: nam quod ubique et omnibus in libris cujusvis aetatis obtinet, ut literula, ſyllaba, imo integra vox interdum abſorpta ſit, ob eandem vel ſimilem literam, ſyllabam, vel vocem proximam, id equidem non geminationi, ſed culpae vitio, et errori Librariorum adſcripſerim; quo referes mecum cuncta fere quaſi geminationis exempla, quae tum cl. BESTIUS *loc. cit.* §. 5. *pag.* 22. *ſqq.* tum alii docti memorant paſſim: haud cre-

credo etiam ex arte, seu arcano mavis, geminatis profluxisse, sed ex usu potius loquendi, cui scriptura se accommodare solet, quod nomina secundae flexionis in *um* vel *us* purum, ut Grammatici vocant, desinentia, gignendi casum forment per *i* simplex pro *ii*, unde *peculi*, *domini*, *mancipi*, *Juli*, *Corneli* et alia ejusdem formulae sexcenta, qualia cl. CANNEGIETER de *Siglis*, *pag.* 300. geminationis exempla profert, recte in *codicibus* non tantum, sed *Lapidibus* etiam *Nummis*que vetustis exarata hoc modo invenimus, id dico factum ex ipsa pronunciatione, neque propterea necessarium, vt multi putant, praeceptis imbuti magis Grammaticorum, quam vera veteris linguae cognitione, ut illud *i*, tanquam pro *ii* positum, charactere altero tanto majori pingatur, et ita moris fuisse Lapicidis vetustioribus; vid. quae de hoc argumento dicturi sumus posthac, ubi ex professo *Orthographica Marmoris Capitolini* illustrabimus, hic divertere non licet longius, sed pede presso pergendum. Sic pariter ad eandem pronunciationis normam, non ad geminationis mysterium, quo refert BESTIUS *pag.* 21. pertinere censeo, quod infinitis in locis praesens tempus indicativi in tertia persona positum reperiatur pro tertia praeteriti perfecti, idque, ne erres, V. D. monet, obtinere praecique in quarta conjugatione: nondum caute satis, nam nisi perfecti terminatio sit *ivi*, unde per syncopen litera *v.* eleganter tollit usus loquendi, nunquam obtinebit locum; caeterum ubi perfectum tempus non in quarta tantum, sed etiam in tertia conjugatione exit in *ivi*, unde *ii*, nihil hac contractione, ut ego *geminationis* loco dicere malim, frequentius obvium. Imo etiam de vero, ut jactant, geminationis arcano addubitare quis posset, arti et usitatae aliquando temporis orthographiae, an vero potius temeritati atque erroribus Librariorum sit tribuendum? certam ac vulgo receptam fuisse orthographiam, si statuas, oportet ejus exempla in codicibus scriptis non semel atque iterum, sed frequentissime occurrant, cum certe Librarii, genus hominum fugitans plerumque laboris et diligentiae, hoc otio aut compendio usi fuisse videantur, gnavi autem et impigri ornatus etiam vel artis caussa saepius adhibuissent. Igitur, si qua obtinuerit scribendi per geminationem ratio, eam fuisse pro-

 pri-

priam dicemus unius voluminis Amalphitani, licet ibi quoque haud pauca, ſi non omnia, quae velut geminationis exempla inde depromunt V V. D D. vitio ſcriptoris, ornate ſatis et pulcre literas pingere gnari, caetera forſan rudis atque imperiti, adtribui poſſe, non levis ſuſpicio ſit nobis: id ut credam, inclinat animus his potiſſimum duabus de cauſſis: primo quod alibi hujus Orthogaphiae certa ſatis aut frequentia non compareant nobis veſtigia; ſecundo, quod in ipſo codice Florentino, tantis ob elegantiam et ἀκρίβειαν laudibus celebrato, non ubique, ſed hic illic duntaxat obtineant locum, neque usquam ſignum addatur vel indicium, (ut fieri oportuiſſet, vel majuſculo literarum charactere, vel interjecta linea, vel quo alio modo, ſi ex arte vel de induſtria ita eſſet exaratum) unde colligas, utrum priores ſyllabas vel proximam vocem geminando repeti voluerit Librarius, nec ne. Quare, ut dicam, quod ſentio, potius incuriae, quam arti, et ἀβλεψίᾳ magis, quam ἀκριβείᾳ tribuendas cenſeo ejusmodi exemplaris Piſani geminationes. Cum enim in illo libro cuncta prorſus ita exarata ſint, ut nulla ferme appareant verborum periodorumve ſigna diſtinctionis, ſed omnia ordine confuſo et quaſi conglutinata cohaereant. ut doctiſſ. Laelius Taurellus in *Praef.* editionis *Pandectar. Florentinar.* Augustinus *Lib.* I *Emend. c.* 4. et *ult.* monuerunt, tum etiam ex ſpecimine orthographico, quod excellentiſſ. Mabillonius eximio operi de *re Diplomatica* accurate depictum inſeruit, conſtat, inde, dico, ex ea ſcripturae cohaerentia fieri facile potuit, ut Librarius plus ſaepius hac parte erraverit, ſeu oculi, ſeu calami vitio, dum vel ſemel legit, quae bis exarata in codice, quem ob oculos haberet, exſtabant, vel ſimplici vice ſcripſit, quae iterato eſſent ſcribenda. Accedit, quod inter geminationis hujuſcemodi exempla reperiantur etiam, quae ego potius uſitato ſcripturae compendio tribuerim, uti in *l.* 37. *D. de Legg.*

Ad pag. 72. Veteres Scholiastae Acron et Porphyrion, ut vulgo nominantur, ac tertius ſimilis, ejusdemque farinae, Cruquianus Anonymus. Horum ſcholiaſtarum nomen ubi audiverimus, ſoliti in his rebus antiquitatem ipſam revereri, temere aliquando et creduli, plus fidei adjungimus, quam par eſt: quare hic locus opportune me admonet, ut obiter et paucis verbis exponam, quid autoritatis his ejusce-

ceque modi Grammaticis ſit tribuendum. De nominibus, quibus inſigniti circumferuntur illi Commentatores, res admodum eſt incerta, de eorumque aetate, qua vixerint, nihil magis conſtat. conf. FABRICIUS *Bibl. Lat. pag.* 237. et quos *ibid.* in *notis* citat. Vtriusque Scholiaſtae Commentaria, ſi non auctores mentiri, miſere ſaltem truncata atque interpolata ad nos perveniſſe cenſes. Cf. ibid. laudati *Joh. Parrhaſius Epiſt.* V. *in Fac. Grut.* Tom. I. p. 735. et *Reineſius*, *Var. Lect.* p. 107. aetatem vero exacte definiri poſſe negat. SERVIO recentiores eſſe dixeris, cum ſaepius in horum *ſcholiis* ejus *Commentarii ad Virgilium* memorantur. OCTAVIUS autem FERRARIUS in *Libr. de Orig. Rom. Theſauro Graevii* inſerto *Tom. I. pag.* 25. notat, ACRONEM multo ante PRISCIANUM et CHARISIUM vixiſſe: at vero nihil profert, unde iſta quodam modo probetur opinio. Equidem cuncta, quae tum de nominibus, tum de aetate horum Commentariorum divinantur, in incertis reponenda arbitror, idemque illis, quod caeteris fere omnibus Graecis pariter ac Latinis Scholiaſtis et Gloſſatoribus, ut vocant; exiſtimo accidiſſe, ut purpurae, quae hic illic ſplendet boni Interpretis, paſſim vilis pannus ſit intertextus ineptorum hominum. Nempe ſcholia illa, quae HORATIO ſubjecta nunc conſpicimus, non eſſe re vera ab illis Auctoribus profecta, quorum nomina praeponuntur, arbitror, ſed Librarios, credo, cum Horatianos codices deſcriberent, non veterum tantummodo Grammaticorum bonae frugis obſervationes, ſed paſſim ſua quoque et aliorum interpretamenta, allevisse: cumque ita ſatis magna congeries undique collecta conſutaque jam eſſet, ſplendida impoſuiſſe nomina Auctorum, quo facilius codices illi pretioſos pluresque emtores invenirent: hinc, quae in uno codice ACRONI tribuuntur, eadem verbo tenus repetita in alio codice PORPHYRIONI adſcripta videas, et alii codices aliis multo locupletiora habent ſcholia; ſaepe etiam ex pluribus, diverſa ſentientibus, conflata ſunt, ut conſtitit mihi, quondam cum editis conferenti Scholiaſten ineditum codicis membranacei Horatiani bonae notae in Bibliotheca publica *Friſiaca*, qui codex tum marginalia, tum etiam interlinearia ſcholia habet, in quibus, quaecumque ad interpretandum HORATIUM aliunde congeri potuerunt, cumulatim ſunt relata: ita, ut unum ex

multis proferam exemplum ad *Lib.* 1. *Satyr. VI. vs.* 117. haec leguntur: *Echinus vas in modum echini marini: alii lignum cum viciis (l. uncinis) in quo suspenduntur calices: alii dicunt vas, ubi lavantur calices: alii dicunt ampullam vitream. Aliter echinum dixit vas aeneum, in quo calices lavantur, quomodo triscele (trisillae habet* ACRON) *appellamus.* Facile animadvertimus, Librarium variorum Glossatorum interpretamenta ad hunc locum cöegisse. Vix tempero me, quin alterum ex scholiaste Cruquiano adponam locum, ubi is duorum Interpretum scholia describens ipse hallucinatus aliis quoque errandi viam aperuit: ad *Lib.* 11. *Satyr. II. vs.* 49. haec *Acronis* habentur: *Asellius quidam Praetor fuit, qui usum comedendarum ciconiarum primus invenit. alii Sempronium Praetorem volunt* etc. PORPHYRION, *Rufum* appellat *Praetorium*; caeterum illic eximium veteris Poëtae nobis servans epigramma, quod docte illustratum *Anthologiae* suae *Latinae Lib.* 11. *pag.* 305. inseruit celeberrimus P. BURMANNUS SECUNDUS, cujus amicitiam viri, semper cum honoris praefamine a me nominandi, impense mihi gratulor, et merita de me studiisque meis nunquam non gratus agnoscam et recordabor: utrumque illud ACRONIS scholion describens *Cruquianus* Anonymus, hunc eundem *Rufum Praetorium* vocat *Asinium Sempronium Rufum.* Inter vetustiores scilicet Interpretes haud probe constabat, Rufus *Asellius* (vel *Asinius* potius) ab Horatio notaretur, an vero Sempronius; ex qua antiquiorum discrepantia inficetus ille codicis *Cruquiani* scriba, id quod saepius alibi factum, ex duobus diversorum hominum propriis nominibus unum conflavit nobis *Asinium Sempronium*, in uno homine duo gentilicia nomina cumulans, quod nescio, an unquam factum, quum re vera et secundum rei naturam singulis hominibus singula tantum gentilicia nomina tribui possunt, certe libera re publica et Augusti Imperatoris temporibus non obtinuisse crediderim: quae summus WESSELINGIUS *Lib.* II. *Obs. c.* 21. alliique hanc in rem produxere exempla, posterioris longe sunt aetatis, quando turbata jam ac longe diversa nominum ratio in usu erat, et plura saepe cumulabantur in uno homine nomina in *ius* terminationem gentiliciorum desinentia, quorum vero simile tamen est unum gentilicium dun-

duntaxat, caetera praenominis aut cognominis fuisse loco. Quod *supra cap.* 1. *pag.* 17. de *Lexico* TIMAEI *Platonico* notavi, idem fere in omnibus, si unum excipias ASCONIUM, id generis libellis et Grammaticorum Commentariis habet locum, ut veterum Glossae et scholia passim aliorum Glossematibus ineptis amplificata non magis, quam misere interpolata sint: conf. quae in *notis ad Aristophanis Plutum* plura notavit HEMSTERHUSIUS exempla scholiorum ex duobus pluribusque codicibus confuse descriptorum.

Idem forte dicendum de scholio ad *Iuvenalis Sat.* IV. 77. ubi notatis de *Pegaso*, in fine additur: *hinc est Pegasianum scilicet ius quod juris peritus fuerat*, quae pro glossemate posterioris scioli interpretis vel librarii potius, quam veteris Scholiastae verbis videntur habenda. Ex eademque causa factum in *Festo*, qui suas verborum significationes ex *Verrio*, & aliorum Commentariis collegit, ut sibi ipse aliquando adversetur, ut in voce *Regifugium* collata cum notis Q. R. C. F. qua de re suo loco diximus. Denique adeo commune hoc fuit vitium, aliorum libris addere aliquid et interponere, ut in *Pandectis* etiam haud pauca ab juris Justinianei Architectis eodem prorsus modo interpolata cernas, ac saepe juris consultis vetustioribus tamquam propria adscribi responsa, quae ab aliis profecta sunt, eorumque sententiis & opinionibus adiecta id quod aliquando speciem Antinominae non potuit non inferre. Atque his hactenus ὡς ἐν παρόδῳ disputatis, ad Horatii locum vedeo. — —

Ad p. 73. post verba: *examinanda mihi non sumo* eoque refert etiam celeberr. Hermann. CANNEGIETERUS incerti Auctoris Epigramma, insertum *Anthologiae Burmannianae Lib.* II. *Epigr.* XIX. *Tom.* I. *p.* 198. ubi. *vs.* 4.

Tullius inventis fascibus arma ciet.

vid. *Mantissa Adnotation. ad Tom.* I. adjecta *Tom.* II. *Antholog. pag.* 715. observante viro cl. *Tullius* in hoc versu vocatur, qui aliis *Tullus*, et hinc WITHOFIUM in HORATII *versu Lib.* IV. *Od.* 7. *vs.* 15. *quo Tullus dives et Ancus* emendare: *quo Tullius ivit et Ancus.*

In Epigrammate citato pro *Tullius inventis* non dubito, quin legen-

gendum ſit *Tullus et*, vel *Tullus at*, *inventis;* nomina enim duorum Regum, in brevi praeſertim epigrammate, *Tullus* et *Tullius*, de quo mox *Tullius invenit Cenſum*, non ſunt confundenda: dormitat ſcholiaſtes ACRON, ad Horat. *Lib.* I. *Satyr. 6. vs. 9.*

Ante poteſtatem Tulli atque ignobile regnum:

notans, *Tullum* fuiſſe *Tarquinii Priſci Lucumonis ſervum, de quo Virgilius:*

Otia qui rumpet patriae reſidesque movebit
Tullus in arma viros:

Tullum Hoſtilium cum *Servio Tullio* manifeſto errore confundens. Nihil etiam cauſſae fuit WITHOFIO, quare Horatianum illud

Quo pius Aeneas, quo TULLUS DIVES *et Ancus*

emendaret confidenter: *quo* TULLIUS IVIT *et Ancus:* cujus loco ante BENTLEJUS conjecerat: *quo Tullius*, PAUPER *et Ancus*, quod nihil magis placere poteſt. CLAUDIANVS quidem de *Bello Gildon. vs.* 109. *Ancum* regem *pauperem* dicit:

— — — — *utinam remeare liceret*
Ad veteres fines et moenia pauperis Anci.

verum ille locus nihil proderit, ubi attendas, reſpectu habito ad illa tempora Imperatorum, recte Ancum vocari poſſe *pauperem*, licet, qua ipſe vixit, aetate fuerit *dives.* Commode LIVIUS *Lib.* I. *cap.* 31. §. I. teſtatur ſub Tullo Hoſtilio in magna gloria *magnisque opibus* regnum ac rem Romanam fuiſſe; quo forte reſpiciens HORATIUS Tullum dixit *divitem*, uti eundem Tullum a divitiis quoque laudat, et cum *Anco* pariter jungit JUVENALIS *Satyr.* V. *vs.* 57.

— — — — *pretio majore paratus*,
Quam fuit et Tulli cenſus pugnacis et Anci.

Caeterum Epigrammatis *Anthologiae* Auctor, quod *inventis Faſcibus*, di-

dicit non mihi videtur eo ſignifi-care voluiſſe, ab Tullo Hoſtilio fasces Romæ primum inſtitutos, ſed *inuentis faſcibus* exponendum arbitror, imperio potitus, cum *fasces* et *imperium obtinuiſſet*; ita *nomen*, *famam*, *Magiſtratus ſibi invenire*, et alia ejusmodi, ſatis nota ſunt: cum enim ſingulis Regibus ſuum cuique proprium ac praecipuum adſcribit, Tullo Hoſtilio tribuit, quod imperio potitus *bella cieret*; conf. VIRGILIUS *loc. ſupr. cit. Aen. Lib.* VI. *vs.* 813. *ſqq.* Neque morari quemquam debet, inter principales vrbis viros *Tarquinium Superbum* ab *Horatio* memorari, nulla laude dignum: non enim, quem inter laudatos homines relatum videmus, eum mox continuo laude dignum virum cenſere propterea debemus. Verum quod alibi ſaepe, idem hic etiam obtinet, ut bonorum et malorum comparatione inſtituta eleganti ἀλλοίωσει, ex vituperio Tarquinii ſuperbi, eiusque tyrannidis, tanto magis gloria *Junii Bruti*, & libertatis dulcedo tacite eluceſcat.

Ad. p. 74. poſt: *pro patria conſciverit.* Denique et coniecturam nouae lectionis adſtruit loco *Auſonii*, *Prof.* N. VIII. ubi horum *Horatii* verſuum Parodiam faciens ita canit:

> *Romulum poſt hos, prius, an Corinthi,*
> *Anne Sperchei, pariterque nati*
> *Atticas Muſas memorem Meneſthei*
> *Grammaticorum?*

Ad. p. 75. poſt verba: praeclare periiſſe vid. CICERO *Lib.* IX. *Epiſt.* XVIII. *ad Fam.* Doctiſſ TORRENTIUS animadvertit, nihil verendum hic fuiſſe HORATIO, ut laude Catonis Augustum offenderet, cum Catonis mors ſine Caeſaris, qui eum omnibus modis ſalvum eſſe voluerit, ſumma clementiae gloria referri non poſſet. Quin, licet ſtatuas etiam, ut ego veriſſimum reor, Catonis memoriam laudemque cum aliquo odio Caeſaris clanculum coniunctam fuiſſe, nondum tamen video, nec videbit quisquam, modo tempora probe perſpecta habeat, inde offenſae aliquid ad Augustum potuiſſe pervenire. Scripta enim haec ode fuit anno circiter DCCXXX. v. *Maſſon. vita Horatii* p. 226. quo tempore, confirmato iam in uno principe imperio, odia & partium in re publica ſtudia paulatim ceſſerant. Quod dixi, HORATIUM non

ſine

ſine aliquo odio Caeſaris laudabilem Catonis mentionem feciſſe videri, haud dubito, fore pleroſque, qui mecum conſentiant, ubi meminerint, Horatium Bruti caſtra ſequutum, et Tribunum praefuiſſe legioni Romanae; deinde etiam, cum in notitiam perveniſſet Maecenatis, ejusque familiaritate ipſi Auguſto commendatus eſſet, nunquam deſtitisſe tamen Ponipejanis ſuis et rei publicae partibus favere; contra vero Iulium Caeſarem, cujus celebrandi ſaepius affuiſſet occaſio, nusquam laudat, aut ejus adverſam rei publicae factionem extollit, quin rariſſime admodum ejus mentionem facit, vid. quae *infra* dicam de *Julio ſidere:* Quod vero ad ipſum Auguſtum; is Caeſare interfecto Romam ubi venit, *patiens vocari Caeſaris ultor*, nihil convenientius ſibi ratus eſt, quam avunculi necem vindicare, ejusque tueri acta: ſed adverſante conatibus ſuis Antonio, mox contulit ſe ad optimates, D. Bruto opem tulit: dein cum Antonio et Lepido ſocietatem iniit quidem contra rem pubicam, ſed ut, fractis Pompeji viribus, tanto facilius utrumque conſortem Triumvirum ſuperaret. Caeterum, poſtquam cum Antonio ſocietatem abrupit, reipublicae ſemper partibus favit, Caeſarianis, qui ſupererant, Antonii caſtra ſequentibus. Atque adeo hinc factum, ut expectoratis priſtinis inimicitiis, et Auguſtus ab Optimatibus maxime ornatus evectusque ſumma rerum potitus ſit, et ipſe eos, qui adverſarum Caeſari partium olim fuerant, nunquam beneficiis ſibi devincire deſtiterit: L. Seſtium anno V. C. DCCXXX. ſibi in Conſulatu ſubrogavit, quamvis Bruti ſemper partibus faviſſet, omnibusque ei in bellis adfuiſſet, ejusque memoriam adhuc coleret et imagines haberet: neque tamen Auguſtus non tantum non aegre tulit hanc erga Brutum Seſtii obſervantiam, ſed laudavit etiam, vid. Dion Cass. *Lib.* LIII. *ſub. fin.* imo, quod huic disquiſitioni noſtrae maxime opportunum, Imperator Auguſtus ne ferre quidem potuit, male de Catone exiſtimari.

Ad eamdem pag. Poſt verba *civem & virum bonum eſſe* quae verba Auguſti, Manibus Catonianis admodum honorifica, nollem Bentlejus, prava ductus ſuſpicione, ceu in odium Catonis dicta, torſiſſet, ac veluti non ex animi ſententia ab Imperatore prolata acciperet. Nihil igitur, ut ex ſupra disputatis conſtat, timendum fu-

ſuit HORATIO, ne non laude Catonis Imperatorem Auguſtum offenderet.

Ad. pag. 76. poſt verba: *principatui fauerent* || Porro autem, quod ex AUSONIO ſuis emendationibus petunt VV. DD. praeſidium, colliguntque, eum ſuo adhuc aevo in hoc HORATII *verſu* legiſſe *anne*, id quidem, ſi verum amamus, admodum infirmo tibicine innititur: nam et metri lege coactus Horatianum *an* dici poteſt in *anne* mutaſſe, tum etiam longe alio repoſuit loco, initio ſcilicet verſiculi ſecundi, cum apud HORATIUM in medio verſu tertio occurrat: contra meliori jure contendere mihi liceret, AUSONIUM hoc verſu legisſe *an*, ſiquidem verſu primo *an Corinthi* eodem prorſus ſitu habetur, quo apud HORATIUM *an Catonis*. Quin credidi aliquando, quo magis Auſoniana haec Parodia Tetraſtropho Horatiano responderet, ita forte ſcripſiſſe Poëtam:

> *Romulum poſt hos, dubito, an Corinthi,*
> *Anne Sperchei, pariterque nati*
> *Atticas Muſas memorem, an Meneſthei*
> *Grammaticorum?*

hoc ordine et ſenſu: dubito, an poſt alios Profeſſores, ſupra relatos, memorem prius Romulum, an & muſas Atticas Grammaticorum, anne Sperchei, pariter nati, ſeu aequalis, an denique Meneſthei. Verbum dubito, cui certe in hac Parodia magis requirebatur locus, quam particulae *prius*, caſu forte videri poteſt excidiſſe, in ejusque locum vacuum ex HORATIO ſubſtitutum τὸ *prius*: verſu autem tertio ſyllaba finalis *em* vocis *memorem* facile abſorpſit ſequens *an*, idque tanto magis ob ſynaloepham. Cum vero & vulgata lectio hic commode ſatis explicari poſſit, haec pro levioris tantum momenti conjectura haberi volo.

Difficultates jam ſuperavimus; reſtat, ut verborum ſenſum cum maxime exponam, quo in primis pertinet, ut, qualis haec *Ode* ſit, intelligamus. Notat vetus Scholiaſtes: *in hac Ode velut propoſitio eſt cuiusdam incerti carminis: nam dubitat, quid primum, vel quid po-*

tissimum dicat, utrum Deorum coelestium laudes, an Romanorum & fortium Ducum, omnes tamen laudat, cum se fingit ancipitem per oratoriam παρέλκειν *verum majori intentione in Augusti laudes contendit, quem secundum a Jove vult esse in terris.* Nempe in hac *Ode* velut argumentum aliquod *Carminis* proponit HORATIUS, quod in Augusti laudes ejusque domus sacratissimae sibi sumat decantandum, idque in exordio significat his verbis, ex PINDARO mutuatis:

> *Quem virum aut Heroa Lyra vel acri*
> *Tibia sumis celebrare, Clio,*
> *Quem Deum?*

ubi quamuis quidam codices, etiam *Franeqveranus* bonae notae vs. 2. *sumes* legant, tamen *sumis celebrare* vi ac notatione temporis Futuri cum BENTLEJO explicandum omnino est pro *celebrabis:* unde & in sequentibus usque ad *vs.* 45. exponens Poëta, de quibus *Carmine* illo dicturus esset, ubique Futuro tempore loquitur; *vs.* 13. *quid prius dicam: vs.* 21. *neque te silebo, Liber: vs.* 25. *dicam & Alciden: vs.* 34. *memorem: vs.* 34. *referam:* quae eadem ratio me mouet, ut *vs.* 19. *proximos illi tamen* OCCUPABIT legendum potius existimem, quam *occupavit*, ut dudum ante me viderunt jam alii, optime de Horatio meriti interpretes, PUTEANUS, HEINSIUS aliique, ut mirer WADDELIUM in *Animadvers. Crit. pag.* 42. velut novam, ex suaque profectam officina, hanc nobis conjecturam venditare. Veram tamen hujus emendationis rationem non perspexerunt hactenus VV. DD. frustra enim curiose inquirunt alii, qui Pallas Jovi proxima dicatur, atque adeo Neptuno ac Junoni praelata? ac propterea existimant, *occupabit* potius legendum, ne videatur Poëta modestiae limites transgresfus, dum indicet tantum, quo ordine ipse Deos in suo *Carmine* esset celebraturus: Alii, BAXTERUS & GESNERUS, vulgatae lectioni inhaerentes proximos Jovem Palladi honores tributos, putant, ob usum fulminis atque aegidis, quibus reliqui coelestes non armantur: pulcra quidem est observatio BENTLEJI, existimantis, hunc versum cum superioribus connectendum hunc depromere sensum: VNDE, *a quo Jove*, nihil ipso

ipſo majus generatur, imo ne ſimile quidem vel ſecundum, inter omnes tamen ejus liberos *Minerva* maximos honores conſecuta eſt, atque adeo, non cum *Junone*, vel *Neptuno* comparari *Minervam*, ſed cum ſobole Jovis tantum fratribus ſuis ſororibusque, quo etiam referendum, quod nemo alius Deorum in ſequentibus ab Horatio memoretur, praeter Jove genitos. Admodum, fateor, pulcra & ſpecioſa eſt haec magni Critici obſervatio, me tamen nondum permovet, uti ab emendata lectione *occupabit*, (quamvis etiam nulli codices conſentiant, quorum vix auctoritatem in hujuscemodi correctionibus deſidero) decedam: fateor, qui referuntur, *Bacchum*, *Dianam*, *Phoebum*, *Herculem*, *Pollucem* & *Caſtorem* omnes ſummi Jovis eſſe prolem; at quis numinis alicujus Deus, niſi ex illo patre? cur vero *Martem*, *Venerem*, aliosque, eodem Jove prognatos praetermiſit & minorum potius gentium Deos *Herculem*, *Pollucem*, & *Caſtorem* celebrat, ut, *Pallas* caeteris dignitate praeferatur? accedit, quod minus apte Horatius proximum Jovi gradum *Minervae* tributurus fuiſſet in *Carmine*, quo ipſe id unum agit, ut Auguſtum, caeteris omnibus, cum quibuscumque Diis, Heroibus & viris praeclaris comparetur, praeferendum, ab Jove ſecundum ponat. Argumentum quippe carminis eiusmodi proponit *Horatius*, ubi cuncta tendant in laudem Auguſti Caeſari, cuicunque viro, Heroi, aut Deo comparandi, ita, ut ſibi ipſe velut praeſcribens, quibus de diis heroibusque & ducibus Romani imperii fortiſſimis eſſet dicturus, tandem horum omnium & Auguſti comparatione inſtituta, concludat, illum, reliquis cunctis maiorem, ſecundum ab Joue regnare, & tamquam *Julium ſidus* (id enim commode ſatis ad ipſum Auguſtum referri poſſe videtur,) hos inter omnes Deos, heroas, virosque fortes, uti *Luna ſtellas inter minores*, emicare. Hoc ſi recte ſe habent, *Horatiani* carminis, ſeu hymni (qui inde poſt bellum Actiacum decreto ſenatus, perinde ac Diis immortalibus, Auguſto canebatur,) propoſitum argumentum eſt: Is tenor eiusdem carminis futurus fuiſſet, ut primo referret loco Deos, Heroasque, quibuscum Imperatorem comparaturus ſit. tum deinde ut verſu 33. ſequ. praeſcribit, egregios Romanorum duces memoraturus. Itaque, cum dicit, proximos Jovi honores *Minervam* occupaturam, expono de honore or-

ordinis, ceu dicat: in Hymno, quem in Augusti laudem decantandum mihi sumo, & in quo Caesarem, praesentem conspicuumque in terris Deum cum diis Heroibusque & Principibus Romanorum viris comparare instituam, primo referam Jovem, deinde proximum illi locum *Minervae* assignabo, atque ita ordine de aliis dicturus *Baccho*, *Diana*, *Apolline* caeterisque; tum referam quoque Heroas, Herculem, Castores; ac denique eundem in finem eximios Romanorum Duces eodem illo *Carmine* celebraturus, dubitare se scribit, quem memoret potissimum prius, Romulum, urbis conditorum, ut cum eo Augustum conferat, pro altero civitatis Romanae conditore habitum? unde & quidam senatores, teste SUETONIO in *vit. c.* 7. quasi & ipsum conditorem Romae, cognomine *Romuli* appellandum censuerunt, an cum Numa Pompilio? respiciens ad imperium utriusque placidum & quietum, cum & Augusti aetate pariter, uti regnante Numa, Jani portae fuerint clausae: an vero exponat, quo modo post superbos Tarquinii fasces, ab Junio Bruto receptos, Consulari imperio, optimisque & saluberrimis legibus libertas stabilita & fundata sit? an denique referat *nobile Catonis letum?* quo tandem, cunctis jam terrarum subactis eadem libertas pessundata est a Julio Caesare & respublica civilibus inde bellis misere dilacerata, donec jam hoc tempore ab Imperatore Augusto, cunctis belli vulneribus rursum curatis, forma regiminis, mutata quamvis, in meliorem esset ordinem restituta & instaurata.

Tria praeprimis videmus temporum momenta HORATIO oculis obversari; primum Urbis ac regni Romani, per *Romulum Numamque Pompilium* conditi, originem respicit; alterum ejusdem imperii interitum ac simul libertatis primordia complectitur: tertium postremo rei publicae continet occasum morte *Catonis Vticensis* laudabili, qui nempe postquam animo atroci vnus maxime omnium libertatem defendisset, occupato per Julium Caesarem imperio nobili leto gloriosius perire, quam vitam tyranno obnoxiam & turpem senectam degere, ipsa morte sibi acerbiorem. Unde simul colligas, nihil adeo contra Chronologiam, ut putabant VV. DD. peccatum esse, dum Catonis mentio fit ante *Regulum*, *Scauros*, *Paullum* caeterosque, aetate licet multo priores *Catone*; nam eximie, si ita capiamus, HORATIUS

vs.

vs. 33. *sqq.* uno Tetrasticho praemittit summarium aliquod Carminis sui praecipuum, cui deinde subjungit, se occasione ejus Catonis, velut per digressionem, obiter quoque dicturum de *Regulo*, *Scauris*, aliisque, quibus pariter, ut *Catoni*, dulce fuerit ac decorum pro patria mori.

Regulum & Scauros animaeque magnae
Prodigum Paullum, superante Poeno,
Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque:
Hunc & incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit & Camillum
Saeva paupertas & avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto velut arbor aevo,
Fama Marcelli. Micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Dum in hac *Ode* Horatii illustranda versor, dum Poëtam ab iniqua veterum ac recentiorum interpretum crisi liberare studeo, ecce perquam commode in manus mihi venit Manilii quidam locus, cum hoc nostro non unam ob caussam comparandus, et dignus, cui etiam curae aliquid impendamus. *Lib. I. Astronom. vs.* 753. *sqq.* in caussam Circuli Lactei inquirens, duo ponit εἴδη, nempe

Anne magis densa stellarum turba corona
Contexit flammas, & crasso lumine candet,
Et fulgore nitet collato clarior orbis?
An fortes animae dignataque NOMINA *coelo*
Corporibus resoluta suis, terraque remissa,
Huc migrant ex orbe?

Quod *vs.* 756. dicit; *dignataque* NOMINA *coelo* miror non intellec-

 tum

tum a Bentleio sollicitari, ob sequentia *corporibus resoluta suis* rogante, an *nomina* etiam *corporibus* vestiantur? quare reponit *dignataque* Nvmina *coelo*, ut pro varia lectione habetur in codice *Lipsiensi*: permutari sexcenties in libris scriptis *numina* & *nomina* novimus omnes; at nescio tamen, an apte satis hic loci *numina* legamus? tum quod numina cum sint incorporea & corpus assumunt, vid. Servius ad *Aen. Lib. II. vs.* 632. & VII. *vs.* 498. minus recte Suis *corporibus resoluta* dici queant, tum etiam, quod numina ipsa non dignentur coelo, sed illud habeant velut possessionem propriam; verum animae potius fortes & homines, qui in terris Deorum vestigia tangunt, ut *vs.* 802. scribit: quare *nomina* corporibus suis resoluta et coelo dignata intelligit homines, qui, dum in vita pietate ac justitia clari exstiterunt, hac via in coelum adscenderent in coetum eorum, qui, corpore laxati, incolunt orbem Lacteum: conf. Cicero *Somn. Scipion. pag.* 604. *edit. Graev.*

Deinde a *vs.* 760. — 775. plures ex Antiquitate recenset Græcos aliosque, postquam vita excesserant, in Galaxia, siue orbe lacteo, ob merita sua, collocatos: tum ad Romanos transit, quorum maximam ait esse turbam, qui pariter eodem coeli honore dignati sint. *vs.* 775.

Romanique viri, quorum jam maxima turba est:
Tarquinioque minus Reges.

vs. 782. *sqq.*

Et Jove qui meruit coelum Romamque Camillus
Servando posuit: Brutusque a Rege receptae
Conditor:
Fabricius Curius pares & tertia palma
Marcellus.

vs. 793.

— — — — *& Claudi magna propago:*

vs. 745.

Et Cato fortunae victor: matrisque sub ulnis
Miles Agrippa suæ: Venerisque ab origine proles

Julia

Julia descendit coelo coelumque replevit;
Quod regit Augustus socio per signa Tonante.

Plura paullo ex Manilianis descripsi, tum ut *vs.* 785. genuinam lectionem contra BENTLEIVM vindicem, tum etiam, ut obiter ipsum locum, hic illic paucis illustratum, cum *Ode Horatiana*, quam forte MANILIUS, haec scribens, ob oculos habuit, conferam. *vs.* 776. *Tarquinioque minus Reges:* olim ex aliis libris vulgabatur: *Tarquiniique nimis Reges;* quod quodam videbatur modo exprimere Horatianum *superbos Tarquini fasces*, ut dixerit superbum Tarquinium *nimis-Regem* ὑφ' ἓν, quia imperio abusus sit, conf. SCALIGER ad *h. l.* at sensus omnino postulat, ut ex *cod. Gembl.* cum cl. GRONOVIO *Lib. II. Obs. c.* 1. *sub. fin.* corrigamus *Tarquinioque minus Reges*, id est omnes Reges, uno Tarquinio excepto, coelum meruisse: quem usum particulae *minus* elegantem, sed rariorem, ac propterea ignoratum Grammaticis, probe adseruit & illustravit *ibid.* vir cl.

Deinde *vs.* 785. sequitur *Fabricius* CURIUSQUE *pares*, quae consensu codicum unanimi, nisi quod alii *parens*, habeant, hactenus servata lectio genuina, ut puto, & sincera, a BENTLEIO etiam mutatur, dum reponit *Fabricius* CURIIQE *pares* & par fratrum Curiorum vult intelligi, quo modo *pares* OVIDIO dici putat *Metamorph. Lib. VIII. vs.* 308.

Actoridaeque pares & missus ab Elide Phyleus.

in primis vero, ut probet Curios fratres intelligi, provocat ad PROPERTIUM *Lib. III. Eleg.* 2. *vs.* 7. ubi de Ennio

Et cecinit CURIOS FRATRES & *Horatia* FACTA.

Facta citat vir cl. ἀντὶ τοῦ *pila*, credo memoria lapsus, quod apud MANILIUM *Lib. V. vs.* 107. legere meminisset:

Abreptumque patri Torquatum & Horatia facta;

ubi

ubi tamen in *Notis*, hunc etiam PROPERTII locum producens, recte citat *pila*,) Quod in MANILII loco tres praeferunt codices *parens*, forte quis defendat, ita ut Curium honoris causa dixerit parentem: ast τὸ *Curiique pares*, arbitrio BENTLEII in contextu etiam receptum, omnino ferendum non est: neque enim dixisse unquam veteres crediderim, *pares* plurali numero pro *fratrum pari*, sed pro iis, qui moribus, indole aut virtute aliqua sibi essent similes, vt exponit *Servius* ad *Virg. Ecl.* VII. 5. hoc versu:

Et cantare pares et respondere parati. Sic quoque *Propertius*, *III. El. VII.* 51.

Eductosque pares silvestri ex vbere Reges.

In versu autem OVIDII, quem adduxit vir cl. legendum est; *Actoridaeque parens*, ut recte quidam codices habent; non enim, quod scio, *Fratres Actoridae* alicubi memorantur, sed unus tantum celebratur *Patroclus Actorides*, ab avo *Actore* πατρωνυμικῶς appellatus: itaque *Actoridae parentem* intelligit Poëta *Menoetium*, uti mox *vs. sq.* pro *Peleo* dixit *creator Achillis*. Vt vulgo filii a suis parentibus describuntur, sic interdum & ipsos patres videas a filiis suis appellari, in primis quando illi majoribus praeluxerint, ut eorum celebritate nominis ipsi patres magis illustrentur, quo eximie pertinet CICERONIS locus de *Offic. Lib. III. Cap.* 16: *M. Cato*, *hujus nostri Catonis pater*, *ut enim caeteri ex patribus*, *sic hic*, *qui lumen illud progenuit*, *ex filio est nominandus:* huc refer etiam inscriptionem in *Corpore* GRUTERI *pag.* CCXXV. *n.* 7. ubi C. Octavius describitur PATER AUGUSTI: verum tamen, cum in publicis monumentis Lapidum ejusmodi denominatio non videatur obtinuisse, parum abest, quin eam inscriptionem, non simplici nomine suspectam, pro spuria rejiciendam arbitrer. — Quo vero minus etiam BENTLEJI conjectura de fratribus *Curiis* admittenda sit, quod nullus hujus *Curii Dentati* alter frater aut cognatus quispiam eadem nominis ac virtutum celebritate in *Annalibus* veterum nobis memoretur, ut pares fuisse Curios ejusdemque par-

participes laudis junctim referri queant. *Curios* quidem memorat JUVENALIS *Satyr.II. vs.* 3 in illo:

Qui CURIOS *ſimulant & Bacchanalia vivunt:*

ſed eodem ſenſu in eandemque plane ſententiam, qua dixit MARTIALIS *Lib. IX Epigr.* 28.

CURIOS, *Camillos*, *Quinctios*, *Numas*, *Ancos*,
Et quidquid usquam legimus pilosorum
Loqueris:

eleganter enim, non tantum Poëtæ, ſed & Oratores, atque in primis Cicero propria virorum nomina numero plurativo efferre amant, quando illos, velut exemplaria virtutum aut vitiorum vel ad imitandum, vel ad devitandum, nobis proponunt.

Quod vero ad PROPERTII locum attinet, quem eum potisſimum in finem videtur BENTLEJUS produxiſſe, ut *Curios fratres* eadem abſtinentiæ ac frugalitatis laude inſignes probet fuisſe, in eo, ne quid gravius dicam, miſere vir cl. hallucinatus eſt: cum enim de Ennio ſcribit:

Et cecinit CURIOS FRATRES *& Horatia pila*,

minime *Curios Dentatos*, ſed fratres intelligit *Curiatios*, ad pugnam reſpiciens trigeminorum fratrum Horatiorum & Curiationum, ab ENNIO *Lib. II. Annal.* deſcriptam, conf. *Fragmina Enniana pag.* 46. editionis, a doctiſſ. HESSELIO procuratae, ubi tamen HIER. COLUMNA (ejus enim tantum ſunt *Collectanea*, non HESSELII, ut putabat V. D. ad *Eutropii Breviar. Lib. I. c.* 1.) huncPROPERTII locum prætermiſit, valde quamvis appoſitum ei, ut probaret, ENNIUM ibi, non de *Horatio Coclite*, ſed de illo, qui, unus ex fratribus trigeminis ſuperſtes, tres Curiatios interfecerit, egisſe. *Curios* autem, quod maxime obſervandum duco, dixit PROPERTIUS pro *Curiatiis* Poëtica li-

centia, qui, ut metri legibus serviant, aliis interdum haud difficulter se solvunt, & pro suo arbitratu idem nomen modo productiori paullo terminatione efferunt, modo contractiori. In hanc rem, nondum adeo in vulgus forte notam, dum *hac Coronide* liberius huc illùc exspatiamur, juvat oblata occasione excurrere. *Lucumonem* (sive proprium illud viri, seu ut verius arbitror, dignitatis illud fuerit nomen) eum, qui in bello Sabino Romanis adfuit auxilio, PROPERTIUS *Lib. IV. Eleg. I. vs.* 29. syncope usus, appellat *Lucmonem*; deinde autem *eod. Lib. Eleg.* 2. *vs.* 52. eundem *Lucomedium* dicit. Nihil certius emendatione JOAN. GOROPII, pro *Lucumedio* legentis *Lucomonium*, conf. elegantissimus BROEKHUSIUS in *not. ad loc. cit.* qui, cum & in suo codice *Lucomodius* invenisset, a GOROPII lectione non omnino se abhorrere profitetur. Ac sane nulla Analogia sermonis Latini aut nominum ratio, apud Romanos usitata, patitur, ut nomen *Lucumo* producat *Lucomedius*, cum contra *Lucumonius* forma vere sit Patronymica, ἀπὸ τοῦ *Lucumon* vel *Lucumo* derivata: sic a *Pompo* est *Pomponius*, ab *Agamemnon*, *Agamemnonius*; a *Telamon*, *Telamonius*. Secundo observandum quoque Poëtam, cum pro *Lucumone* dicat *Lucumonium*, Patronymica forma usum fuisse loco nominis primitivi, quod Graecorum in primis sit more; ita *Laërtius* πατρωνυμικῶς Vlysses dicitur a patre *Laërte*, attamen & ipse pater *Laërtes* non raro Λαέρτιος appellatur, ut observat celeberr. HEMSTERHUSIUS *ad Aristoph. Plut. vs.* 312. neque Poëtis tantummodo hoc usitatum, sed Oratores quoque & Historici Patronymica ac primitiva nonnunquam promiscue usurpare solent, uti monuerunt SCALIGER in *Animadv. ad Euseb. pag.* 101. *Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. pag.* 325. WESSELINGUIS *ad Simson. Chronic. anno M.* 3548. adde cl. KOENIUS *ad Gregor. de Dialect. p.* 133. in serie Archontum Atheniensium hoc utroque modo promiscue nominatos offendimus, Καλλίας & Καλλιάδης, Φρασίκλης & Φρασικλείδης, Εὔβουλος & Εὐβουλίδης, Μνησίθεος & Μνησιθείδης, Εὔκλης & Εὐκλείδης aliosque forte plures: sic pariter Archon Olympiadis LXXIX. anno 4. qui aliis Ἀρχεδημίδης vulgo nominatur, a PAUSANIA in *Messenic. cap.* 24. Ἀρχέδημον nomine primitivo appellatum, arbitror: perperam enim illic, transpositis imprudenti Librariorum manu literis legitur ΑΡΧΙ-

ΜΗ-

ΜΗΔΟΥΣ, cujus loco miror, cl. CORSINUM, dum iſtum locum tractat in opere eximio, priſcae eruditionis copia refertiſſimo, de *Faſtis Atticorum Tom. III. pag.* 195. non animadvertiſſe corrigendum ΑΡΧΙΔΗΜΟΥ, ut *Archidemi* nomen primitivum poſitum ſit pro Patronymico *Archidemidis.* Non vana prorſus in hac re conjectura fortasſis videbitur, duplicem in ejuscemodi nominibus obtinuiſſe formam, ſi quando pater & filius, ut ſeapius accidit, eodem esſent nomine inſigniti, ut adeo Ἀλέξανδρος ὁ Ἀλεξάνδρου uno Patronymico nomine exprimeretur Ἀλεξανδρείδης, Εὔβουλος ὁ Εὐβούλου una voce Εὐβουλίδης paremque in caeteris omnibus, quos *ſupra* retuli, Archontum nominibus rationem habitam. Certius de hac conjectura nobis conſtaret, ſi patrum quoque nomina eorum Archontum, quos ita promiscue appellatos memoravimus, nobis comperta esſent ex vetuſtis Scriptoribus vel Monumentis lapideis: nemo horum omnium uno *Eucle*, vel *Euclide* excepto, de quo mox dicam, πατρόθεν nominatus deſcribitur in perpulcro etiam illo ſummae Antiquitatis Monumento, *Chronico Oxonienſi*, fere nusquam Archontes Athenienſium ex parentum ſuorum nominibus, more veterum ſolemni appellatos invenio: id quoque cur factum, neſcio, an hactenus viris doctis expeditum ſatis: quapropter, videamus, num quid hujus rei cauſſae conjectando asſequi posſimus? rationem in eo repoſitam, arbitror, quod, ſicut appellatio illa ex nomine paterno caeteris fortunæ inferioris hominibus claritudinem afferre ſolebat, Archontes tantae haberentur dignitatis, ut ex parentum nomine nihil ſibi acquirere lucis viderentur, per ſe ipſos & ſummo Magiſtratus faſtigio ſatis illuſtrata: ubi vero ex patrum nominibus filiis decoris aliquid aut celebritatis accedere posſit, in eodem *Chronico* conſtanter ex nomine parentum fit denominatio. Vnicum tantummodo in *Faſtis Atticis* opinioni noſtrae video adverſari argumentum, neque ita validum tamen, quin facile reſponderi poſſit: Olympiade LXXXVIII. *An.* $\frac{1}{7}$. *Euclides* memoratur; idem vero cum primitivo nomine *Eucles* aliis Scriptoribus plus ſimplici vice nominetur, in hoc Archonte profecto ſi promiscue *Eucleſes* & *Euclides*, vt ſupra de aliis diximus, eadem ratione primitiuum & nomen patronymicum obtineret locum, ab ARISTOTELE *Lib. I. Cap.* 6. *Meteorolog.* appel-

lari non potuisset *Eucles Molonis filius*, sed vel πατρωνυμικῶς *Euclides*, vel *Eucles Euclis filius*, fuisset nominandus. Verum tamen, ut hanc difficultatem removeamus, non dicam, quod jure possit reponi, hunc Archonta *Euclidis* fortasse nomine πατρωνυμικῶς ab avo appellatum, ut fuerit nominatus *Euclides Molonis filius*, id est, *Eucles Molonis filius Euclis nepos*, quemadmodum, vt saepius Patronymica, non filium tantum, sed nepotem quoque significant. *Actorides* dictus fuit *Menoetii filius Actoris nepos*; (conf. cl. VALCKENAER *ad Eurip. Phoeniss. vs.* 425. sed existimaverim potius, alterutro duntaxat nomine gavisum fuisse, vel *Euclidis* vel *Euclis*. Praestantissimus, quem modo laudavi, CORSINUS *Tom. III. Fast. Att. p.* 234. verum Archontis nomen fuisse arbitratur, *Eucliden*, idque reponendum ARISTOTELI, si quidem tum nomen patris ejus, tum & Archontis praecessoris adjecerit, ut illum ab alio Archonte cognomine distingueret, ab eo nempe *Euclide*, qui Olympiade XCIV. anno secundo Magistratu summo functus est, & epochae Grammaticali nomen dedit, quum nullus ARISTOTELIS aetate Archon fuerit alius, nomine *Eucles*, ut ab eo distingui necesse fuisset. At vero contra, quum & ipse ARISTOTELES loc. cit. ejusque vetustioris aetatis Interpretes, & *Scholiastes ineditus ad Orat. Aeschinis de falsa Legatione*, tum *Suidas* quoque, in Σκιμίων ὁ δῆμος, omnes, Archontem hujus anni *Euclem* dicant, DIODORUS autem SICULUS *Lib. XII. c.* 35. cui unus accedit Scholiastes *Aristophanis ad Equit. vs.* 237. *Eucliden* nuncupet, multo est veri similius, huic utrique posteriori, quam reliquis illis, priori loco citatis, vitii aliquid culpa Librariorum adhaesisse, qua in re consensum summi WESSELINGII ad DIODORI *loc. cit.* maximopere mihi gratulor. Neque obstat, quo, minus verum Achontis hujus anni nomen *Euclen* fuisse arbitremur, argumentum, a CORSINO productum, quod necesse non fuisset ARISTOTELI, patris nomen adponere, nisi eum in finem, vt a cognomine Archonte Olympiadis XCIV. distingueretur: is enim vel, ut tanto accuratius, quo anno Cometes fuerit conspectus, notaret, patris nomen addidisse videri potest, ut ab alio Archonte vetustiore ejusdem nominis, sed nobis hodie incognito, distingueret; quem etiam in finem JOANNES Grammaticus praecessoris nomen Archontis ad-

po-

posuit, hunc Aristotelis locum describens; nam in allis Philosophi vetustis interpretibus in ipsoque ARISTOTELIS textu voces, τοῦ μετὰ Διότιμον, excidisse, vix est, ut cum viro cl. ausim suspicari: vel Archontem *Euclen* a patre ipsius *Molone* ita descriptum cum cl. CORSINO arbitror, ne cum Archonte cognomine anni secundi Olympiadis XCIV. confunderetur; namque et ille forsitan *Eucles* primitivo nomine appellatus fuit, vel πατρωνυμικῶς *Euclides*, id est *Eucles Euclis filius*, cum vero ille nominis celebritate maxime fuerit illustris, tum quod in ipsius Magistratu, Oligarchia sublata, plurimae leges promulgatae sint, tum etiam, quod ipso Archonte dicantur Athenienses vocalibus longis H. & Ω. primum uti coepisse, in ejus nomine, frequentissime obvio, minus variatum est, obtinuitque, ut constanter *Euclides* πατρωνυμικῶς diceretur distinctionis causa, cum *Eucles*, *Molonis* filius, quatuor & viginti annis ante eumdem obtinuisset Magistratum.

Sin vero conjectura, quam de duplici propriorum nominum forma eorumque promiscui usus ratione proposui, quod nova sit, necdum investigata satis, alicui minus adrideat, ei ut gratificer, alteram, satis quoque, ni fallor, probabilem, priori adjungere fert animus. Nempe existimo, eandem Patronymicorum formam majorem quandam nominibus Graecorum primitivis addidisse dignitatem, ut adeo, qui proprie, *Eucles*, *Phrasicles*, *Cleander* nominati erant, honoris ac dignitatis caussa *Euclides*, *Phrasiclides*, *Cleandrides* appellarentur; productior illa enim nominis terminatio, tanquam aliquid μεγαλοπρεπὲς complexa, mirifice semper placuit olim, uti hodie multos plurium nominum cumulatione videmus delectari. Unde novi etiam cives Attici, παρέγγραφοι, quando primum Tabulis publicis describebantur, prius nomen mutare soliti, ut obscuram vel peregrinam originem tegerent, vid. CASAUBONUS *ad Athenaeum pag.* 232. non raro hac etiam Patronymica forma usi videntur; quo eximie pertinet THEOPHRASTI locus, cui in fine mutilato, una voce ex priori versu, sed terminatione paullo productiore, repetita, facilem adhiberi posse medicinam, puto; ita scribit in *Character. Moral. Cap.* 29. περὶ κακολογίας· Ὁ μὲν πατὴρ Σωσίας ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο ἐγένετο δ' ἐν τοῖς στρατιώταις Σωσίστρατος· ἐπειδὴ δ' ἐς τοὺς δημότας ἐνεγράφη· *pater quidem primum vocabatur Sosias, dum vero*

 in-

inter milites versatur, factus est Sosistratus; postquam autem inter cives adscriptus est: non potuit non in fine periodi ulcus olfacere doctissimus interpres, recte animadvertens, particulam ἐπειδὴ *postquam* sententiae redditionem postulare, quae tamen desideratur, quare reponendum ejus loco censebat ἔπειτα *postea*, idque TH. GALEUS in *editione Theophrasti*, inserti *Opusculis Mythologicis* in textum recepit, nulla emendationis Casaubonianae facta mentione, dubium vero an ex codice MSc. quo in *Præfat.* usum se profitetur, ita restituerit. Ast aliud adhibendum credo remedium, quo & facilius & pulcrius laboranti loco succurratur: sic legendum arbitror: ἐγένετο δ' ἐν τοῖς στρατιώταις ΣΩΣΙΣΤΡΑΤΟΣ· ἐπειδὴ δ' ἐς τοὺς δημότας ἐνεγράφη, ΣΩΣΙΣΤΡΑΤΙΔΗΣ· mutavit nempe *Sosias* servile seu libertinum nomen, cum primum inter milites adscitus esset, in *Sosistratus*, cum vero Tabulis Censualibus adscriberetur, ut, more Atheniensium, ingenuo parente natorum, & ipsa a patre ingenuo & cive nominaretur, professus se est *Sosistratiden*, tanquam *Sostratum Sostrati fillium.* Utraque haec observatio, sive malis, conjectura, altera alteram pulcre adstruit, adjuvatque, & nominum rationi, apud Græcos usitatæ, de qua non minor disputatio, quam de Romanorum nominibus, aliquid forte lucis poterit conferre. — Cæterum apud Romanos pariter forma Patronymica, in *ius* terminata, & dignitatem conciliabat & familiam seu gentem indicabat, quo sensu PROPERTIUS pro *Lucumone* dicere maluit *Lucumonium*, id est, *Lucumonem Lucumonis filium:* atque ita, quod obiter hic observandum, servum illum Vitelliorum, qui conjurationem nobilium aliquot adolescentum, de Tarquinio Romam reducendo, patefecisse memoratur, indicio ejus comprobato, libertate & civitate donatum, *Vindicium* potius, quam cum SIGONIO aliisque *Vindicem* appellatum, existimo, qua de re disputant Interpretes docti *ad Livium Lib. II. c.* 5. §. 10. ubi cum scribit: *præmium indici pecunia ex ærario, libertas & civitas data: ille primum dicitur vindicta liberatus; quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindicio ipsi nomen fuisse:* quæ verba nolim ita accipias, uti omnes tamen cum LIVIO veteres Scriptores, qui *Vindicii* hujus mentionem faciunt, credidisse videntur, indici huic servo adhuc nomen *Vindicii* fuisse, non enim illud servile nomen, sed civis Romani: post

poſt libertatem vero & civitatem juſſu populi a Conſule *Valerio* illi datas, id illi nominis credo impoſitum, quia egregio ſuo, & laudabili indicio rempublicam, in ſummo diſcrimine verſatam, in libertatem quaſi vindicasſet, quod ob beneficium ille patriæ vindex primus novo & ſolemni modo manumiſſus, atque ex ſervitute in libertatem vindicatus, lege ad populum lata, ut civitate donaretur &, in qua vellet, tribu ſuffragium ferret, ipſe huic Manumiſſionis ſpeciei, quæ apud Magiſtratum populi Romani fieret, in rei memoriam hujus, in ejusque patriæ vindicis honorem inſtitutæ, nomen *vindictæ* dedit: ita namque, licet alios diſſentire noverim, intelligenda puto LIVII verba, quosdam *vindictæ* quoque nomen ab illo tractum putasſe, memorantis: conf. PLUTARCHUS in *Poplicola*, *Tom. I. pag.* 220. & THEOPHILUS in *Paraphras. Inſt. Lib. I. Tit. V.* §. 4. De nomine, qui poſt manumiſſionem ille *Vitelliorum* ſervus fuerit inſignitus, dixi modo, inter viros doctos non probe convenire, SIGONIUS, cui & accedere videtur cl. DUKERUS ad *Livii loc. cit.* P. FABER *de Magiſtratib. Rom. cap.* 2. & celeberr. BURMANNUS *ad Antholog. Lib. II. Epigr.* 55. *Vindicem* præferunt: contra DRAKENBORCH. *ad eund Livii loc.* potius *Vindicium* appellatum credit. Quod ſi, ut par eſt, veterum Scriptorum ſuffragia colligas, invenies forte nusquam *Vindicem*, ſed ubique *Vindicium* nominatum; ita enim LIVIUS, PLUTARCHUS *loc. cit. pag.* 217. ac deinde ſæpius ſine ulla lectionis varietate; SERVIUS *ad Virgil. Aen. Lib. VI. vs.* 819. & vetus ſcholiaſtes *Juvenalis ad Sat. VIII. vs.* 267. ubi cum ſcribit ille, Brutum ſervum hunc, ut conſervatorem patriæ manumiſisſe, ut vero delatorem dominorum cruci adfixisſe, meras agit nugas, & imperitiam prodit. Apud DIONYSIUM *pag.* 282. quod legitur Οὐινδίκης, non exprimit nomen *Vindex*, ſed procul dubio ſcribarum negligentia corrupte exaratum eſt pro Οὐινδίκιος, ut in codice Vaticano recte ſcriptum, teſte cl. HUDSONO. POMPONIUM quoque ICtum in *l.* 2. *de O. J.* §. 24. levi vitio laborare culpa Librariorum, crediderim, facile ſanandum, ſi pro in *perſona Vindicis* reſtituas, ut ſcripſiſſe videtur *in perſona Vindici* vel *Vindicii*. Neque tamen horum omnium Scriptorum auctoritatibus adeo moverer, ut *Vindicium* nomen præferrem, cum & ipſi Librariorum culpæ & negligentiæ, quorum

rum in nominibus propriis facilis lapsus, obnoxiæ, depravari etiam potuerint, quam ipsa, tunc temporis jam usitata apud Romanos, nominum ratione & analogia: nam inde a Tarquinii Prisci ætate obtinuit, ut Romani cives duobus uterentur nominibus, altero prænomine, altero gentilicio, unde ipse Tarquinius, *Lucumo* antea appellatus, ut Romam venit & civis factus est, quo magis aliorum se civium moribus & institutis accommodaret, prænomen *Lucius*, gentilicium *Tarquinius* adscivit, vid. DIONYS. HAL. *Lib. III. pag.* 185. quare & ex hac nominandii ratione, admodum mihi fit vero simile, *Vitelliorum* servo, libertate & civitate donato, non *Vindicis* (quod cognomen potius fuisset, quoque pauci tantum isto tempore ex illustrioribus gaudebant) sed *Vindicii* gentilicium nomen, quo inter reliquos, ut civis, censeretur, inditum fuisse, addito praenomine *Spurio*, aut *Publio*, vel simili. Unus mihi restat *Vindicii* hujus occasione examinandus locus CLAUDIANI, qui ad PROPERTII *Curios* atque inde mox ad MANILIUM, unde discessimus, nos reducet. Is itaque unus forte testis, quo quis probet, servum Vitelliorum, publice manumissum, *Vindicem* appellatum fuisse, ita enim in *Panegyr. de IV. Cons. Honorii vs.* 613. *sqq.* scribit:

> *Te Fastos ineunte quater, solemnia ludit*
> *Omnia Libertas, deductum Vindice morem*
> *Lex celebrat, famulusque, jugo laxatus herili,*
> *Ducitur & grato remeat securior ictu.*

Ne diutius, in viam redire festinantes, remoretur nos CLAUDIANI locus, unum hoc velim observari, Poëtam, ut consuleret metro, pro vero nomine *Vindicio* dedisse contractius *Vindicem*, prorsus ut PROPERTIUS *Curios* dixit pro *Curiatiis*, aut primitivum loco Patronymici, ut ex eodem produximus exemplum, ubi contra *Lucumonium* posuit pro *Lucumone*, Patronymicum loco primitivi.

Plura sunt veterum Auctorum loca, quæ sinceram in *Manilio* lectionem *Fabricius* CURIUSQUE *pares* contra BENTLEJI crisin egregie vindicant & tuentur. *M'.* enim *Curius Dentatus* Consul an. V. C. CDLXIII. & *C.*

C. Fabricius Luscinus itidem Conſul anno CDLXXI. pares ubique celebrantur, non ætate tantum, & triplicis conſulatus Triumphique honoribus, ſed cenſu quoque & ingenii præſertim habitu, ob frugalitatem maxime laudantur & abſtinentiam: hinc MANILIUS non modo ut pares memorat jungitque *Fabricium* & *Curium*, addito his *Camillo*, ſed alii quoque, ut IUVENALIS *Satyr. II. vs.* 153. & CICERO *pro Sext. Cap.* 68. In primis autem HORATIUS hos conjungit, *loc. ſupr. initio* §. *cit.*

Hunc (Fabricium) *& incomtis Curium capillis*
Utilem bello tulit & Camillum
Sæva paupertas & avitus apto
Cum lare fundus.

Hinc dixeris fere, MANILIUM, ubi occaſione circuli lactei Romanorum Principes viros memorat, hanc Horatii *Oden* ob oculos habuiſſe; nam præterquam, quod hic Camillum & Fabricium Curiumque pares uterque refert, *Horatianum* quoque illud *Catonis nobile letum* exprimere videtur MANILIUS, quando *vs.* 795. *Catonem* celebrat, ut *fortunæ victorem;* tum etiam, uti HORATIUS *vs.* 51. *ſq.* totius univerſi imperium Jovem inter atque Auguſtum dividit, *Tu ſecundo Cæſare regnes*, ſic pariter in eandem ſententiam MANILIUS *vs.* 98. Auguſtum dicit *regere*, *ſocio per ſigna tonante.*

Prius vero, quam Horatii locum, etſi ſatis diu jam occupaverit nos, relinquam, duo reſtant, alterum, ut videamus, quem potiſſimum *vs.* 45. *ſq.* intellexerit Poëta *Marcellum*; alterum, ut oſtendere annitar *Julium ſidus vr.* 47. *ſp.* non adeo capiendum eſſe de Julio Cæſare, cujus crinita ſtella Ludis funebribus Cæſaris apparuerit, quam de ipſo potius Auguſto. quod ad prius, diſſentiunt maxime Interpretes: PORPHYRION *Claudium Marcellum*, *Octaviæ*, Auguſti ſororis, filium ſignificari putat, atque ita ACRON, & *Cruquianus*, niſi quod pro variante ſententia addunt, vel illum commemorari *Marcellum*, quinquies conſulem, qui primus *Hannibalem* apud *Nolam* civitatem in fugam compulit, & ab eo poſtea occiſus eſt, ſiquidem minus conue-

re putant, *Marcellum* iuuenem XVII. annorum, virum inter heroas laudari, vide præter alios Cl. Gesnerus ad h. l. Alii vero existimant, veterem simul ac novam Marcellorum familiæ gloriam notari. vid *Masson* in *vita Horat. p.* 226. *Cruquius* ad *Claudium* adolescentem, refert, eumque putat ab *Horatio* adnumerari fortissimis imperatoribus, qui in ædilitate natus annos sedecim decessit, cuius nomen vult post mortem magis magisque inclaruisse, non quidem ex rebus gestis, sed ab indole præclara, quae in ædilitate magnam omnibus expectationem reliquerat. Mihi sane perpensis virorum doctorum argumentis, nihil vero similius mihi videtur, quam adolescentem Marcellum, tum forte ipso illo anno, quo hæc ode scripta est, Aedilem, ab HORATIO designari. Postquam enim Poëta viros fortes memorasset, Regulum, Scauros, cæterosque in hymno solemni celebrandos, ut transeat ad Augusti laudes, quo cuncta referuntur, primo refert juvenem Marcellum, quem, adeo dilectum populo, præ cæteris omnibus Augustum sibi destinasse arbitrabantur, imperii successorem, vid. DION CASS. *Lib. LIII. pag.* 724. & 726 VELLEJUS *Lib. II. c.* 93. cum enim hoc anno V. C. DCCXXVIIII. plurima senatus Augusto decreverit, inter alia etiam, uti Marcello in senatu inter Prætorios locus daretur, & decennio maturius, quam leges permitterent, Consulatum peteret, statim Curulis Aedilitas illi data est, pulcre HORATIUS, eo respiciens, famam Marcelli, velut arborem ævo occulto, auguratur paullatim crescere, ac latens majus gloriæ incrementum promittere; quæ elegantissima Poëtæ comparatio est, ex PINDARO, quem frequens imitatur, expressa, *Nem. Od. II. vs.* 68. *sq.* Αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις, ὡς ὅτε δένδρον ἀίσσει, quem locum dedit jam LAMBINUS, cui ex CLEMENTIS ALEXANDRINI *Pædagogo* alterum commode apposuit TORRENTIUS: Ἀρετὰ γὰρ ἐπαινουμένα δένδρον ὡς ἀέξεται *Laudata virtus crescit instar arboris.* Neque tamen cum NIC. HEINSIO *arvo* pro *ævo* legerim, cum *arbor arvo* non junxisse videatur *Horatius*, nimis κακόφωνον. aut cum BENTLEJO *occulto ævo* exponendum puto *lente tardeque* & ad Marcellum quinquies Consulem referendum, cujus seri nepotes cum in familiam Juliam adsciti fuerint (quod vereor ne probet unquam) cjus famam superstitem indies florere dicat: sed fama Marcelli dicitur cres-

ce-

cere, velut arbor crescit aevo occulto, id est tempore, paullatim magis magisque, ita ut incrementum, quod occulte capit, non quidem videas, sed quotidie animadvertas. recte Porphyrion *occulto ævo* exponit *occulte procedens* & Acron notat: incrementa arboris nisi posteaquam creverint non videntur. uti recte igitur arbores occulto ævo, id est, ut non sentias, quantum quoque tenporis momento accrescant, licet crescant celeriter, ita & Marcelli gloriam magna licet quotidie incrementa capiens, crescebat tam occulte, id est, clanculum, ut incrementa non viderentur, nisi posteaquam crevisset. Occulta dicuntur quorum ratio est celata, ut ap. Virg. *occultæ vires*

Quod ad alterum spectat, *Horatius* per *Julium sidus*, intelligere mihi videtur *Augustum.* Nusquam enim, quamvis sæpius occasio ei fuisset, *Julium* Cæsarem laudat. quippe adversas Cæsarianis partes semper secutus. *Servius* Grammaticus ad Aen. *V.* 4. *VI.* 862. *Marcellum* ab Augusto adoptatum scribit. Conf. & ibid, *Taubmannum.* at v. *Massonum p.* 227. Adoptatus certe dici ab Augusto non potest, quia tum matrimonium illi fuisse non poterat cum *Julia*, Augusti filia. in errorem induxit *Servium*, & *Taubmannum*, quod generum sibi Augustus Marcellum adsciverit. miror *Gesnerum* ad hunc *Horatii* locum *Marcellum* pariter generum & adoptivum filium dicere. *Baxterus* per *Julium sidum* intelligit ipsam *Juliam.* Cl. CANNEGIETER de *Nominib. p.* 106. putat Horatium more eorum, qui verecundius adulantur, incertum reliquisse, utrum per *Julium sidus* intelligeret Marcellum, Cæsarem Dictatorem, an Augustum. Unus ille est, qui de Augusto cogitavit, quem ego tantum arbitror designasse *Horatium.* Nam a *Marcello*, qui tum in ista ætate jam ædilis magna promittebat, optime fit transitus ad Augustum, neque rite *Marcellum* inter & *Augustum* poterat *Julius Cæsar* interseri; neque ut verecunde adularetur, incertum relinquere voluit, quem designaret. Nam sæpius Augustum in os laudat, ut deum præsentem in terris, & deorum concilio adscriptum.

Putat quoque CANNEGIETERUS *Servii* errorem inde natum, quod ab Augusto adoptatum dicit Marcellum, quoniam Marcellus filius dicitur Divi Cæsaris in Gemma *Wildiana.* Sed nescio, quomodo Mar-

 cel-

cellus filius D. Cæsaris ibi dicatur. Immo vero recte Augustus dicitur *Julium sidus* appellatione desumta a Cæsaris astro. Interim valde discordes sunt interpretum sententiæ. Quod *Blondellus* in *Comparatione Pindari* & *Horatii*, *p.* 246. scribit, Gentem *Horatiam* fuisse in *Juniorum* clientela, ac propterea, mortuo *Julio Cæsare* Poëtam favere coactum fuisse partibus *Bruti*, id quidem fateor, me non intelligere. Misere confundit omnia V. D. — Gens *Horatia* quomodo dicatur in *Juniorum* clientela fuisse, non capio: ubi illud legitur? *Horatii* pater fuit libertus, is procul dubio ab *Horatio* manumissus, *Horatium* manumissorem habuit patronum. itaque *Horatius* noster in clientela fuit eius *Horatii*: at confundit quoque V. D. *Julios* & *Junios*, cum dicit, mortuo *Julio Cæsare*, in cujus nempe clientela fuisset Horatius, tum coactum fuisse fauere partibus *Junii Bruti:* & cur tandem? quoniam, inquit, gens *Horatia* in *Juniorum* esset tutela. —— Quod dixi Horatium nunquam cum aliqua laude Caesaris meminisse, vide an ei adversetur *III Od. XXV.* 6. quod carmen *Torrentius* de *Julii Cæsaris* consecratione capit; Scholia recte capiunt de *Augusti* consecratione. uti etiam verba *Lib. I. Ep.* 5. *vs.* 9. *sq.* de natali Cæsaris male intelligit *Torentius*, eumque secuti *Baxterus* & *Gesnerus* de *Julio Cæsare* capiunt. At omnino de Augusto intelligendum vid. quæ notavi de hac re ad *Calendarium p.* 308. 309. horum *Fragmentorum.* sic *Lib. IV. Od.* 15. *vs.* 22. *Edicta Julia*, non sunt Julii Cæsaris, ut putat Baxterus, sed *Augusti.* nam ita & *Juliæ* leges, & Liberti *Julii*, & alia inde dicta a nomine gentilicio adoptivo in fine eiusdem Odes, vers. 32. per *Veneris progeniem* intelligit quoque *Augustum.* ita & *Lib. IV. Od. V. vs.* 1 *Augustum divis ortum* vocat, non adeo respiciens ad *Cæsaris Julii* adoptionem, quam quod ipse *Augustus Divis ortus* eset. vid. ibi Torrentium aliosque. Neque enim hanc divinitatem solum per adoptionem, sed etiam per consanguinitatem habuit, quia Attia mater eius filia Juliæ sororis Cæsaris v. *Serv. ad Aen. VI.* 793. ubi vid. interpretes, qui in Virgilio ibi *Divi genus* malunt, ut κατ' ἐξοχὴν Divi Filius dicatur Augustus, id est, Julii Cæsaris. at mihi magis placet *Divum genus*, i. e. Deorum, atque ita legisse Servium mihi persuadeo, cum notat, non jure adoptionis sed etiam con-

san-

ſanguinitatis Divum genus dici, unde & Horatio *Lib. II. Sat. V.* Auguſtus dicitur ab alto demiſſum genus Aenea, & Manilio Veneris ab origine proles. major enim ἀυξησις eſt in plurali numero, vt Auguſtus Divorum genus, quam Cæſaris poſt mortem conſecrati tantum filius dicatur, eximie huc facit *Horat. IIII.* 5. 1. *Divis orte bonis* de Auguſto.

Auguſtum Cæſaris ultorem dicit vocari ſe paſſum *Lib. I. Od.* 2. de cuius odes intellectu v. Geſnerus initio. *patiens* vocari dicit, quia quam primum mortem ultus erat Cæſaris, omnia rurſum pacavit. vid. & *Masſon. p.* 41.-44. 233. 257. patiens itaque eſt *contentus*, ut explicat Scholiaſt ad *Satyr. I. Lib.* 2. *vers.* 38.

Ad. *Cap. III.* §. 1. *p.* 80. *lin.* 9. | vid. *Tunſtall de Ciceronis Epiſtol.* ad *Atticum p.* 64. *ſeq.*

Ad *pag.* 81. *lin.* 24. Doctiſſ. *Joannes Luzac* in *Specimine Academico* quod exhibet *Obſervationes nonnullas Apologeticas pro ICtis Romanis*, *p.* 17. ad verba Ciceronis: *inuentus eſt ſcriba Cn. Flavius &c.* notat incertiſſimam eſſe de Cn. Flavio, & Faſtis, legisque Actionibus ab eo vulgatis hiſtoriam, quia ex Cicerone ad Attic. L. VI. Ep. 1. pateat, ipſum Atticum, hiſtoriarum peritiſſimum illam ignorasſe, & Ciceronem vereri, ne Atticus ſuſpicaretur, ſe vel Africanum eam fuisſe commentum, dein quia ex eodem loco, & Livio L. IX. c. vlt. conſtet, Licinium Macrum Hiſtoricum, aliosque de ea diſſenſisſe, & quosdam Flavium ante ipſos Decemviros collocaſſe. — Sed haud credo probe intellexisſe Ciceroniani loci ſenſum, quem, vt puto, multo probabiliorem dedimus in Animadverſ. L. I. c. III. p. 80. ſeq. Non equidem ex Cicerone colligo, Atticum hanc hiſtoriam ignoraſſe omnino, at cum Cicero in Libro de Republica ſcripſerat, *Cn. Flavium* Faſtos & Actiones edidiſſe, vnum illud quæſivit Atticus ἱστορικὸν, quo modo dicatur Flavius Faſtos primum & Actiones protuliſſe, cum tempore Decemvirorum, & ante, vulgo cognitæ fuerint, quid ergo profecerit Flavius? &c. cui respondet Cicero, vt dubium ſolvat, tempore Decemvirorum Tabulam Fastorum a Pontificibus eſſe occultatam, atque ita in latenti manſiſſe, donec tandem a Flavio evulgarentur rurſus. Neque hiſtoriam de Flavio incertiſſimam reddit, quod Licinius, & alii diſſentiunt. Minime enim diſſentiunt in re ipſa. Omnes namque

que Fastos atque Actiones a Flavio editas testantur: & pleraque, in quibus dissentiunt, a nobis c. IV. *Animadversionum* in concordiam sunt redacta. *Rupertus* ad *Pomponium* p. 113. ex isto Ciceronis loco cogit, veteres etiam quosdam in aetate *Flavii* definienda cespitasse, ita vt ad tempora Appii Decemviri Flavium referrent. Sed *Rupertus* quoque Cieronem non recte cepit. Quosdam qoque fuisse, vt affirmat, qui Flavium ante Decemviros collocent, id ex Cicerone nullus colligere possum. Sed contrarium plane apparet. Atticus vt probaret, ante Decemviros Fastos & Actiones non fuisse publice propositas, hoc vsus est argumento: Fasti semper in latenti fuere; Cn. Flavius primus protulit, is Aedilis curulis fuit, ergo non vixit ante Decemviros. Dissensus Ciceronem inter & Atticum non fuit, vt videntur sibi persuasisse VV. DD. an Flavius Scriba edidisset Fastos, neque etiam de aetate, qua vixerit ille Flavius. Sed an ante Decemviros Fasti & Actiones publice fuerint propositae? *Cicero* publicam opinionem sequutus scripserat in Libris de Republica Fastos & Actiones vulgo fuisse cognitas: contra Atticus eius erat opinionis, vt existimaret, semper in penetrali Pontificum latuisse, donec a Flavio ederentur in lucem. Quare Atticus opinioni Ciceronis dubium movet hoc argumento: Flavius dicitur primum protulisse Fastos & Actiones, atque is Flavius vixit multo tempore post Decemviros, nam Aedilis Curulis fuit, ergo ante Decemviros Fasti non fuerunt cogniti: tum etiam, si Fasti Decemvirorum iam aetate propositi fuerint, quid profecerit Flavius eos edendo? Vtrique argumento respondet *Tullius*. Ferunt Tabulam quodam tempore fuisse occultatam.

Porro vtrum Flavius ante Aedilitatem, an vero in eo demum Magistratu ediderit Fastos & Jus civile, inquirit idem *Luzacius*, d. l. p. 18. putatque Flavium dum scriba adhuc esset, Pontificum arcana euulgasse, idque vno ore traditum a Cicerone, Plinio, & Pomponio. Dubium vero ortum esse ex Valerii Maximi verbis: *cum ingenti nobilitatis indignatione factus Aedilis Curulis vulgavit, ac Fastos paene toto foro exposuit:* vnde post alios Heineccius & Thomasius de Naev. Jurisprud. L. I. c. 5. p. 19. colligant, in ea fuisse sententia versatum Valerium, quasi Cn. Flavius demum vulgasset Fastos, posteaquam Ac-

Aedilis factus fuisset; illamque opinionem, licet per se absurdam, (quia sic causa evanescat, ob quam homo ex infima plebe ad eam euectus fuerit dignitatem) impetu adeo prono & praecipiti sequitur vir cl. vt Plinio & Pomponio fidem derogare haud dubitet. ita explicat Luzacius Valerium, *hunc Cn. Flavium, qui dein cum ingenti nobilitatis indignatione Aedilis curulis factus est, ius civile vulgasse* &c. Sed haec ex nostris satis refutantur quae *Cap. IV. Animadvers.* scripsimus. Tum pag. 19. sequ. idem eruditiss. Luzacius contra Pomponium, vbi scribit: *deinde ex his legibus* (XII. Tabul.) *eodem ferme tempore Actiones compositae sunt* &c. pluribus disputat. nempe opponit Pomponio silentium Ciceronis, qui in declamatione contra Juris peritos ne verbum, ne vnam quidem literam de ista ante Flavium facta Formularum compositione; & miratur, cur, si vera essent, quae Pomponius tradit, Cicero in ea Oratione primam formularum, & Legis Actionum fraudulentam compositionem iis non exprobrauerit? neque etiam putat in Libris de Oratore Tullium id docere, vbi ait: *Veteres illi . . . obtinendae atque augendae scientiae suae causa* &c. Quae tamen omnis disputatio facile etiam refutatur ex nostris. Legibus enim XII. Tabularum perlatis mox Pontifices Icti ex iis legibus, atque adeo & nouo iuri accommodatas Actiones composuerunt, idque ius civile in latenti retinuerunt, donec a Flavio est vulgatum. Neque vlla est ratio, quare hic Pomponio fidem derogemus. Cicero enim cum *Fastos* a Flavio vulgatos dicit, *Actiones* eo nomine simul intelligit. & quamuis *composuisse* dicatur Plavius Actiones, eo non significatur aliud, quam Actiones iam olim a Pontificibus Ictis compositas ad formam redigere, &, vt L. I. de orat. c. 41. dicit, artificio se digestas componere.

Ad pag. 86. *respiciunt literae Cl. Tydemanni nostri in schedis Vaassenii repertae, quarum haec fuit formula:* „ De loco Livii IV. „
„ 3. dubito an recte conieceris. —— Id agit Canuleius, vt „
„ ostendat, alterum ex plebe Consulem esse creandum. Quid, „
„ quaeso, istuc, fasti dierum & de his Pontificum commentarii? — „
„ Facit autem ad rem, si qveratur, ad fastos consulares, & Pontifi- „
„ cum commentarios (qualescunque) adornandos plebem non ad- „
„ mitti, hoc est, de plebe neque pontifices, neque consules cre- „
„ ari. „

„ ari. — Hoc ſi non fiat, ait, tum ne ea quidem ſcimus, aut „
„ certe ſcire non videmur, quæ ſciunt omnes, etiam peregrini. „
„ Quid? nempe, Conſules nihil iuris aut maieſtatis habere, quod „
„ non ante fuerit in regibus. Hoc certe ſcire poterant peregrini: „
„ non maiorem, ſed vero minorem potius eſſe Conſulibus, quam „
„ regibus honorem & dignationem. — Atqui, Reges tantum abest, „
„ vt patricii ſemper Romani fuerint, vt etiam ne Romani quidem „
„ fuerint omnes, ne quidem cives: Multo ergo magis plebeii legi „
„ potuiſſent reges: at, ſi Reges, etiam conſules, quorum idem, „
„ non amplior, eſt honos — Sive: Qui Rex eligi poteſt, is & „
„ Conſul & Pontifex creari poteſt. Atqui plebeius Rex eligi potuit: „
„ Ergo & conſul & Pontifex. — Probatur aſſumtio: Si peregri- „
„ nus rex eligi potuit, potuit etiam eligi plebeius. Atqui — Er- „
„ go. — Sic cohæret oratio, neque *ſciunt* a ſequentibus eſt di- „
„ vellendum. *Faſtos Conſulares* tum temporis nondum fuiſſe, „
„ concedo; ſed potuit ex ſui temporis ratione loqui Livius. Et „
„ ſatis recte dicitur ad *faſtos admitti* pro conſulem creari. Tu „
„ vide."

Ad pag. 93. lin. 25. Perperam Siccama ad Faſt. Kalend. p. 39. per CDX. annos inde a Numæ inſtitutione ad Flavium Faſtos arbitratur occultatos fuiſſe.

Ad pag. 99. lin. 13. *interceſſit Cl. hic rurſus Tydemannus in iisdem literis ad Vaasſenium datis hoc pacto;*

„ Non emendandus eſſe videtur locus Valerii Maximi, de quo „
„ Capite 4. agis. Quid emni? Si non, vti ſolemus nos, ſellis „
„ domi conſidere veteres conſueverint, ſed, vt in theatro ſedebant „
„ & in ædibus nunc ſedent in oriente homines, in ſcamnis latiori- „
„ bus: tunc *non adſurgere*, & *ſedendi locum non præbere*, re- „
„ deunt eodem; quemadmodum ex altero Valerii loco, quem ad- „
„ fers, adparet."

Ad pag. 117. §. 5. & 121. §. 6. De Flavii prænomine, inquit ibid. *Tydemannus* V. C. & falſo nomine patris apud *Liv.* IX. 46. „
„ & Conſulum nominibus apud Plin. XXXIII. I. corruptis notaſſe „

„ Cl. „

„ Cl. de Rhoer Daventr. L. I. c. 15. p. 110. fequ. non ig- „
„ noras."

Ad pag 122. lin. 10. Cf. Bynckershoek Obferv. L. IV. c. 3. p. 343. vbi varia Iuris civilis loca, quæ forte ex hac obfervatione vel corrigi vel exponi poffunt. vid. & *Huberi* Disfert. p. 35.

Ad p. 126. lin. 13. poft *minores.* quem eumdem alii plures errarunt errorem, vti Manutius in Epift. Cic. ad M. Brutum p. 243. et *Tunftall* in Epift. de Ciceronis Epiftolis ad Brutum p. 243. vbi Collegium minorum Pontificum dicit refpectu Pontificis Maximi. Sed quamvis reliqui Pontifices refpectu Maximi Pontificis minores dici poffint, numqvam tamen fic appellati fuerunt, tum et minus recte Collegium minorum Pontificum dicit, nifi ftatuat, & alterum Collegium maiorum fuiffe Pontificum. Cf. *Saubertus* de Sacrific. p. 107. feq.

Pag. 128. ad locum Ciceronis de Harufp. Refpons. cap. 6. notavi, illorum, qui collegio Pontificum, quando de Ciceronis domo judicatum eft, interfuisfe memorantur undeviginti, proprie tredecim tantummodo fuisfe Pontifices; voce enim latiori fenfu accepta eodem Pontificum collegio contineri quoque Flamines & Regem facrorum, quin & Pontifices minores, feu fcribas Pontificios: & *pag. fq.* 129. ex eodem Ciceronis loco obfervavi, Flamines cum Rege facrorum, Pontificum collegio adfcriptos, dignitate reliquis pontificibus pares fuisfe, idque ex ordine colligere mihi videbar, quo promifcue illic recenfeantur, ratione forte habita temporis, quo quisque in id collegium venisfet: idem patet etiam ex *Indice* Metelli Pontificis Max. cujus verba nobis fervavit Macrobius Lib. II. Saturn. cap. 9. *Refero enim*, inquit Marcrobius, *vobis Pontificis* (rectius credo *Pontificum*) *vetustiffimam coenam*, *quæ fcripta* f. defcripta *eft in Indice quarto Metelli illius* (de quo paullo ante) *Pontificis Maximi in haec verba.* Nomine *Indicis* eos intelligo Pontificis Maximi commentarios, in quibus breviter fingulis annis, quæcumque in Pontificatu fuo gesfisfent, notata etiam menfe ac die, referebantur: ejusmodi *Indices* feu rerum geftarum commentarios Magiftratus quilibet conficiebant, de quibus alio loco nonnihil amplius dicam. At quo modo QUARTUM *Metelli Indicem* (*Commentarios* vocat Cic. pro Dom. c. 53.) citat? an putabimus, fingulos indices fingulo-

Mmm rum

rum acta & gesta annorum complexos? sed huic opinioni adversatur, quod cœna illa Pontificum multo serius quarto Pontificatus anno sit habita, agitur enim de anno V.C. DCXCI. Cum vero Metellus anno jam DCLXXI. in locum Q. Mucii Pontifex Max. videatur creatus, hic annus non quartus sed vicesimus fuit, adeoque non ex *quarto*, sed *Vicesimo* indice legendum foret. An vero dicemus singulos Indices acta quinquennii continuisse? itaque hæc ex *quarto* Indice esse a Macrobio descripta? cui nobis opinioni causam præbuit, quod legeram alicubi, moris olim fuisse, ut Magistratus apud Censores acta profiterentur, seu ederent, exponerentque, quæ in Magistratu gessissent, itaque arbitrabar, cum singulis quinquenniis Censores crearentur, Pontifices quoque Maximos, quoties Census instauraretur, acta quinquennii, uno indice comprehensa, apud Censores exposuisse: sed adversatur, quod Pontifices Maximi nullius potestati Magistratus fuerint obnoxii, tum etiam, quod nondum mihi satis constiterit, obtinuisse apud Romanos, ut Magistratus apud Censores gesta edere debuerint: contrarium ex Cicerone de Legg. Lib. III. cap. 20. colligas. An denique aliquid vitii contraxisse locum Macrobii existimabimus & pro *in Indice* QUARTO *Metelli* scripsisse in *Indice* QUINTI *Metelli?* videant alii. Verba autem ex *Indice* Metelli depromta haec sunt: *Ante diem nonum Kalendas Septembris, quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, domus* (publica Pontificis Max.) *ornata fuit: triclinia lectis eburneis strata fuerunt. duobus tricliniis Pontifices cubuerunt Q. Catulus, M. Aemilius Lepidus, D. Silanus, C. Cæsar Rex Sacrorum, P. Scævola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinovanus & L. Julius Cæsar Augur, qui eum inauguravit. In tertio triclinio Popilia, Perpennina, Licinia, Arruntia, Virgines Vestales & ipsius uxor Publicia Flaminica, & Sempronia socrus ejus.* De quo hoc agitur loco, LENTULUS, Flamen Martialis inauguratus, fuit *L. Lentulus*, quod prænomen, initiali sequentis vocabuli litera absorptum, restituendum puto, tum, quod aliis reliquis suum cuique prænomen adjungitur, tum, ut a *P. Lentulo*, qui hoc eodem tempore floruit, &. haud ita multo post Cæsaris beneficio in collegium Ponti-

tificum fuit cooptatus, (v. Cæſar. de B. C. Lib. I. c. 22.) diſtinguatur: Lentuli hujus, addito dignitatis indice, *Flaminis Martialis*, meminit Cicero in *Vatin. c.* 10. & de *Haruſp. Reſp. cap.* 6. diverſum fuiſſe a L. Lentulo Crure, obſervat Erneſt. *Clav. Cic.* at Sigonius, & alii qui Faſtos illuſtrant, pro eodem accipiunt; at cum Erneſtio distinguendos potius arbitror, ac propterea, ne confunderentur, in cauſſa fuisſe puto, quare Cicero dignitatem ſacerdotii adjungat, *Flaminis* ſcilicet *Martialis*; quo modo & in nummis hic Lentulus deſcribitur, vid Panvin. in Faſt. ad an. V. C. DCCV. & Patin. Famil. *pag.* 85. — — Cur non memoratur inter convivas ipſe Q. Metellus, Pontifex Maximus? an coenae non interfuit? at cœna fuit habita in domo, quam Metellus inhabitabat publicam Maximi Pontificis. — — Pontificem Max. hunc Metellum Panvinius Lib. v. Faſtor. deſcribit *Q. Cæcilium, Numidici F. L. N. Metellum Pium.* cumque ſcribit ſucceſſiſſe Q. Mucio Scævulæ, an. DCLXXI. obiiſſe autem DCXC. conf. Commentar. *pag.* 335. ubi de hoc Metello ita ſcribere in Cornelianam Pedianum ait: *quinque Conſulares in Cornelium teſtimonium dixerunt Q. Catulus, Q. Hortenſius, Q. Metellus Pius, Pontifex Maximus, M. Lucullus & Mam. Lepidus.* At in editione Grævii longe aliter, neque Q. Metello additur dignitas ſummi ſacerdotii; tum pro *M.* Lucullo eſt *L.* & pro *Mam.* (quo compendio prænomen *Mamercus* notatur, quod in Lepidis cognitum,) *Lepido* ibi habetur *M.* forte legendum *Man.* id eſt *Manius.* Cæterum aut miſere lapſus eſt Panvinius, nimis memoriæ tribuens, aut vitiosisſimo codice uſus eſt: nam is quidem Metellus, Asconio memoratus, non fuit Pontifex Max. qui enim Cornelium accuſavit, fuit Q. Metellus Nepos, adolescens, ad ſummam laudem omnibus rebus ornatus, ut Cicero eum vocat, vid Asconius *pag.* 956. Cæſarem Metello ſucceſſisſe in Pontificatu notat Dio Casſius. — — Q. CATULUS idem fuit, qui cum Servilio Cæſari fuit competitor Pontificatus Maximi. — — M. AEMILIUS LEPIDUS. Noris. Cen. Pis. p. 60. hunc Macrobii locum adducens *Man.* citat: idem quoque inter Pontifices memoratur, qui de Ciceronis domo judicaverunt v. de Haruſc. Resp. c. 6. ubi tamen *Marci* prænomen quoque habetur. Si hic Aemilius Lepidus, ut putat Noris. p. 68.

Couful fuit cum Volcatio Tullo an. DCLXXXVII. certe *Manii* prænomen habuit: at nescio, cur recte intelligi nequeat Lepidus Triumvir, qui Pontifex fuit, v. Cicero Philipp. v. 14. & Cæfari in Pontificatu Max. fuccefsit. — — D. SILVANUS is fuisfe videtur, qui cum Murena Conful fuit. — — C. CAESAR REX SACRORUM. Quis ille C. Cæfar? Noris. Cen. Pifan. vel quempiam C. Cæfarem, Glandorpii Onomastico hinc addendum, exiftimat, vel dicendum, C. Caefarem, poftea Dictatorem, id temporis fuisfe Regem facrorum, quo Sacerdotio fe abdicaverit, cum provinciam Hispaniam vlteriorem cum militari imperio accepisfet poft Præturam, ab eo geftam an. DCXCII. Regem enim facrorum, tefte Dionyfio Lib. V. pag. 278. immunem fuisfe a militia, quod exemplo etiam conftat L. Cornelii Dolabellæ, qui, cum Duumvir navalis clasfi præesfet, rex facrorum creatus, prius a Servilio Pontifice Max. jusfus eft militari Magiftratu abire, quam inaugurаretur. vid. Livius Lib. XL. cap. 42. Itaque putat, C. Cæfarem, cum affectaret bellicam gloriam, ante quam in provinciam abiret, facerdotio Regis Sacrorum fe abdicasfe. Sed nequaquam de C. Cæfare Dictatore capienda haec arbitror cum eminentisfimo Cardinali. Quo enim modo in Hispaniam proficiscens an. 692. facerdotio Regis Sacrorum abire potuit, cum an. 690. aut fequenti ex calculis Varronianis Pontifex jam fuerit Max. an idem Pontifex Max. & Rex Sacrorum unus Caefar? minime gentium: imo ne quidem Pontifex & fimul Rex facrorum quis effe poterat, nifi dicas, Pontificatu abiiffe, ut rex facrorum fieret. fed obftat, quod tum immunis fuisfet a militia. Cum autem Caefar in locum C. Cottae, (quem tamen Pontificem fuisfe negat Bofius de Pontific. Max. p. 261. n. 4. certe Pontifex Max. non fuit, ut putabat Guther. p. 57.) anno 679. vel feq. Pontifex factus fit, tefte Vellejo, Lib. II. c. 43. conf. Wesfeling. *Obferv. Lib. II. c. 18. p. 224.* fequitur C. Caefarem Dictatorem non esfe potuisfe Regem Sacrificulum, nifi ante id tempus. Sed aliunde nusquam de hoc Cæfaris facerdotio conftat: tum Pontificum hæc cœna, qua Lentulus Flamen Mart. inauguratus eft, nescio an ad id tempus referri posfit: immo quocumque referas hanc cœnam Pontificalem, C. Cæfar Dictator vix h. l. intelligi poteft: prima enim ftipendia fecit an. 673. itaque ex eo tem-

tempore regio ſacerdotio fungi non potuit, ſiquidem Rex ſacrorum immunis a militia: ante iſtum vero annum ſi petiisſet, non minus hic quam in Flaminio Diali adverſarium nactus fuisſet & impedientem. Itaque diverſus omnino *C. Cæſar* hic intelligendus eſt ſacrorum Rex; cum tamen nullum prorſus inveniam, quo referri posſit, forte pro *C. Cæſar* legendum *L. Claudius*, qui hoc ſacerdotio ornatus memoratur Ciceroni de *Haruſp. Reſp. cap. 6.* nam quod ibi habetur *Lucii* praenomen, dubium mihi non eſt quin corruptum ſit & mutandum in *Cajum.* Fuit enim is Claudius proculdubio patricius, quippe Rex Sacrorum. in gente autem Claudia *Lucii* praenomen damnatum eſt; & duo tantum habuisſe, teſtis eſt Sueton. in *Tib. c. I.* P. SCAEVOLA SEXTUS. Hujus Scaevolae causſa Macrobii locum citavit, ſed infeliciter, cl. G. D'ARNAUD *Diſſ. poſtum. de vit. Scævolar.* §. 17. quem ego totum Paragraphum vellem aut ſcriptum, aut ſine ulla cl. editoris animadverſione editum non esſe: etenim poſt P. Mucium Scaevolam an. V. C. CCLXVIII. Tribunum pl. de quo agit §. 6. & de quo recte dubitat, ordine recenſet *P. Scævolam*, quem circa annum DX. & quod excurrat, Pontificem fuiſſe, ſcribit, teſte noſtro hoc Macrobii loco: ſed in Chronologiam peccari, & ἀναχρονισμὸν committi amplius centum & quinquaginta annorum, palam eſt, & viris doctisſ. conſtare potuisſet facile, ſi in L. Lentuli, Flaminis Martialis, & aliorum Pontificum, qui h. l. Macrobii memorantur, accuratius paullo inquiſiviſſent aetatem. Cauſam errori dedit, quod Macrobius hanc Pontificum cœnam *vetustisſimam* appellat, quod epitheton, ſi quem offendat, pro eo facile vel aliud, vel *ſumtuoſiſſimam* reponet.) tum quod VV. DD. confuderint duos Metellos, Pontifices Maximos, ſed ſesquiſaeculo a ſe aetate diſtantes, L. Caecilium Metellum, qui teſte Cicerone de Senectute, *Cap. 9. quadriennio poſt alterum Conſulatum* (an. V. C. DVI.) *Pontifex Max. factus eſt*, atque adeo DIX vel ſequenti anno, & Q. Caecilium Metellum Pium, qui an V. D. DLXXI. ſucceſſit in Pontificatu Q. Mucio, ut ſupra diximus, eamque cœnam Pontificalem vetustisſimam tribuit priori, quae debetur omnino poſteriori. Haec ſi obſervata fuisſent a VV. DD. potius hunc P. Scaevolam retuliſſent §. 47. inter liberos Q. Mucii Scaevolae Pontificis

Max. de quibus nunc nihil ſibi compertum profitetur D'Arnaudtius. *P. Scævola* ille Macrobio inter Pontificales convivas memoratus in coena aditiali L. Lentuli, Flaminis Martialis, mihi videtur filius Q. Mucii Scaevolae Pontificis Max. &, mortuo patre Pontifice Maximo, in ejus locum Pontifex factus: ejus autem filium puto, quia mihi haud alienum videtur, mortuo parte Pontifice Maximo, ejus in locum filium inter Pontifices cooptari, idque factum ſaepius exemplis credo colligi poterit: notavi in Animadvers. pag. 91. P Scipioni Naſicæ, qui Pontifex fuit Max., mortuo in Pontificatu, ſucceſſiſſe nepotem P. Scipionem Naſicam Serapionem, & anno ſeq. Pontifex Max. in avi locum factus, Licinio Craſſo Muciano mortuo, ſucceſſit in Pontificatu Max. frater ejus P. Mucius Scævola. Sic & mortuo Q. Metello Pio Pontifice Max. ejus filium adoptivum Q. Metellum Pium arbitror ſucceſſiſſe, eum, qui memoratur inter Pontifices, qui de Ciceronis domo iudicaverunt. alia forte ejusmodi exempla ſuppeditabit Livius. Tum etiam nullus alius memoratur Scaevola, unde hic originem trahere potuerit. Nepotem Mucii Scævolæ Pontificis Maximi memorat Pomponius *l.* 2. §. 45. *de O. J.* quem Caſcellius, teſte Valerio Max. Lib. VI. c. 2. Ex. 12. in avi honorem heredem ſcripſerit. hujus autem Q. Mucii Pontificis Max. nepotis avum fuisſe puto P. Mucium Pontificem. — — Muciam, quæ nupta fuit Pompejo, putat Arntzen. ad dict. Diſſ. p. 122. filiam potius fuisſe Q. Scævolæ nepotis, quam Q. Scævolae Pontificis Max. atqui ego potius filiam puto P. Mucii Pontificis, idque multo magis ratio temporum ſuadebit: non enim videtur Mucia filia fuisſe Q. Mucii, qui nepos fuit, Mucii Pontificis Max. ſi quidem Scaevola nepos an. 694. primum Quaeſtor fuit, ut recte cenſet Arntzenius, ſed neque filia videtur Scaevolae Pontificis Max. ut putat Arntz. & cum eo Manut. ad Cic. ad Att. I. 12. & Glandorp. in ſtemmate Muciorum: ſed potius filia P. Mucii Pontificis, Macrobio memorati. Cl. Erneſti in Clav. Cic. ubi Mucios recenſuit: *ex his*, inquit, *Muciorum ſtemma facile confici poterit, quod digesſit recte, cum a multis v. c. Pighio male digeſtum esſet, Rupertus ad Pomponium.* ubi. v. p. 389. *ſqq.* Glandorp. in Onomaſt. Q. Mucium Scaevolam

Ic-

Ictum L. Volusii Metiani auditorem, qui sub M. Antonino Philosopho floruerit, ejusque praecipue opera usus sit, memorat ex Capitolino, & Pomponio. Sed Pomponius, ut hunc memoraverit, temporum ratio non patitur, isque Scaevola non est *Mucius*, sed *Cervidius*. Apud Pomponium §. 45. verba corrupta & conturbata sunt, ut nihil certi facile inde exsculpere possis. — — Redeo ad Macrobium, ubi P. ille Scaevola cognomine *Sextus* dicitur, sic enim legitur P. SCAEVOLA SEXTUS, Q CORNELIUS, sed *Sexti* cognominis usum libera republica apud Romanos obtinuisse non credo, verum praenómen frequenter obvium. D'Arnaud. Diss. cit. pag. 18. scribendum putat *P. Scævola*, *Sextus Cornelius*, ratus literam Q. ex sequenti litera C. quae prima est in voce *Cornelius* ortam esse. at docere debuerat vir cl. quis esset ille *Sextus Cornelius:* imo *Sexti* praenomen adeo est inusitatum in omnibus Corneliorum familiis, ut nusquam offendas, mihi certe obvium nondum fuit. Putavi aliquando scripsisse Macrobium P. SCAEVOLA, SEX. & Q. CORNELIUS; rectius forte ex superiori versu repetendum nomen *Cæsar*, ut ita scripserit: *C. Cæsar*, *Rex Sacrorum*, *P. Scævola*, *Sext.* —— *Q. Cornelius* (de hac Orthographia, qua nomen omittitur ex proxime praecedenti versu repetendum, vid. quae alibi notavi. forsitan in ipso Jndice Metelli ita exaratum fuit, quod non probe intelligens Macrobius, vel quicumque alius ex Jndice descripsit, cujus apogropho usus est Macrobius, dedit conjunctim P. Scaevola Sextus Q. Cornelius.) quem *Sex. Cæsarem*, Flaminem Quirinalem memorat Cicero inter Pontifices, qui de domo, sua judicaverunt. An vero alium dicemus Sex. Caesarem h. an. Pontificem fuisse, eum qui Cos fuit A. *662*. Fieri potest, ut in Jndice Metelli vel a Macrobio dignitas Flaminis praetermissa sit, quemadmodum deinde Cornelio, Volumnio, & Albinovano non additur, fuisse illos Pontifices minores, seu Scribas, uti tamen mox patebit: vel iste *Sex. Cæsar*, in cœna hoc Pontificali *Pontifex*, postea Flamen *Quirinalis* creatus est.

Q. CORNELIUS, P. VOLUMNIUS, P. ALBINOVANUS. Hos tres, posteriore loco memoratos, puto Pontifices fuisse minores, seu Scribas. Q. Cornelius & P. Albinovanus memorantur Ciceroni de Harusp. Resp. c. 6. ubi addit, eos Pontifices minores fuisse; itaque hic etiam eosdem

Pon-

Pontifices minores intelligo; nam primo Pontifices, dein scribas fuisse non est, quod credas, hoc tamen voluisse videtur Noris. Cen. Pis. p. 60. qui p. 63. *Q. Cornelium* putat P. Sestii cognatum fuisse, Cic. Epist. 6. Lib. V. ad Fam. ex familia Corneliorum plebeja, quia nullus Patriciorum Corneliorum *Quinti* praenomen tulerit. *Affinem* Sestii dicit *Ernesti*, & videtur pro diversis habuisse. Glandorpius hunc Cornelium in Onomastico praetermisit. — — P. VOLUMNIUS. de hoc nihil certi constat, an idem fuerit, qui cognomento Eutrapelus dicitur Ciceroni, non ausim decernere.

P. ALBINOVANUS. & hic inter minores Pontifices memoratur Ciceroni de Harusp. Resp. l. c. hunc eundem fuisse putat Glandorpius in Onomastico, atque Sextii accusatorem, cujus mentio in Orat. in Vatin. C. 1. at recte distinguit Ernesti, is enim non *P.* sed M. dicitur, fuit nempe *M. Tullius* Albinovanus, ut patet ex Epist. ad Q. Fr. — Norisius, Cen. Pisan. p. 63. in medio relinquit, an idem sit Pontifex minor, quem Cic. in Vatin. memorat: credo omnino esse diversos; is enim M. Tullius Albinovanus fuit, hic P. prænomine dicitur: tum quod Cicero Albinovanum, Sextii accusatorem in Ep. ad Q. Fr. II. 3. ut obscurum ac sibi ignotum citat; cum Pontifex Albinovanus ei non potuerit esse ignotus. Idem Norisius ibid. Albinovanum Pontificem hunc minorem filium putat P. Albinovani Senatoris a Sylla proscripti, teste Appian. Lib. I. Civ. *pag.* 386. hoc si verum, subvertitur eo Norisii sententia superior, nam certe de Senatoris filio Cicero dicere non potuit, *nescio quis.* itaque Pontifex minor, & Sextii accusator non idem. Senatoris filium fuisse Albinovanum Pontificem minorem, mihi nondum satis constat. — — Noris. Cen. Pisan. p. 63. non audet definire, quot fuerint Pontifices minores: cum tamen hic & ap. Ciceronem tres memorentur. Fere dixerim, tres numero fuisse scribas. nam & in iudicio, ubi de domo Ciceronis iudicatum, omnes adfuisse videntur, & hic etiam Pontificali mensæ accubuisse. Plebejos tamen fuisse putat omnes, & hoc mihi vero similius est, neque plebejos tantum, sed & ignobiles. — — Ut primarii tamen Collegii ministri adhibebantur in cœna Pontificali mensæ, imo eodem triclinio cum Ponti-

ti-

tificibus, Auguri etiam videntur prælati, ut & Virginibus vestalibus & Flaminicæ. sed an hoc ordine, uti hic referuntur, accubuerint, dubitari potest.

L. Julius Caesar, qui eum inauguravit. Hunc Glandorpius in Onomast. eundem putat, atque eum, qui Consul fuit an. 690. cujus quoque *Auguralia* citantur a Prisciano Lib. VI. & *decimus sextus Auspiciorum* Macrobio *Saturn. Lib. I. cap.* 16. Fabricius in Bibl. *Lat p.* 172. tum *Auguralia*, tum Libros Julii Cæsaris *Auspiciorum* adscribit C. Julio Cæsari Dictatori. haud credo satis recte. Interpretes ad Auctorem de origine Gentis Romanæ. p. 30. C. Julio tribuunt. Libri Pontificales Cæsaris qui memorantur illic, nescio an ad C. Julium Dictatorem, an vero potius ad alium Julium Cæsarem pertineant. Cæsar Dictator Pontifex quidem fuit, sed nescio, an constet, Pontificales libros eum scriptitasse. Forte fuit vetustior quis Julius Cæsar, sive L. sive C. prænomine. C. Julius L. F. Pontifex memoratur in veteri Scto, ap Gell. VI. 6. an. 654. An vero & C. Cæsar *Augur*. vid. Guther. de veteri iure Pontificio, Lib. I. *cap.* 15. Onyx quoque est Julii Cæsaris. nam eius impressa est facies, habetque pontificatus & auguratus insignia. v. ap Gutherium l. l. du Choul. p. 204. 206. & Gorlæi Dactylioth n. 50.

In tertio triclinio Popilia, (*Popillia*) Perpennina, Licinia, Aruntia, Virgines vestales. utrum tres numero an quatuor sint virgines Vestales memoratæ, dubium esse potest: Ciacconius de Triclin. pag. m. 53. hoc Macrobii loco, duobus lectis *decem* Pontifices, in tertio *tres* Virgines vestales, ac Flaminicam, ejusque socrum accubuisse scribit: at Pontifices tantum novem memorantur computato etiam inter illos augure, nisi nobiscum unum addas *Sex. Cæsarem*. Virgines autem Vestæ tres numerat, pro eadem accipiens *Popilliam Perpenninam*, quas editiones commate interposito distinguunt, atque ita numerant quatuor. Equidem diversas potius credo *Popilliam*, & *Perpenninam*, quia, cognomina licet aliquando familiarum feminis adhæsisse concedam, ut *Aurelia Orestilla* apud Sallustium, ut intelligeretur ex qua esset familia, ex Aureliis Orestibus quippe, non ex Aureliis Cottis; tamen *Perpernæ*, vel ut alii scribunt minus recte *Perpennæ*, vel *Perpennini* cognomen in gente Popilliorum est incognitum. De Popillia hac virgine Vestæ nihil aliunde constat. *Perpennina* legitur in edit. Gronov. sed in editione Gryphiana an. 1574. legitur *Perpenia*, Glandorp. in

Onomast. citat *Perpenna*, non recte, viri enim cognomen est: feminarum autem cognomina terminatione aliqua deminutiva flectebantur, ut ab *Orestes Orestilla*. utrum præstet lectio *Perpennina* an *Perpenia* vel *Perpernia*, non facile dixerim. — —

Licinia. putat Glandorp. fuisse eandem, quam teste Plutarcho in vita Crassi, Crassus prædii gratia colebat, & quasi rem cum illa haberet, accusatus est, sed facile absolutus, propinqua L. Murenæ, cui locum suum gladiatorium concessit. v. Cic. pro Muren. Cap. 35. ARRVNTIA nihil de hac constat amplius, Glandorp. illam prætermisit. — — Et ipsius uxor Publicia Flaminica; cujusnam vero? credo L. Lentuli, Flaminis Martialis: sed ei plane locus non assignatur in convivio. credo hic excidisse L. Lentuli nomen, legendumque post *Virgines vestales*, *L. Lentulus Flamen Martialis*, *& ipsius uxor Publicia*, *Flaminica*, *& Sempronia*, *socrus ejus*. Glandorpius in Onomast. *Publiciam* hanc Flaminicam uxorem *Lentuli*, filiam vero *Semproniæ* dicit. recte! Publicia uxor Lentuli Flaminis Martialis erat, itaque *Flaminica Martialis*. hinc discimus, non tantum Flaminis Dialis uxorem fuisse Flaminicam, (vid. Fest & alibi unica tantum Flaminica Dialis Flaminis uxor fuit.) sed ita quoque appellatam uxorem Flaminis Martialis, quod nescio, an aliunde constet: nisi quod in Inscript. ap. Reines. V. 48. C. Atmilius memoratur *Flamen Martialis* & *Aemilia Flaminia* (potius *Flaminica*) *uxor*. — An vero dicemus unam modo Dialis uxorem Flaminicam fuisse, hoc autem tempore fuisse moris, cum Flamen Dialis non crearetur, neque adeo esset uxor ejus Flaminis, Flaminica, ut uxor Flaminis Martialis Flaminica diceretur, & vicibus fungeretur Flaminicæ Dialis. & ita forte hoc tempore Flamen Martialis, quippe dignitate Diali proximus, ejus vicibus fungebatur, & Dialia sacra obibat: quod fieri etiam moris, si ipse Flamen valetudine adversa vel munere publico impediretur, per Pontifices, v. Tacit. Lib. III. — — Hoc etiam observandum, Pontifices non hoc loco recenseri eo ordine, quo digniore quisque loco mensæ accubuerit, sed quo in Collegii catalogo erant inscripti: C. enim *Cæsar* vel *Claudius* Rex Sacrorum hic post tres Pontifices memoratur, cum in conviviis primum obtineret locum, vid *Festus*. conf. *Ciacconius* de Triclinio, pag. 52. sq. qui observat, in pleno convivio plerumque ternos in singulis lectis accubuisse, nonnunquam & quater-

ternos, aliquando & quinos, uti h. l. ap Macrob. at vero Ciceronem id reprehendisse videri, Orat in Pison. sed nihil adeo fateor me videre, quod Cicero illic reprehendat in ea re; & Macrobii locum videtur Ciacconius non bene percepisse.

Pag. 131. lin. pro SA. Litibus legendum est Stlitibus.

OBSERVATIO:

An Tribuni plebis de caussis privatis iudicaverint?

Lib. I. Animadvers. cap. 4. §. 9. *pag.* 149. & 150 contra Pighium contendi, Flavium, etiamsi concederem Tribunum aliquando fuisse, Fastos tamen & legis Actiones in Tribunatu, jure Magistratus sui, proponere in albo non potuisse; fuisse enim Fastos & Actiones juris privati, de quibus nihil edicere potuerint illi Magistratus plebeji, quippe qui de caussis civilibus jurisdictionem nullam habuerint, ne quidem ultimis reipublicæ temporibus, quamvis contrarium sentiat cl. Bachius in *Hist. Jurispr. Lib. II. c.* 2. *Sect.* 3. §. 2. *in not.* ubi edicta Tribunorum pl. reperiri ait, non solum de *rebus publicis*, sed etiam *privatis caussis ac Jurisdictione*; propterea, quod ultimis reip. temporibus, propter appellationes, ad se factas, aliquam sibi jurisdictionem adrogassent, teste Livio, *Lib. XLII. c.* 32. Edicti quoque Tribunorum de appellationibus mentionem fieri apud Ciceronem *Verr. II. cap.* 41. Simpliciter ibi reposui viro cl. loca illa caussas potius spectare publicas, quam privatas, neque mihi videri Tribunos unquam civilem habuisse jurisdictionem; quam Quæstionem nunc accuratius paullo pertractare juvat. Tribunos pl. ab ipso illo tempore, quo creati primum sunt, jurisdictionem habuisse civilem, non obscure innuit Dionysius Hal. *Lib. VI pag.* 411. eodem enim, quo instituti sunt, anno cum solemniter Magistratum essent auspicati, tradit, petiisse illos insuper a Senatu, ut quotannis duos e plebe viros designarent, qui sibi subministrarent, quique lites, quas Tribuni illis commisissent, judicarent: δίκας, ἃς ἂν ἐπιτρέψωνται ἐκεῖνοι, κρινοῦντας & mox *ibid.* Aediles pl. ὑπηρέτας τῶν Δημάρχων καὶ συνάρχοντας καὶ Δικαστὰς vocatos ait. quod si namque Tribuni pl. jurisdictionem ipsi non habuissent, nescio, quomodo lites Aedilibus plebejis potuerint demandare judicandas. His temporibus, creato nondum Prætore, civilis jurisdictio erat penes Con-

ſules: tum obſervandum quoque eſt, minime eam in cauſſam fuiſſe creatos plebis tribunos, ut juri dicundo præesſent, ſed ut plebs ſuos Magiſtratus haberet ſacroſanctos, quibus auxilii latio adverſus Conſules esſet. vid. LIVIUS *Lib. II. c.* 33. conf. etiam DIONYSIUS *pag.* 409. ubi petiisſe ſcribit Brutum a ſenatu, ut liceret plebi annuos ex ſuo ordine Magiſtratus creare, *qui nullam aliam poteſtatem haberent, niſi ut plebejis, iniuriam & vim patientibus, ſuccurrerent, nec quemquam paterentur jure ſuo fraudari:* cæterum in tota illa, quæ ſatis prolixe ibi exponitur, narratione de Tribunis creandis, nullum plane veſtigium, unde colligas, poſtulasſe plebem, jurisdictionem ſecum communicari. HEINECCIUS *Ant. ad inſt. Lib. I. Tit.* 2. §. 25. Aediles pl. iusſu *Tribunorum cauſſas* LEVIORES *litesque privatas dijudicandas ſuſcepisſe*, tradit: conf. & Ritter ad Heinec. H. I. p. 109. ſq. at DIONYSIUS δίκας tantum *lites*, non vero *leviores* lites judicasſe ſcribit. cl. autem DUKER. *ad Livium Lib. III. c.* 55. §. 7. his Aedilibus tribuit, quod fortasſe de menſura jus dicere potuerint & lites inter eos, quorum opera uterentur ad expediendas res, quas multas magnasque iis commiſſas fuiſſe ſcribit DIONYSIUS, ortas componere: verum non diſtinxit probe vir cl. DIONYSII verba: namque DIONYSIUS olim quidem, cum creati ſunt, Miniſtros Collegasque Tribunorum, & judices (non *judices Tribunorum*, ut male vertitur) eſſe appellatos ſcribit; ſuo autem tempore ab officiorum uno vernacula lingua Aediles dictos, ac poteſtatem habere, ut antea, alterius Magiſtratus miniſtram, res quoque multas & *magnas iis eſſe commisſas:* ſcilicet non primo illo tempore, quo inſtituti ſunt, ſed poſtea ſua ætate. At vereor ſane, ne gravisſimus auctor temere Aediles Plebejos & Curules confuderit: nunquam enim magna adeo vel multa Aedilibus plebis commiſſa legimus, ſed Curulibus potius, qui ex quo tempore creati, illi maxima parte dignitatem & ptoeſtatem amiſerunt, & ignobiliora tantum quædam munera retinuerunt. Sed difficillimae quæſtionis eſt LIVII locus *Lib. III. cap.* 55. ubi lege Horatia, lata anno V. C. CCCIV. cautum memoratur: *ut qui Tribunis pl. Aedilibus, Judicibus, Decemviris nocuisſet, ejus caput Iovi ſacrum eſſet.* vexatiſſimus ille locus mire ſollicitos habuit Interpretes, quorum varias ſententias colle-

ge-

gerunt ibi in *Notis* cl. DUKERUS & DRAKENBORCH. conf. etiam BACHIUS *Hist. Jurispr. p.* 132. per *Judices* & *Decemviros* quinam hac lege intelligendi sint, non convenit: at judices hic non intelligi Aediles pl. ut censuit PERIZONIUS, *Diss. I. de Prætor.* §. 7. recte viderunt VV.DD.

Ab Aedilibus plebejis redeo ad Tribunos: primis temporibus jurisdictionem illos non exercuisse, nemo quod sciam, affirmat: cl. BACHIUS *Hist. Jurispr. pag.* 204. ultimis reip. temporibus non solum de rebus publicis, sed etiam de privatis causis ac jurisdictione edixisse monet, propterea quod sibi, propter appellationes ad se factas aliquam jurisdictionem arrogasent: quo refert testem LIVIUM *Lib. XLII. cap.* 32. & Edicti Tribunorum de appellationibus mentionem fieri, notat, apud CICERONEM *Verr. II. cap.* 41. At ex neutro loco quidquam pro Tribunorum Jurisdictione præsidii colligi posse arbitror. LIVIUS scribit: *Quum Tribuni militum Centuriones, sed primum quem citarent, tres & viginti Centuriones, qui primos pilos duxerant, citati Tribunos plebis appellarunt* — *cap.* 33. *Ad subsellia Tribunorum res agebatur. etc.* sed hæc caussa non privata fuit aut civilis, sed publica. Agitur enim de delectu, nec magis inde patet, Jurisdictionem competiisse Tribunis, quam isto eodem tempore Consulibus competierit; quandoquidem duo Tribuni ad Consules hujus causæ cognitionem rejicere voluerunt, ut ibidem traditur: an ergo & Consules dicemus eo tempore de privatis causis judicasse. CICERO autem nullam *edicti Tribunorum de appellationibus* mentionem facit, ut vult vir cl. Nempe narrat Orator, Verri poscenti in urbe Himera, ut vetusta sibi monumenta traderentur: restitit Sthenius; itaque ille Sthenio infensus — hortari coepit Sthenii inimicissimos, ut ei aliquid periculi crearent, criminisque confingerent — accusant Sthenium de literis publicis corruptis — Verres caussam Stenii confirmat se cogniturum — Sthenium metu judicii injusti & crudelissimi supplicii Romam profugit — dein absens Sthenius rei capitalis fit reus — absens, quin etiam absente accusatore, condemnatur. — nunciabatur Verri agitatam rem esse in senatu, etiam in concione Tribunum pl. de caussa Sthenii esse questum: *postremo me ipsum apud collegium hoc Tribuno-*

 rum

rum plebis, cum eorum omnium edicto non liceret, quemquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse caussam Sthenii — Tribunos pl. hoc statuisse, idque de omnium sententia pronunciatum esse, non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romæ esse. Nihil hic ne ullum quidem verbum videmus de *Edicto Tribunicio de appellationibus:* sed edictum memorat Tullius Tribunorum, quo nemini, rei capitalis condemnato, liceret Romæ esse; itaque Sthenium contra hoc edictum defendit Cicero apud collegium Tribunorum; caussaque illa Sthenii minime fuit privata, ut putavit BACHIUS, & dudum ante HOTTOMANNUS, in *not. ad Cic. l. l.* Sed pro jurisdictione Tribunorum plebis plura proferunt Interpretes elegantioris jurispradentiæ: SCHULTING. *ad Ulpian. Tit. VI. §. 3. Si maritus pro muliere se obligaverit, vel in rem ejus impenderit, divortio facto, eo nomine cavere sibi solet stipulatione Tribunicia.* ubi cl. SCHULTINGIUS, ut probet Tribunos jus dixisse, primo provocat ad POMPONIUM, *l. 2. §. 34. de O. J.* secundo ad GELLIUM *N. A. Lib. XIII. c. 12.* tertio ad JUVENALEM *Satyr. VII. vs.* 227. ubi cognitionem Tribuni memorat: denique addit Tribunos exercuisse jurisdictionem in subselliis, teste ASCONIO *ad Cic. Divinat. c.* 15. Quod ad locum POMPONII, ita scribit: *ergo ex his omnibus decem Tribuni plebis, Consules duo, decem & octo Prætores, sex Aediles in civitate jura reddebant.* At Iuris consultus certe non respexit liberae reip. tempora; tum etiam, cum nondum mihi satis constet de civilibus causßis judicasse Tribunos, τὰ *jura reddebant* latiori forte significatu sunt accipienda: nam & Consules hic dicuntur *jura reddidisse*, cum tamen post Prætores creatos salva libertate de rebus privatis non iudicaverint. —— GELLII locus nihil probat certi, imo fere dixerim Schultingio adversari: cum enim tradat Labeonem citatum a Tribunis, quia illi jus non haberent vocandi, GELLIUS caussam, quare jus vocandi non habuerint Tribuni, hanc tradit, quod Tribuni antiquitus creati videantur, *non juri dicundo*, nec caussis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis: unde patet Labeonis tempore cum vocationem non haberent, juri dicundo etiam non præfuisse. —— Denique JUVENAL. *l.c. Rara tamen merces quæ cogni-*

nitione TRIBUNI *non egeat.* sed *Tribuni* nomine non *plebis* Tribuni, sed *ærarii* intelliguntur. vid: ib. GRANGAEUS. ——— Tandem postremo ex Asconio docetur, Tribunos exercuisse iurisdictionem in subselliis. Ita scribit: *sunt enim subsellia Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum, & hujusmodi minora judicia exercertium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant.* Sed ibi apud ASCON. *Judicia minora exercentium* minime referendum ad *Tribunos*, ut putavit SCHVLTINGIVS, namque Tribuni majora & publica exercebant, sed hoc tantum dicit, subsellia esse minorum Magistratuum, velut Tribunorum plebis, Triumvirorum, & Quæstorum, tum etiam judicum privatorum, in subselliis res privatas & judicia minora exercentium: sic videtur cepisse quoque locum HOTOMANNVS. — Sic tribuni plebis de communi sententia Edicta proponebant v. Cic. Off. III. 20. sed non de caussis privatis. ULPIANUS itaque, ubi memorat *Stipulationem Tribuniciam*, in errore videtur versari aut vitio. Nusquam in toto jure, vel apud vetustos Scriptores *Tribuniciarum stipulationum* est mentio, sed ratione iudiciorum stipulationes dividuntur tantum in *Iudiciales*, *Prætorias*, quibus & continentur *Aedilicia*, & *Communes*. in l. etiam §. 55. *sol. matr.* et l. 25. §. *ult. eod.* quæ cum hoc Vlpiani loco conferuntur, simpliciter *stipulatio* memoratur: unde forte hic leg. *stipulatione* INITA loco τοῦ *Tribunitia.* v. d. Meulen in Hist. Pompon. de O. J. *P. II. p.* 81. ex hoc Vlpiani loco contendit, *Tribunos*, ut & *Censores*, de caussis matrimonii cognitionem habuisse. at credo aliunde non probabit: Censores autem, quibus iurisdictio nusquam tribuitur, qualem & quatenus de matrimoniorum causis cognitionem habuerint, ex Antiquitatibus satis constat, & nos alibi dicemus. EBERLINUS, p. 162. initio quidem jurisdictionem non habuisse putat, sed postea demum; quo refert POMPONIUM, tum CICERONEM in *Orat. pro Quinctio*, qui locus nihil probat pro Jurisdictione Tribunorum, tertio Auctorem *ad Herenn. Lib. II c.* 13. *judicatum est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositum. Ea sæpe diversa sunt, ut aliud alii judici, aut Prætori, aut Consuli, aut Tribuno pl. placitum sit.* sed τὸ *judicatum* non specialiter ibi de judicio privatarum caussarum, sed de quibuscumque generaliter accipiendum:

dum: ibi autem Quæstiones quoque seu publica judicia contineri patet ex *cap. præced.* Quarto profert locum ex ULPIANO, de quo jam vidi. — Van der Meulen P. II. 73. sqq. primo intercessionibus faciendis creatos Tribunos censet. pag. 77. postea Jurisdictionem tributam iis videri, eo refert. 1.) POMPONIUM. 2.) Cic. *pro Quinct.* & ad *Herenn.* quæ loca jam examinavi. 3.) *Dionys. Lib. VI.* de quo supra, quibus autem de caussis judicaverint, non adeo manifestum esse. — de tutoris datione, *pag.* 81. ex *Fragm.* ULPIANI, & LIVIO, IV. 53. qui nihil huc facit. — — Denique cl. ARNTZENIUS, Miscell. cap. 12. p. 126. initio creatos fuisse Tribunos, ut plebi contra Magistratus opem ferrent, postea potestatem crevisse, quo etiam pertineat, quod non longe post creationem eorum, illis jam datum videatur, sed deinceps etiam auctum, ut jurisdictionem quandam nonnullis in rebus habuerint: qua de re dubitaverit Grotius ob Plinii locum, Drakenborchius & Dukerus, qui provocat ad Liv. II. 35. & DIONYS. *p.* 409. sed LIVII locum parum in hanc rem probare: concedo. uti & DIONYSII locum. Utrumque enim pertinere ad primam Tribunorum institutionem, cum nondum Jurisdictio competeret illis; quæ postea accessit. 1.) probat ex POMPONIO, (vid. supra) —— p. 127. videri Tribunos non longe post primam institutionem accepisse jurisdctionem; quia DIONYSIUS dicat, Tribunos Aedilibus lites tradidisse. (sed Dionysius hoc primæ institutioni tribuit, ergo & adversatur sententiæ viri cl.) & quomodo Prætor dicitur creatus, quod nullus esset, qui in ciuitate ius dicere posset. —— 2.) jam an. 277. multæ dicendæ jus habuisse, patere ex LIVIO, II. 52. —— 3.) jus dixisse in Basilica Porcia, (sed an de causis privatis?) 4.) edicta proposuisse, (quæro, an de causis privatis?) 5.) *stipulationem Tribuniciam* memorare ULPIANUM (vid supra) 6. Non obstare locum GELLII, quia ibi dicitur *antiquitus*, (sed ostendi, illud *antiquitus* non excedere ætatem *Labeonis.*) —— 7.) ad Jurisdictionem pertinere Tribunorum jus dandi tutores. concedo. sed quæro tamen, an de Tutela jurisdictionem exercuerint, an actio tutelæ vel utilis curæ directa, aut contraria coram Tribuno institui potuerit? an etiam de suspecti crimine cognoverint? Imperator Tit. de suspect. Tut. §. 1. datum, inquit, jus removendi tu-

tutores suspectos Romæ Prætori, in Provinciis Præsidibus. Cautio, rem pupilli salvam fore, fuit quoque Prætoria, non Tribunicia. Sed concedamus quoque Tribunos jussisse hoc caveri, atque ita stipulationem Tribuniciam Prætoriis contentam esse. Sed an Tutores dati a majoribus magistratibus satisdabant? minime! vid. Tit. Inst. de satisdat. — Itaque jurisdictio Civilis, seu de caussis privatis, non competiit Tribunis plebis. Sed de caussis criminalibus Iurisdictionem forte habuerunt. An Quæstionibus & criminibus publicis præfuerint, alia quæstio est.

Ad pag. 164. lin. 18. Quo de cognomine *Centummani* non tantum nihil constat in gente Claudiorum, sed prorsus in omni Historia ignotum est. Varia commenti sunt Interpretes, quos vide, Bynkershoekium, qui *Centummani* cognomen defendit, aliosque, ad Pomponium. Conf. Biographi Ictorum, & Almeloveenius ad Fastos pag. 229. Scripsisse credo Pomponium: *Hic* CAECUS *appellatus est.* isto enim cognomine inprimis insignis fuit, eaque nova ἐπιλήσει ex cæcitate ei inposita, cognitus in Annalibus, obliterato pristino cognomine familiæ *Crasso*. Crassi cognomen habuit hereditarium, sed id quidem nova ἐπικλήσει obliteratum. Crassi nomen in Tabulis Capitolinis quoque non extat: unde verosimile est, non in senectute primum id assumsisse, sed potius in Censura iam ante. Monstrum vero nominis *Centemmanus* natum arbitror ex Glossemate marginali & ab imperitissimo profectum librario: nempe Glossator ἀναχρονισμὸν ipsius Pomponii sequutus, computantis §. 6. in fin. inde Xviris ad App. Claudium annos prope centum, in margine notare voluit hujus Appii Cæci ætatem: itaque in margine e regione verborum *post hunc* adscripsit *centumannos*, nempe *post hunc* (Appium Xvirum) *centum annis* vixisse Appium Claudium Cæcum. Imperitus vero scriba pro cognomine arripiens illud glossema, expunxit cognomen *Cæcus*, ejusque loco in contextum intrusit *Centummanos* vel *Centemmanus*, aut simile.

Ad. Pag. 175. lin. 21. sequ.

Revocat me PLUTARCHUS, quocum superioribus locis sæpe nobis res fuit, & multa controversia, ut, quæ ibi contra eum disputavimus, cummaxime paullo clarius collustremus, mentemque nostram exponamus accuratius. Cui iteratæ disquisitioni commode occasionem mihi

 præ-

præbuerunt dubia quædam, meæ ſententiæ obmota a Cl. Anteceſſore Trajectino, MEINARDO TYDEMANNO, viro multiplici eruditione & linguarum peritia conſpicuo, quocum mihi, cœpta a teneris annis irrupta intercesſit amcitia, & cum ætate accreſcit ſimul. Nempe correctioni ſupra propoſitæ non nihil dubii obmovit vir eximius in *literis* ad me datis *Trajecti ad Rhenum A. D. IV. Kal. Januar.* CIƆIƆCCLXXVI. — „ Dubito, inquit, an recte PLUTARCHI locum emendes, p. 176. — „ Illum ita capio, ut opinionem propoſitam triplici refellam argumen- „ to: 1) dies Allienſis ne quidem poſtridianus erat. 2.) Si quis dies „ ater ſit, is ipſe ſolus religioſus habetur, ſed nullo modo ad alios „ menſes porrigitur omnes: ex. gr. pone, pridie Idus Sextiles atrum „ eſſe diem; hinc nullo modo factum fuit, ut in omni menſe dies „ *pridie Idus* religioſus haberetur (hic autem erat ἡμέρα ὁμώνυμος) 3.) „ Quantumvis poſtridie Idus ad Alliam eſſet pugnatum, quo modo „ tandem hinc ad dies Kalendarum & Nonarum poſteros pervenire „ religio potuit? —— Tu vide. —— Quem ad modum Tu le- „ gis & exponis, dicendum videtur; 1.) non alios dies atros ha- „ bitos fuiſſe, præterquam poſteros Kalendarum, Nonarum, Iduum: „ ſic neque Allienſis, neque Cannenſis, neque alius ater fuit. 2) „ Illos dies poſteros atros existimatos eſſe loco dierum aliorum quo- „ rumvis, ad quos proprie clades aut religio pertineret —— Hoc „ utrum PLUTARCHUS voluerit, atque utrum ita Romae locum habu- „ erit, equidem dubito maxime. — *Pag.* 175. vide, placeatne in „ PLUTARCHO legi: προταίνειν, ὥσπ. Φ., π. τὸ ἔθος καὶ ἡ δυσιδαιμονία „ κατέστησεν, κ. τ. λ. h. e. *protenſus, ut fieri ſolet ulterius mos & „ ſuperſtitio conſtituit, ut, rel.* —— transpono καὶ, & προταίνειν a „ προτείνω forſan fieri poſſet, ſi ἔταιον, ἐτάμην, in uſu fuit, unde τα- „ νεὶς, ut ab ἐτύπην, τυπείς· ſic conſtare ſibi ſententia videtur. Tu „ judica." ——

Ad haec ut rite atque ordine reſpondeam, quod certo ſcio, virum amicisſimum haud aegre laturum eſſe, non nihil ex capite proxime praecedenti hic eſt retractandum nobis, ut conſtet aperte, quid voluerit & in quo erraverit Chaeronenſis, tum deinde oſtendam, dies tantummodo poſtridianos religioſos eſſe exiſtimatos Romanis, non quidem

dem ob cladem acceptam, ſed propter ſacrificia, belli gerendi gratia, iſtis antea diebus inauſpicato celebrata. Secundo, nullos plane dies vere atros religioſosque habitos fuisſe, praeterquam poſtridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, ut adeo neque dies Cremerenſis, neque Allienſis, neque Cannenſis, neque quisquam alius, graviore licet clade notatus iſtorum numero dierum contineretur. Ac denique inquirendum etiam erit uberius in varias cauſſas, a PLUTARCHO relatas, quibus ipſe inductus ſibi perſuaſit, aliunde potius dierum poſtridianorum, religionem, quod eſſent ἀνέξοδοι καὶ ἀπεκδήμητοι, repetendam; ex quibus tandem conſtabit nobis, PLUTARCHUM in tota, quam propoſuit *Cap. XXV.* Quaeſtione miſerrimum in modum quadrata miscuisſe rotundis, ac ſapuisſe prorſus οὐδὲν ὑγιές. — Jam pridem vetus religio dierum, olim ſacro iure per Pontifices introducto, PLUTARCHI aetate in deſuetudinem abierat; ut patet ex ipſis *Faſtorum Tabulis*, in quibus dies poſteri Kalendar. Nonar. Iduum promiscue vel *faſti*, vel *nefaſti*, vel *comititales* notantur, quales esſe non poterant, ſi vere adhuc atri religioſique fuisſent, homines tamen ſuperſtitioſi etiam tum & deinceps hosce dies obſervare ſolebant, atque evitare praeſertim, ne quo die poſtero iter facerent: vid. AUGUSTINUS *in Expoſit. Epiſt. Paulli ad Galat. C. IV.* ubi *nunc autem*, inquit, *innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt: die poſt kalendas non proficiſcor:* Conf. idem *Epiſt.* 119. unde hi dies κατ' ἐξοχὴν dicti ἀνέξοδοι καὶ ἀπεκδήμητοι.

Locum PLUTARCHI, de quo agitur, videſis ſupra *Cap. V.* §. 1. *pag.* 173. productum a nobis, & *pag. ſqq.* paucis illuſtratum atque expoſitum. Quaeritur iſthic, *quare poſtridie Kalendas, Nonas & Idus non liceat urbe exire aut peregrinari?* Utrum ideo, quod, ut teſte Livio plerique arbitrati ſint, cum poſtridie Idus Quinctiles Tribuni militum ad Alliam flumen proelio victi esſent a Gallis, Urbemque amiſisſent, eum propterea diem pro religioſo judicatum eſſe, deinde ſuperſtitio morem ulterius extenderit, eidemque religioni adſtrinxerit quoque, praeter poſtridie omnes Idus, poſtridie omnes Nonas, & Kalendas? an vero potius *etc.* ſequitur non una PLUTARCHI coniectura, quas infra examinabimus. Animadverti *Pag.* 174. & *pag.* 186. *ſq. Plutarchum* in referen-

renda aliorum ſententia ob oculos habuiſſe haec Livii, quem nominatim citat, verba: *Quidam quod poſtridie Idus Quinctiles non litasſet Sulpicius, Tribunus Militum, neque inventa pace Deum, poſt diem tertium objectus hoſti exercitus Romanus eſſet, etiam poſtridie Idus rebus divinis ſuperſederi juſſum; inde, ut poſtridie Kalendas quoque ac Nonas eadem religio eſſet, traditum, putant.* Quibus ex verbis, ſive, quod ipſe Livius, ut ego ſuſpicabar, τὰ *poſt diem tertium*, ut minus neceſſaria, praetermiſerit, ſeu vitioſo codice uſus, ubi ea deſiderabantur, hanc ſibi rite viſus eſt colligere plerorumque ſententiam, ac ſi illi ſtatuiſſent, ipſo die poſtridie Idus, quo litatum eſt, non inventa pace Deum, objectum eſſe hoſti exercitum Romanorum Urbemque a Gallis expugnatam: quam ob cladem primum is dies poſtridie Idus ſingulis menſibus pro religioſa haberi judicatum eſſet, deinde etiam ſuperſtitio eam rem extenderit eademque religione involverit poſtridie quoque omnes Kalendas & Nonas. Hoc autem, quo magis animum ſuum induxerit Plutarchus, quosdam voluiſſe, praeter Livii locum, alii etiam Auctores, haud accurate ſatis diem inauſpicati ſacrificii a die tertio poſt, quo proelium ad Alliam accidit, diſtinguentes, in cauſſa fuiſſe videntur: vid *ſupr. p.* 187. *ſq.* Huic ergo ſententiae, falſo perceptae ex Livii aliorumque verbis, tria dixi, Plutarchum oppoſuiſſe argumenta: primo, quod clades ad Alliam non ipſo poſtridie Idus Quinctiles, ſed alio, acciderit die, ſeu, diem Allienſem ne quidem poſtridianum fuiſſe. Secundo, quod Romani, cum multos habeant dies atros, id eſt tales, qui clade aliqua inſigni vel calamitate publica notati ſint, eos quidem ſingulos non obſervent, eo quotannis tempore, ſeu eo menſe & die, quo antea clades eſſet accepta, ſed eosdem plane dies poſtridie Kalendas, Nonas Idus ſingulis menſibus religioſos habuiſſe. Ac denique tertio ex praemiſſis concludit, prorſus vero ſimile non videri, ideo, quamvis re vera clades Allienſis poſtridie Idus Quinctiles accidiſſet, eam rem, nulla interveniente aliarum cladium cauſſa non tantum poſtridie omnes Idus, ſed & poſtridie omnes Kalendas pariter ac Nonas eadem involviſſe religione, ita ut ſingulis menſibus illi dies poſtridiani eſſent atri ac funeſti. Quod ad primum ac poſtremum argumentum Plutarchi, probe mihi cum ami-

amicissimo Tydemanno convenit: in secundo non nihil est discrepantiae; unde dubitavit, an recte locum emendaverim: haec sunt verba :καὶ πολλῶν ἀποφράδων ουσῶν, ὐκ ἐν παντὶ μηνὶ τὰς ὁμωνύμους παραφυλάττουσιν, ἀλλὰ ἑκάστην, ἐν ᾧ συνέτυχε· Suspicatus sum *pag.* 176. negativam particulam οὐκ ex sequenti versu in priorem a Librariis incommode transpositam fuisse, legendumque videri hoc modo: καὶ πολλῶν ἀποφράδων οὐσῶν, ἐν παντὶ μηνὶ τὰς ὁμωνύμους παραφυλάττουσιν, ἀλλ᾽ οὐχ ἑκάστην, ἐν ᾧ συνέτυχε· *cum autem multi sint dies atri, omni mense observant dies eosdem* (ὁμωνύμους) *non vero unumquemque diem mense eo, quo clades accidit.* Itaque sic capio hunc locum. Plerique Auctores ex mente Plutarchi caussam religionis, quare dies postridie Kalend. Nonas & Idus fuerint ἀνέξοδοι καὶ ἀνεκδήμητοι, inde repetierant, quod postridie Idus Quinctiles Tribuni Militum Urbe egressi eodem die ad Alliam a Gallis essent superati, ob quam deiceps cladem non tantum is dies postridie Idus Quinctiles aliorumque mensium, sed & postridie omnes Nonas, Kalendasque, ex æquo fuerint atri; adeoque unum istum diem cladis Alliensis, quo infelici omine Tribuni Mil. Urbe egressi a Gallis ad flumen Alliam superati sint, caussam esse habendam, quare nullis diebus postridianis urbe exire non liceret aut peregrinari.

Reliqua defuerunt. Id solum alicubi schedis adleuit Vaasſenus, sibi quidem placere Clar. Tydemanni προῆκεν, *sibique iam olim in mentem venisse* προσαινει *extendit, sed malle tamen se* προστεταχεν *reduplicatione in augmento perfecti temporis unde* προσέταχεν *est*, iussit, *idque expressum ex Livio, quem ob oculos habuit, vbi* iussit.

In aliis Schedulis hæc sparsim adnotata reperi, quæ sic in ordinem redigi possunt:

Nondum ego *Plutarchum* dimitto, quippe Scriptorem multis maximi habitum, adeoque probatum, ut vnum fere omnibus præferant, cuique cum *Platone* ob merita apud posteritatem Euchaitarum Metropolita Joannes, si cuiquam ex gentilium sapientibus æternorum venia

ſuppliciorum ſperanda ſit, eam a Chriſto ſe expetere, profiteri non dubitauerit. vid. FABRICII *Biblioth. Græc.* Tom. III. p. 331. Hanc autem propoſuit quæſtionem: *Cur poſtridie Kalendas, Nonas, & Idus vrbe exire aut peregre proficiſci non liceat.* Poſteaqvam ſcilicet GELLII, HEMINÆ, VERRII, aliorumque complurium opinioni ab LIVIO relatæ, indeque, ſed infeliciter, exceptæ, tria potisſimum oppoſuiſſet argumenta, primo qvod clades ad Alliam, non, vt illi velint, poſtridie Idus Qvinctiles, verum alio accidiſſet die; tum ſecundo, quod Romani, cum multos habeant dies atros, eos quidem ſingulos non obſervent eo quotannis tempore, eoque menſe, & die redeunte, quo clades antea accepta ſit, ſed eosdem plane dies homonymos poſtridie nempe omnes Kalendas, Nonas, Idusque quibusuis menſibus: ac denique tertio, quod prorſus vero ſimile non fiat, ideo, quod clades Allienſis poſtridie Idus Quinctiles acciderit, nulla interveniente cauſa aliarum calamitatum publicarum, eam rem, non tantum poſtridie omnes Idus, ſed et Kalendarum Nonarumque cunctos dies poſteros eadem inuolviſſe religione, vt toto anno illi dies ex æquo atri eſſent ac funeſti. Deinde continuo meliorem, vt putat, religionis horum dierum cauſam indagaturus qværit, an non potius Romani véteres, qvemadmodum primum menſem Diis coeleſtibus ſacrum fecerint, ſecundum vero Manibus, quo nimirum menſe & luſtrationes quasdam peragerent, & defunctis parentarent, ſic pariter ſingulis menſibus dierum quaſi initia quædam ſtatuerint tres illos dies cuiuscunque menſis, Kalendas nempe, Nonas, atque Idus, cumque eos dies feſtos eſſe voluisſent, & Diis ſuperis dedicatos, his prximos dies Dæmonibus, Defunctisque tribuisſe videantur, eosque fore atros impeditosque ad ſuscipienda negotia, vel iter ingrediendum (ἀποφράδας, καὶ ἀπεράντους) iuſſisſe. quam deinde opinionem, ut faciat probabiliorem, Græcos ita pariter, memorat, cum Neomeniis ſuis Diis rem facerent divinam, proximum tribuiſſe diem Dæmonibus, atque Heroibus. Tunc hoc vtitur argumento. Omnino tempus eſt quidam numerus: numeri omnis principium ſacrum eſt. principium vero numeri est unitas. ergo omnis unitas ſacra eſt. Contra numerus binarius, ſive dualis, qui unitatem proxime ſequitur & principio oppoſitus eſt, primus eſt numerorum

pa-

parium: omnis autem par numerus imperfectus, & mancus, atque indefinitus est. contra autem impar numerus definitus est ac perfectus, quapropter & Nonas quinto post Kalendas die, Idus autem nono die post Nonas reposuisse veteres, existimat: atque adeo impares numeros definire principia, qui vero principia insequantur, numeros pares neque ordinem habere, neque eam vim: indeque colligit caussam, quare his diebus, qui pari sint numero, neque negotium aliquod suscipiendum, neque ingrediendum iter censuerint. Porro, ut sententiam exemplo illustret, interponit illud, quod de *Themistocle* circumfertur dictum: diem aliquando *posterum* (τὴν ὑστεραίαν πρὸς τὴν ἑορτήν) cum festo die litigasse; die quidem postero, seu nefasto contendente, se multum habere negotii atque laboris, ipsam autem hoc præstare, uti otiose & quiete perfruantur homines iis, quæ ad festum diem essent comparata: tum vero festum diem respondisse: vera dicis: at si ego non fuissem, neque profecto tu esses usquam. Qua usus fuerit *Themistocles* parabola adversus iuniores quosdam Atheniensium Duces, qui rebus prospere gestis se illi præferendos censerent, significans, nunquam eos fuisse exstituros, nisi ipse conservasset Urbem; Conf. idem Plutarchus in Libr. de Fortuna Romanor. pag. 237. ubi eadem illa de Themistocle repetit. Ac denique postremo hanc addit coniecturam: an non Romani veteres, si quidem omnis profectio & res seria apparatum desideret ac dispositionem rerum domesticarum, festis diebus, præterquam Deorum sacris, nullius rei curae intenti, haud abs re fecisse videantur, quod statim proximo post ferias die iter ingredi aut quidpiam negotii suscipere noluerint, quippe nondum parati; sed domi potius illum diem excogitandis apparandisque iis, quæ usui forent, impendisse: an vero, quo modo sua ipsius adhuc ætate obtinuerit, ut homines, postquam votum solvissent atque adorassent Deos, in templis aliquantisper sedere ac commorari soliti essent, sic Romani quoque sacris diebus non statim subiicere negotiosos, sed aliquid intercedere intervalli voluerint, quoniam inter agendum multa saepe molestiis plena præter opinionem eveniant? Hactenus Plutarchus. Qui non quadruplicem, vt Xylander coniicit, hoc loco de atrorum dierum causis proponit sententiam, sed duplicem tantummodo, vtrum nempe postridie omnes Kalendas, Nonas, Idusque religiosi fuerint dies iudicati, eo, quod postridie

die Idus Quinctiles male ad Alliam pugnatum sit: cui priori sententiæ sua obmovet dubia, an vero, quod probabilius ipsi videtur, h potius dies fuerint atri, ineptique ad agendum quod sacris festisque diebus proximi tribuerentur Diis Manibus? Singula breviter κατὰ πόδα sub examen revocata confutabimus: unde patebit, ni fallor, illum tum latini sermonis imperitia, quam ipse alibi non dissimulat, tum veteris historiae & antiquitatis ignorantia haud leviter impegisse. Quod ad quæstionem ipsam attinet, quare non licuerit Romanis postridianis diebus iter ingredi, aut peregre proficisci; illud quæro, utrum de sua ætate referat morem, an prisci temporis? credo, suam potius aetatem respexisse; nam olim posteri Kalendarum, Nonarum, Iduumque dies atri & religiosi instituti sunt a Pontificibus, eum præcipue in finem, ut rebus divinis supersederetur, vid. GELLIUS, HEMINA ac VERRIUS: cæterum superstitio ad alia quævis negotia extendit; atque inde factum, ut cadentis reipublicæ temporibus, abrogata jam usu dierum istius modi religione publica, nihilo privata superstitio illa animis hominum nunquam potuerit evelli, sed ad PLUTARCHI ætatem permanserit, imo ulterius ad ipsos quoque Christianos sit producta: — Primum PLUTARCHI argumentum, cladem Alliensem non accidisse postridie Idus Quinctiles, sed alio die, supra jam refutavimus, alterum ac tertium quæ opposuit argumenta, paullo post, ubi vetustiorum confirmabimus sententiam, tangemus, cummaxime ipsius sententiam, probationes & conjecturas examinaturi. Romanos, ait, uti primum anni mensem Dis Cœlestibus, secundum vero Inferis & Manibus tribuerint, ita pariter tres dies illos, Kalendas puta, Nonas, atque Idus, tanquam initia quædam dierum videri constituisse, & sacros esse voluisse; his autem proxime sequutos dies Dæmonibus tribuisse ac defunctis, seu Diis Manibus, eosque atros forte ineptosque ad quævis negotia jussisse. Sed haec coniectura μὲν ἔχει πολλὰς ἀντιλογίας & prorsus infirmo tibicine nititur. Primum enim anni mensem, quamvis ex mente PLUTARCHI hic & *cap.* 29. concedam fuisse Januarium; Februarius tamen olim ex Numae ordinatione, a quo sacra Diis Manibus in hunc mensem relata sunt, non fuit secundus mensis, sed ordine postremus anni totius: vid. OVIDIUS *Lib. II. Fastor vs.* 47. *sqq.*

seq. unde &, ordine mensium a Decemviris mutato, D. Brutus, non mense Februario, ut institutum erat, sed Decembri mortuis parentari erat solitus, quia tum is mensis anni postremus; vid. CICERO *de Legg. Lib. II. cap.* 22. quem locum noster Chaeronensis ob oculos habuit in *Quæst. Rom. cap.* 34. mira tamen ἀβλεψίᾳ in eodem hærens luto, ratus nempe, Februarium secundum in anno locum obtinuisse, frustra operam ludit, neque expedire potuit quæstionem, cur is Brutus contra morem Decembri mense parentaretur mortuis? —— Deinde observandum, Februarium, licet eo mense per aliquot dies sacra Manibus persolverentur, justaque fierent, & lustrationes, unde nomen mensi datum, non minus tamen quam alios Dis superis sacratum, inque cœlestis Dei tutela fuisse, quod docent nos *Fasti* Romanorum *Rustici Farnesiani* & *Vallenses*, in quibus utrisque diligenter notatum, cujus in tutela Numinis singuli menses fuerint: eoque refert SAUBERTUS de *sacrificiis cap.* 4. *pag.* 69. vetustissimam, ut putat, Inscriptionem, quae singulos recenseat Deos, quibus singuli menses essent sacrati,

TUTELA MENSIUM

IANUARI.	IUNO.	IULI.	JUPITER.
FEBRUARI.	NEPTUNUS.	AUGUSTI.	CERES.
MARTII.	MINERVA.	SEPTEMBRIS.	VOLCANUS.
APRILIS.	VENUS.	OCTOBRIS.	MARS.
MAI.	APOLLO.	NOVEMBRIS.	DIANA.
JUNI.	MERCURIUS.	DECEMBRIS.	VESTA.

At misere sibi passus est imponi bonus ille SAUBERTUS; nam titulus iste mensium complexus tutelam, quem nobis venditat, ut genuinum atque ex vetusto Lapide exscriptum, ex memoratis *Rusticorum Fastis* ita fuerat consarcinatus a BOXHORNIO *ad Plutarchi Quæst. Rom. cap.* 76. Tum egregie etiam errat idem SAUBERTUS, quando ex *Fastis Rusticis* & ficta illa vel consuta Inscriptione docere conatus est, quibus Diis singuli menses essent *sacrati*; aliud enim erat in cujusdam

 Dei

Dei *tutela* esse, aliud Deo *sacrum* esse; ut vel inde constat solo, quod *tutelam* Decembris *Fasti* tribuant *Vestæ*, cum tamen idem mensis MACROBIO teste *Lib. I. Saturn. c. 7. Saturno* fuerit *sacer:* nunc morari non licet, ubi cum PLUTARCHO nobis res est. Ipse secum quodammodo pugnantia scripsisse videtur, cum hic affirmet Februarium Diis Inferis & Manibus sacratum fuisse, & *cap. 76. Quaest. Rom.* tradat, ut Jovi universus annus, sic pariter Junoni totius anni cunctos menses fuisse consecratos. —— Kalendæ apud Romanos, Nonæ, Idusque non adeo, ut PLUTARHUS affirmat, dierum initia, τῶν ἡμερῶν ἀρχαὶ, fuerunt, unde quemadmodum Græci, a quo termino dierum numerationem inciperent, sed ratione plane diversa computabant dies, Kalendas, Nonas & Idus dicentes, tanquam dierum finem ac terminum ad, quem, adeo ut *tertio die Kalendas Januar.* non sit tertius dies Januarii, sicuti apud Græcos τρίτη ἱσταμένου, sed tertius dies ante Kalendas Januarias. Cæterum omnino hic, ut sæpe alias, PLUTARCHUS Romanæ Antiquitatis imperitia mores utriusque populi confundit, qui in multis sæpe in diversa abierunt; nam, ut modo dixi, aliter Græci computabant in mense dies, aliter Romani, sic pariter utrorumque commiscet sacra. Græci enim, cum Neomeniis Dis Cœlestibus rem sacram facerent, postridie autem Heroibus ac Geniis, seu Dæmonibus fuit quidem dedicatum; at non item obtinebat apud Romanos, ut postridie Kalendas, Nonas, vel Idus sacrificaretur Dis Inferis, quippe quibus posteris diebus, cum essent religiosi & atri, parentari non poterat, teste ipso Pontifice Fabio Max. Serviliano apud MACROBIUM *Lib. I. Saturn. cap. 16. quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominari atro die non oportet:* eaque caussa est, quod Feralium dies, qui mense Februario habentur, plane a die postridiano fuerint remoti, ut hodie etiam, & ex *Fastorum Tabula Maffeiana*, atque ex OVIDIO cognoscimus, quem vid. *Lib. II. Fast. vs.* 567. —— Argumento, quo usus est noster, de sacro unitatis numero, deque numero duali imperfecto & ominoso, ut inde quoque caussam repetat, quare religiosi fuerint dies Kalendis, Nonis, Idibusque proximi, quaque in re Græculos aliquot sequaces habuit, plura possem respondere, ni prolixiori excursu ea res longius ab instituto nos revocaret, quam ob rem & ista reservabimus

loco,

loco commodiori. —— Exemplum, quo ſententiam illuſtrare conatur, ſeu Parabola *Themiſtoclis* de contentione poſteri diei cum feſto (τῆς ὑστεραίας πρὸς τὴν ἑορτὴν) nihil huc quadrari, ſed ſuæ ſermonis Latini imperitiæ egregium nobis præbet documentum & rerum Romanarum ruditatem atque inobſervantiam prodit. Refert ſane inter alia prouerbium illud a *Themiſtocle* ortum: ᾗ καὶ τὸ τῦ Θεμιστοκλέυς ἔχει λόγον· *quo et illud pertinet Themiſtoclis.* quare cum *Xylandro* articulus ᾗ mini me oportet mutari in ᾧ. In verbis autem, quibus proxime *Themiſtoclis* dictum exponit præter auctoris mentem, quamuis ipſe parum bene intellexerit, & male applicuerit, errore librariorum aliquid vitii reſediſſe arbitror, indeque ab interpretibus male accepta & tranſlata. Sic autem legitur: ᾗ καὶ τὸ τῦ Θεμιστοκλευς ἔχει λόγον. ἐρίσαι ποτὲ τὴν ὑστεραίαν πρὸς τὴν ἑορτὴν, ἐκείνης μεν ἀσχολίαν καὶ κόπον ἐχύσης πολὺν, αὐτὴ δὲ παρέχυσα μετὰ σχολῆς καὶ ἡσυχίας ἀπολαῦσαι τῶν παρεσκευασμένων πρὸς τὴν ἑορτὴν. κ. τ. λ. Interpretes XYLANDER & PETRUS LUCCENSIS illa ἐκείνης μὲν ἀσχολίαν, καὶ κόπον ἐχύσης πολὺν, referunt ad diem feſtum, haec autem αὐτὴ δὲ παρέχυσα μετὰ σχολῆς καὶ ἡσυχίας ἀπολαῦσαι τῶν παρεσκευασμένων ad diem ὑστεραίαν ſeu poſterum. At mea quidem ſententia perperam omnino. Quo enim modo feſtus dies dici poteſt ἀσχολίαν ἔχειν καὶ κόπον πολὺν, *nihil habere otii, ſed multum laboris*, cum vacuus ſit, quietus, omniſque negotii profani ac litium fugitans, quippe ἡμέρα ἄπρακτος, & contra, qui poterit dies poſterus, ſeu profeſtus, qui negotioſus eſt, atque ἔνεργος, dici otium præbere et facultatem per quietem fruendi iis, quæ ad feſtum diem eſſent comparata. In iſto enim *Themiſtoclis* exemplo contentio memoratur inter diem *feſtum* ac *profeſtum*, non vero, ut *Plutarchus* accepit, inter *feſtum* diem atque *religioſum*, ſeu *atrum*. Nam *feſtum* diem & *ſacrum*, qui requietem poſtulat, & *vacuus* propterea appellatur *Cic Act. Verr.* I. cap. ult. qui ſequitur dies *profeſtus*, qui hominum negotiis proprius eſt, (unde *Tacitus ſacris* diebus oppoſuit *negotioſos* XIII. Ann. 41.) recte dicere poteſt, ſeſe habere multum negotii atque laboris (ἀσχολίαν καὶ κόπον ἔχειν πολυν) non vero illud ater dies & religioſus, qui et ipſe die festo amplius ἄπρακτος erat, minuſque idoneus rei ſiue publicæ ſeu privatæ adminiſtrandæ fuit. Senſus itaque prouerbii *Themiſtoclei* plane contraria flagitat, ut priora illa ad diem profeſtum pertineant, poſteriora autem feſto tribuantur diei,

ita ut dies profeſtus cuncta illa locutus eſſe fingatur, et hoc modo ſcripſerit *Plutarchus*: ἐρίσαι ποτὲ τὴν ὑστεραίαν πρὸς τὴν ἑορτὴν· ἐκείνης μὲν ἀσχολίας καὶ κόπου ἐχούσης πολὺν· αὐτὴν δὲ παρέχουσαν μετὰ σχολῆς καὶ ἡσυχίας ἀπολαῦσαι τῶν παρεσκευασμένων πρὸς τὴν ἑορτὴν, *contendisſe quondam diem profeſtum cum die feſto* (ἐκείνης μὲν, ſcilicet λεγούσης, aut ſimili intellecto verbo ex præcedenti ἐρίσαι, vel ipſo illo ἐριζούσης) *illo* (nempe *profeſto die*) *dicente, dum ipſe baberet plurimum negotii ac laboris, illum* (puta *diem feſtum*) *id tantummodo præſtare, ut poſſint homines cum otio & quiete perfrui, quæ* (die *profeſto*) *comparata ſint ad diem feſtum.* Veriſſimam hanc eſſe correctionem noſtram probat maxime ipſa huius loci ſententia & ratio. Cum enim feriarum feſtorumque dies duplici de cauſa eſſent introducti, ob ἱεροποιίαν & ἄνεσιν, praeterquam rei divinae & ſacris publicae laetitiae erant dicati, atque adeo homines feſtis diebus ſolebant genio indulgere, ex iis, quae diebus profeſtis ſibi negotiis aut labore acquiſiviſſent, quo illud pertinet *Plautinum*, *Aulul.* II. VIII. 10. *Feſto die ſi quid prodegeris, profeſto egere liceat, niſi peperceris.* Atque ita demum parabola optime congruet menti *Themiſtoclis.* Nam uti dies feſtus altercanti profeſto diei et contendenti, propterea ſe praeponendum eſſe, quod numquam vacuus, ſed negotioſus eſſet, dum ille operis ac laboris quietem praeberet, utque poſſent homines per otium frui, quae multo ſuo labore eſſent comparata, reſpondit: ἀληθῆ λέγεις, ἀλλ' ἐμοῦ μὴ γενομένης, οὐκ ἂν σὺ ἦς. *Vera dicis, at ſi ego non fuisſem, neque ſane tu fores uſquam:* Sic pariter *Themiſtocles* ducibus, qui poſt eum fuerunt, πρὸς τοὺς αὖθις, vel ὑστεραίους στρατηγοὺς gloriantibus, ſeſe ipſi praeferendos, quod plus ſuſcepiſſent negotii pro republica, dum ille praeſtitiſſet tantum, ut ciuitas domi per otium & tranquille viueret; repoſuit: vera dicitis, at vero, ni ego ſervasſem urbem, vos non exſtituri fuiſſetis, neque foris cum hoſte praeclare rem gerere potuiſſetis. Quam addit continuo conjecturam, an non Romani veteres, ſi quidem omnis profectio & res ſeria apparatum deſideret, recte feciſſe videantur, quod ſtatim poſt feſtum diem iter ingredi noluerint, quippe imparati; prorſus vanam exiſtimo atque inanem: nam poſſim vel ſexcentis & amplius exemplis docere, ſi opus eſſet, Romanos nihil de profectione

ſol-

follicitos fuiſſe alterius rei feriae agendae die eo, qui feſtum ſequebatur: cur vero pridie ante diem feſtum non poſſet quis rite comparare ea, quae profectioni, poſtridie poſt feſtum diem inſtituendae, uſui forent, alque ita ingrediendo itineri paratus eſſe? — fed miſere confundit rurſum Chaeronenſis Romanorum inſtituta cum Graecorum moribus plebis ſuperſtitioſae, quae ſolita eſſet, poſteros feſtorum dies ludendo & otiando concelebrare, eos dies appellitantes ἐπίβδας, qua de conſuetudine memini ſupra me notare aliquid *Cap. I.* §. 3. *p.* 16. — Denique poſtremo, quod homines obſervat ſuae aetatis ſuperſtitioſulos, poſtea quam votum fecisſent atque adoraſſent, in templis adhuc conſueviſſe aliquantisper morari & ſedere; ac ſimiliter Romanos videri aliquid intervalli propterea voluiſſe relinquere poſt diem feſtum, dum iter pararent, vel rem feriam ſuſciperent, ne in ipſo itinere auc inter agendum imparatis quid male praeter opinionem obveniret, eaque de cauſſa festis diebus non continuo ſubjeciſſe negotioſos. Hæc autem dum ſcribo & inveſtigo diligentius duobus aliis in locis idem illud *Themiſtoclis* dictum invenio *Plutarchum* retuliſſe, prior eſt in Libro de *Fortuna Romanorum* p. 320. oper. T. II. E. ubi his verbis rem memorat: ἔφη τὴν ὑστέραν ἐρίσαι πρὸς τὴν ἑορτὴν, λέγυσαν ὡς ἐκείνη μὲν ἐστὶ κομπώδης καὶ ἄσχολος, ἐν αὐτῇ δὲ τῶν παρεσκευασμένων ἀπολάυουσι μεθ᾽ ἡσυχίας. τὴν ὖν ἑορτὴν εἰπεῖν, Ἀληθῆ λέγεις, ἀλλ᾽ ἐμῦ μὴ γινομένης, πῦ ἂν σὺ ἦσθα. &c. Alter locus eſt in *vita Themiſtoclis T. I. pag.* 267. ed *Bryani* τῇ ἑορτῇ πρὸς τὴν ὑστέραν ἐρίσαι, λεγούσαν ὡς ἐκείνη μὲν ἀσχολιῶν τε μεστὴ καὶ κοπώδης ἐστὶν ἐν αὐτῇ δὲ πάντες ἀπολάυουσι τῶν παρεσκευασμένων σχολάζοντες. κ. τ. λ. ubi quoque minus accurate & contra Themiſtoclis mentem vertitur hoc modo: *cum feſto altercans dies poſterus jactavit illum laboribus & ſudoribus districtum eſſe, ſe vero fruenda præbere feriantibus apparata etc.* cum omnino vertendum ſit: *cum feſto die poſterum* (ſive *profeſtum*) *contendiſſe, dicentem, quod ipſe quidem negotiorum plenus & laboribus diſtrictus eſſet; illo autem* (die feſto) *omnes frui iocando quæ eſſent comparata.* Cæterum tria hæc loca invicem collata alius alii lucem affundit, probantque poſteriora, in priore loco recte ſe habere noſtram emendationem atque explicationem. Τὴν ὑστέραν vel ὑστεραίαν PLUTARCHUS male con-

fudit cum *die Postero*, ut Romani scriptores vocant, qui religiosus proprie erat, vel ater, ut *supra* animadvertimus, quod quantum a Themistoclis mente alienum, nemo non facile intelligit: summus autem HEMSTERHVSIVS in doctissima observatione, quam secum communicatam *Notis ad* TIMAEI *Lexicon Platonic.* inseruit acutiss. Criticus D. RUHNKENIUS, *pag.* 67. τὴν ὑστέραν vel ὑστεραίαν exponit τὴν μεθέορτον putatque ejusmodi diem intelligi, quos Græci dicunt ἐπίβδας, quosque dies proxime ferias sequutos plebs tanquam festivitati dicatos per lusum concelebrare solita esset. At si nobis a tanto viri nomine dissentire liceat, quod equidem non facio, nisi debita cum modestia & pudore, inter τὰς ἐπίβδας seu μεθεόρτους & τὰς ὑστέρας seu ὑστεραίας aliquid intercedere discriminis crediderim. Post largam messem, ab excellentissimis viris ex veterum monumentis de ἐπίβδαις collectam ad *cit.* TIMAEI *loc.* nobis adhuc spicilegium aliquod relictum est. Rectissime observat cl. RUHNKENIUS τὰς ἐπίβδας Grammaticos interpretari illos dies, *qui ferias proxime sequantur & a plebe, tanquam festi, per lusum celebrarentur;* Scholiasta *Pindari ad Od. IV. Pyth. vs.* 249. ἐπίβδαι κυρίως καλοῦνται αἱ ἑπόμεναι τῶν ἑορτῶν ἡμέραι, αἱ μεθέορτοι, ἐπιβάδες τινὲς οὖσαι, οἷον ἐπαγόμεναι τῇ ἑορτῇ. idque ipsum vocabulum, quod EUSTATHIUS Doriensibus tribuit ad *Odyss. A. pag.* 1686. satis indicare, hosce dies veluti adjectitios prioribus, festis nempe & sacris diebus accessisse. Alii vero Scholiastæ, uti & ipse Timæus Atheniensibus tribuunt; & sane omnium Græcorum, uti ipsa sacra & plerique festi dies eadem ubique fuere, hasce ἐπίβδας fuisse communes, vero simillimum est. Vocabuli etymon revocant VV. DD. a verbo ἐπιβαίνω, vel ἐπιβάζεσθαι auctoritate veterum Grammaticorum: HESYCHIUS ἐπίβδαι. αἱ μεθέορτοι ἡμέραι· ἀπὸ τοῦ ἐπιβάζεσθαι ταῖς ἑορταῖς, οὐκ οὖσαι ἐξ αὐτῶν. SUIDAS autem, *Etymolog. M. Auctor pag.* 357. etymon tradunt: διὰ τὸ πρὸς ἐπίδυξιν ταῖς προτέραις ἡμέραις (malo ἑορταῖς) γενέσθαι, ἄλλης ἐπιβαινούσης. Ex quibus expedire se haud potuit cl. KUSTERUS; ὁ πάνυ autem HEMSTERHUSIUS legendum jubet διὰ τὸ πρὸς ἐπίδυξιν τ. πρ. ἡμ. ἐπιγενέσθαι, atque illud verbum idem esse ait, quod in *Pindari* Scholiasta ἐπάγεσθαι. tum vero πρὸς ἐπίδυξιν fieri ea monet, quæ *non occulte, ut sacra & festorum solemnia, sed publice atque in* om-

omnium conspectu aguntur. Verum tamen & hic, veniam præfatus, ingenue fateor, me nondum in eam sententiam pedibus posse transire, quamvis enim probe sim gnarus, olim veteres plerosque rerum divinarum ministros, quæ ad sacra pertinerent, rationes & caussas festorum dierum studiose occultavisse, &, quo magis religione obstrictos haberent multitudinis animos, cuncta illa suppressisse, conf. LIVIUS *Lib. VI. c.* 1. ipsa tamen sacrorum solemnia, paucis exceptis, fuerunt ubique gentium in aperto, & non minus ipsi dies festi, quam αἱ ἐπίβδαι fuerunt laetitiae publicae dicati: ut adeo illud πρὸς ἐπίδειξιν, de diebus ἐπιβδαῖς adhibitum, non possit hic accipi tanquam antithesis quaedam festorum solemnium; quare potius sic emendandum credo SUIDAE locum: διὰ τὸ πρὸς ἐπίδειξιν ταῖς πρωτίσαις ἑορταῖς ἐπιδέχεσθαι, vel δέχεσθαι pro γενέσθαι quod adhibitione, id est, usu velut festi celebrarentur, quia scilicet homines vulgo dies illos proximos sacris *adjiciebant insuper*, & velut festos *adhibebant* ludendo, otiando, compotationibus & comessationibus eos transigentes. Cæterum vera vocis Etymologia est altera, quam prodit nobis HESYCHIUS: διὰ τὸ ἐπὶ τῇ δαιτὶ καὶ ἑορτῇ ἄγεσθαι αὐτάς, κατὰ πρόσθεσιν τοῦ β. Nempe, ut ingenium est hominum a labore ad voluptates atque animi relaxationem proclive, plebes, non contenta festos dies, jure divino constitutos, hilaritate publica celebrare, conviviis ac largioribus splendidisque dapibus se invicem excipere, sed & majoribus festis fere diem adjungebant insuper & convivia iterabant priora; unde TIMAEUS ἐπίβδας exponit, ἐν αἷς τοῖς ὑπολειφθεῖσι σιτίοις καὶ ποτοῖς χρῶνται Ἀθηναῖοι: hinc & ISOCRATES jam questus est in *Areopagitico*, sua ætate Athenienses multo fuisse munificentiores in celebrandis diebus festis ἐπιθέτοις, quam in ipsis solemnibus. Atque adeo ἐπίβδαι fuere appellati dies, qui ἐπὶ τῇ δαιτὶ, festivo convivio, & solemnitati sacræ addebantur: κατὰ πρόσθεσιν, inquit HESYCHIUS, τοῦ β. videntur itaque veteres Graeci pro δαὶς dixisse etiam βδαὶς, atque inde κατὰ πρόσθεσιν τοῦ β ἐπίβδα: uti pro Ζεὺς dixere Δεύς, quod per resolutionem diphthongi peperit Latinum *Deus*; & inde apud veteres Comicos Βδεύς, κατὰ πρόσθεσιν τοῦ β. pro δέω scripserunt item βδέω, quod unicum tantum agnoscebat, ubi litera β. initio vocis præposita est, CANINIUS in *Hellenism. pag.* 20.

E-

Ἐπίβδαν speciali nomine appellarunt quartum diem τῶν Ἀπατουρίων, teste HESYCHIO in voc. Ἀπατούρια. atque ita etiam SIMPLICIUS; quibus grandem dicam erroris scripsit MEVRSIUS in *Græcia feriata*, cum auctoritate SUIDAE, ac Scholiastæ *Aristophanis* ad *Acharn. Act. I. Sc.* 4. contendat, numero tantum tres Apaturiorum dies fuisse: at illos contra MEURSIUM defendit rursum doctiss. KUHNIUS *ad Pollucis Onomast. Lib. VIII. c.* 9. *segm.* 107. *not.* 99. ita ut tres quidam fuerint dies κατὰ τὰ νομιζόμενα· sed nihilo minus ἔξω τῶν νομιζομένων unius diei fuisse πρόσθεσιν, qui dies ἐπίβδα diceretur: sed, quamvis ita componi posse dissensum facile largiar, non omnino tamen erroris videntur absolvendi, si quidem vere *tres* tantum dies ejus solemnitatis fuerint, ut vult MEURSIUS *loc. cit.* & præstantiss. CORSINUS *in Fast. Att. Tom. II. P. I. Diss.* 13. *pag.* 306. cum tamen illi expressis verbis per quatuor dies Apaturia acta esse, doceant. Quid si ita potius in concordiam redigamus dissidentes Grammaticos, ut initio quidem per tres dies statuamus celebrata esse Apaturia, secundum SUIDAE ac Scholiastæ testimonium; deinceps vero auctoritate publica quartum esse diem adjectum, eumque, quod solemnitati accederet, κατ' ἐξοχὴν ac velut proprio nomine dixisse ἐπίβδαν. Hæc, credo, conjectura placebit magis, quia alii omnes fere festi dies habebant vulgo diem suum adjectitium, ἐπίβδαν, μέθεορτον vel ἐπίδειτον dictum, at quem publice non celebrabant, sed privatim comessationibus & compotationibus; hic autem in *Apaturiorum* diebus ultimus speciatim fuerit ἐπίβδα appellatus, quod autoritate etiam publica esset Athenis receptus. Quæritur, an & Romani ejusdem generis dies μεθεόρτους seu ἐπίβδας festis addititios celebraverint? quum Fasti adulatione temporum essent corrupti, legitur Augustus huic licentiae obviam processisse, & *triginta amplius dies*, *qui* HONORARIIS LUDIS *occuparentur*, *actui rerum accommodasse:* vid. SUETONIUS in *August. cap.* 32. ubi TORRENTIUS arbitratur, *honorarios ludos* ita appellatos, qui dicis caussa, non quod re vera ludi essent, ederentur; quod si verum, ludi honorarii haud essent dissimiles Græcorum Ἐπίβδαις. Sed vid. quae *ad Suetonii loc. cap. sq.* plura notabimus. Pulcre ARISTIDES *Tom. I. pag.* 352. *Kalendas Januarii* Romanis ἐπίβδας fuisse, notat: καὶ ἦσαν μὲν ἐπιβδαί,

ἡ

ἣν Ῥωμαῖοι πρώτην ἄγουσι τοῦ ἔτους· *Noris.* de *Ann. Syro Maced. p.* 15. non recte vertit. Scilicet Kalendae Januariae re quidem vera festus dies non erant, ac propterea in *Fastorum* Tabulis litera F. notantur, quippe *fastus dies*; quamvis enim *Jano* is dies ſacratus eſſet, tamen, omne genus auſpicandi cauſſa, profeſtus fuit dies; vid. Columella *de R. R. Lib. XI. cap.* 11. & quae *Supr. cap. I.* §. 5. *pag.* 26. ex Ovidio notauimus: cum vero, quo ad publicam laetitiam primus Januarii dies Romanis ſumma feſtivitate perageretur, quin, ut Columella *loc. cit.* addit, religioſiores quoque ab omni opere abſtinere esſent ſoliti per aliquot dies proxime ſequutos, perſpicuum eſt, cur Græco ſcriptori hi dies appellati fuerint ἐπίβδαι: atqui, ſi ad dies Kalendis Januariis proximos respexit, ut vero ſimile ſit ex plurali numero, quo utitur, locus non ſine vitio erit, ac forte reſcribendum: καὶ ἦσαν μὲν ἐπίβδαι, ἃς Ῥωμαῖοι μετὰ τὴν πρώτην ἄγουσι τοῦ ἔτους· *& erant quidem dies otiosi, quos celebrant Romani poſt Kalendas Januarias:* at locus ipſe Ariſtidis accuratius inſpiciendus, ut conſtet, qua occaſione ibi de ἐπίβδαις memoret. Denique obſervat cl. Ruhnkenius, *repotia* ſeu primum poſt nuptias diem ἐπίβδαν quoque fuisſe appellatum, idque ex Gloſſ. vett. præclare Scaligerum docuiſſe *ad Feſt. in voc. Repotia:* ſic Festus: *Repotia poſtridie nuptias apud novum maritum cœnatur quia quaſi reficitur potatio:* vid. quæ de Conviv. & Nupt. ſcripſere Briſſonius, & Demſter. ad Roſin. p. 453. Hæc autem Scaliger: Glosſarium. *Reoria* ἡ τρίτη τῶν ἀγάμων ποδοστροφία. *Reperidia*, ἐπίποδα, ἡ μετὰ τὴν ἡμέραν ποδοστροφία. *Reproca* ἐπίβδα, ἡ μετὰ τὴν ἑορτήν. in tribus his exemplis iubet vir illuſtris legi *repotia* & pro ἐπίποδα, ἐπίβδα. *Reficere* apud Festvm eſt *iterdre.* in Gloſſis recte Scalig. pro *Reoria* corrigit *repotia*: loco τοῦ ποδοστροφία, lego ποτοστρόφια. uti & mox in ſq. Gloſſa. ποτοστρόφιον enim eſt *repotatio*, unde plurale *repotia*, vertit ποτοστρέφια. at quo modo hic Repotia dicuntur ἡ τρίτη τῶν ἀγάμων, (lego γάμων.) cum *Feſtus*, & alii *poſtridie* nuptias *repotia* celebrata dicant? an forte pridie nuptias nouo ſponſo ſponſalia præbita? isque dies ἡ πρώτη τῶν γάμων, vel προτέρα dicta? exemplum vid. apud *Cic.* in *Epiſt.* ad *Q. Fr.* Lib. II. Ep. 6. ubi ſponſalia *Craſſipedi* præbuisſe ſe dicit a. d. VIII Jd. April.

 (de-

(desponsata iam erat Tullia prid. Non April. vid. epist præced.) & mox a. d. VI, adeoque tertio die post, narrat se cœnavisse apud novum maritum Crassipedem, ita, ut tertius is nuptialis solemnitatis fuerit dies, Η τρίτη τῶν γάμων ut Glossa, & tamen etiam, ut Festus habet, *postridie nuptias*. Sed an sponsalia de more pridie nuptias præbita? an vero potius dicemus plures nuptiarum festo accessisse dies solemnes, ita ut *postridie nuptias* cum Festus dicat, id significet indefinite de diebus qui nuptias sequuntur, & dies illi proximi quotquot festive post nuptias celebrabantur, appellati fuerint *repotia:* & sic scripsit Glossa *repotia* ἡ δευτέρα, vel ὑστέρα, καὶ τρίτη τῶν γάμων. ποτοστρόφια. Nuptiarum enim solemnitas per plures dies celebrabatur: Hesych. γάμοι ἡ πρώτη ἡμέρα τῶν γάμων. ἡ δὲ δευτέρα παλία. Axionicus ἑώλον ἡμέραν dicit. v. *Casaub.* ad *Athen.* p. 114. ubi in argumento capitis *Repotia.* ποδοστρόφια appellata quoque dicit, credo, Glossas corruptas sequutus, at nihil contextu. ἐπίβδα. pro secundo nuptiarum die, citat ex *Pindaro*, at nihil ibi de nuptiis, locum vide in *Pyth.* IV. 249. quem recte explicat Scholiastes τραχεῖα ἐπίβδα. est, credo, *triste gaudium*, uti quasi dicat festum & hilarem diem verti in proximum, qui festo diei accedit, tristem atque adeo eleganter hoc a *Pindaro* dictum. neque credo unquam κατ' ἐξοχὴν Graecos diem Nuptiis proximum, seu repotia dixisse ἐπίβδαν: at cum Nuptiarum dies suus cuique festus haberetur, sic pariter ad instar fere festorum, qui dies nuptiis sequebatur, dixere Graeci etiam ἐπίβδαν· at proprium vocabulum fuit ἐπαύλια vid Pollux III. *Onom.* Sect. 39.

Hesych. παιδαι· ἡμέραι τινες, quod suspicatur *Ruhnkenius* foede depravatum esse ab Hesychio ex ἐπίβδαι. putavi aliquando loco παῖδαι scripsisse πεδέρται, quo modo *Aeoles* appellabant dies festis diebus proximos: forte coniici posset, *Hesychium* depravasse illud ex ἐπαυλιαι. an vero potius παιδαι dicti, vel παιδιαὶ ἡμέραι, dies illi festo posteri, qui ludendo & otiando, & ludicris celebrabantur. an pro παῖδαι in ista Glossa legemus, ΠΑΛΙΑΙ? ac intelligantur dies ἕωλοι. Conferantur quoque Casaubonus quae habet de ἑώλοις. Jam vero patet, ἡμέραν ὑστέραν vel ὑστεραίαν ap. *Plutarchum* non esse diem, ut vir summus putabat, ἐπίβδαν, vel μεθέορτον, sed diem negotiosum, siquidem ἐπίβδαι otiosi quoque essent,

ſent, hîc autem neceſſario *Themiſtocles* oppoſuit diem feſtum profeſto. ———

In Gloſſa pro ἐπὶ πόδα forte legendum ἐπὶ πόμα, *repotalia. Reproca* quid eſt? an forte a verbo *proco*, ut *reproca* dies dicantur, qui luſu, & procaciter poſt nuptias iterantur. Tres Gloſſas ita credo legendas eſſe:

Repotia. ἡ δευτέρα καὶ τρίτη τῶν γάμων. ποτοστρόφια. *Reperidia* quid? an forte *Repentalia*, ἐπὶ πόματα, ἡ μετὰ τὴν ἡμέραν τῶν γάμων. ποτοστρόφια.

Reproca, ἐπιβδα, ἡ μετὰ τὴν ἑορτήν.

De voce *Repentalia* v. *Briſſonius*, qui ejus uſum adhuc in *Aquitania* eſſe, *de Ritu Nuptiar.* p. 339. ed. *Trekel.* notat.

Atque hæc quidem hactenus, quæ ex reſiduis paſſim & ſibi diſſimilibus chartis ad ſuas argumentorum ſedes promoveri & revolui poterant.